Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Gentis Silesiae annales : complectentes historiam de origine, propagatione et migrationibus gentis, & recitationem praecipuorum euentuum, qui in Ecclesia & Republica vsq[ue] ad necem Ludovici Hungariae & Bohemiae regis acciderunt. Contexti ex antiquitate sacra et ethnica, et ex scriptis recentioribus:

https://hdl.handle.net/1874/425356

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

I. CUREI
Annales Gentis
SILESIÆ.
DIODORUS SICULUS.

Historia Gentium
Fol. n. 353.



Silesia
Diodorus
100.
1.



fol 353

N° 205. m

GENTIS SILESIÆ ANNALES

COMPLECTENTES HISTORIAM DE ORIGINE, PROPAGATIONE ET MIGRATIONIBVS gentis, & recitationem præcipuorum euentuum, qui in Ecclesia & Republica vsq; ad necem LVDOVICI Hungariæ & Bohemiæ regis acciderunt.

CONTEXTI

EX ANTIQVITATE SACRA ET ETHNICA, ET *ex scriptis recentioribus:*

A

IOACHIMO CVREO FREISTADIENSI,

PHILOSOPHO ET MEDICO IN INCLYTA vrbe Glogouiensi.




Ex dono Durrh

Cum Priuilegio Cæsareo amplissimo ad annos X.

WITEBERGÆ. M. D. LXXI.

Auſpicijs D. MAXIMILI ANI II. Imperatoris Au-
guſti, inuicti, pij, pacifici, felicis, patriæ Patris.



SVB VMBRA ALARVM TVARVM.

O DOMINVM CLEMEN-TEM ET BONVM.

AD INVICTISS. ET POTENTISS. ROMANORVM IMPERATOREM D. MAXIMILIANVM II. AVGVSTVM, HVNgariæ, Boëmiæ &c. Regem, Auſtriæ Archiducem &c. Sileſiæ Principem & dominum clementiſſimum, Procœmium, ſubiectiſsima reuerentia ſcriptum.

IPSAM NATVRAE VOCEM INGENIOſus & fœlix Poëta hoc dulci carmine expreſsit:

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Allicit, immemores nec ſinit eſſe ſui.

Afficimur enim naturali & ſuaui deſiderio, erga loca illa, quæ nos naſcentes exceperunt, & vbi auras vitales hauſimus. Illi ipſi etiam parietes, cunæ & cubilia bonæ menti dulcia ſunt, quæ fuerunt prima vitæ noſtræ hoſpitia. Ideo vir laude ſapientiæ præcipuè celebris Vlyſſes apud veterem Poëtam non modo aſperam & ſterilem ſuam Ithacam, magnæ aliarum regionum vbertati antefert: Verum etiam in præcipua felicitate ſua optat fumum de patrijs poſſe videre focis. Nec vero vſu & familiaritate ſolum ille amor accenditur, ſed ipſe ſapiens naturæ conditor, has blandas flammas, molleſq; ἐρέγας animis hominum impreſsit, vt eos excitent ad conſiderationem magnarum rerum, & amorem illorum bonorum, quæ ipſe vult in vita præcipuè aſpici & conſeruari.

Omnibus hominibus non monſtrosè efferis, exilium inſuaue eſt, quod, vt Princeps Thebanus apud Euripidem inquit, μεῖζον ἐστὶ κακὸν ἔργῳ ἢ λόγῳ. Orbitas enim ipſa calamitoſa eſt, & longa tela plerunq; magnorum malorum exilia comitatur, vt quidem Spartani in Elegia ſua caſtrenſi ſonuerunt: Curat nemo vagos & lædere nemo veretur, Non exul curæ ducitur eſſe DEO. Illam ipſam acerbitatem & infelicitatem vbi conſideramus, aut experimur: vult Deus, vt animum noſtrum ſubeat recordatio de primo generis humani exilio inprimis infelici & luctuoſo.

Verè natura hominum orba fuit poſt lapſum. Homo enim merſus in peccatum & mortem Deum rectorem excuſſerat. Viciſsim igitur Deus hominem à ſe auulſum deſeruit, deſijtq; eum luce ſuæ ſapientiæ, iuſticiæ, & vitæ implere. Ex ſtatu etiam immortalitatis & beatitudinis, ex Paradiſo in ſolitudinem ad magnas vitæ ærumnas exeruditur. Et adhuc quidem tota poſteritas exulat. Ipſa vero præcipuè Eccleſia exul eſt, quæ multis calamitatibus in hac vita premitur, & raro defenſionem politicam adipiſcitur. Atq; inſigniora eiuſdem Eccleſiæ membra, ſæpiſsimè triſtia ſuſtinent exilia. Simul vero inter ipſarum tantarum miſeriarum ſenſum, de ſanatione & reſtitutione noſtri cogitandum eſt.

Admiranda sapientia & ex immensa bonitate, ipse Filius Dei factus est deprecator pro genere humano, & assumta massa nostræ naturæ humanæ, sponte factus est exul, gustauit huius vitæ calamitates, sustinuit pœnam pro genere humano, vt nobis patriam æternam & beatam rederet. Istæ igitur molles flammæ sint commonefactiones de cœlesti patria, vnde est origo animarum, vbi nostrum est πολίτευμα, Eam sciamus esse amandam & expetendam. Hunc portum omnes electi in hoc ærumnoso vitæ exilio fide & pia spe sunt complexi. Cupio ἀναλῦσαι, inquit Apostolus, & esse cum Christo.

Vt fessus & mœstus viator, cœca de nocte in solitudine ignota vagans & errans, auide auroram, lucem, dulce hospitium, quietem & suauem suorum conspectum expetit: Ita sancti in huius vitæ tenebris, & tristi exilio, cupidè æternam illam patriam suspiciunt, vbi deposito hoc sordium, peccatorum & caliginis onere, luce & conspectu Dei & beatorum fruentur, & rursus suos, quos præmiserunt in illas felices mansiones, suauiter complectentur.

Sed quia Deus in hac vita voce Euangelij sibi colligit Ecclesiam & æternæ vitæ exordia, in istis ipsis miseris tugurijs vult inchoari, simul illum amorem vult esse stimulum, vt singuli vera ornamenta patriæ maiori cum cura tueantur, inter quæ deinde certi & distincti gradus sunt considerandi.

Primus & præcipuus, est veræ Ecclesiæ societas. Illa enim vera & natiua est patria. Singuli igitur non fumum tantùm in patria optemus & spectemus, vt ille Ethnicus politicus, Sed demus operam suo quisq; loco, vt & publice & priuatim Sol iusticiæ Filius Dei nobis oriatur & luceat, accendens in nobis illius vitæ initia, quæ in altera cœlesti statu perficietur. Non igitur tantum latifundia, solum, muros, parietes, sed multo magis veram Religionem custodiamus, eamq; puram & sinceram tanquam præcipuum thesaurum & nobilissimam patrimonij partem posteritati conseruemus.

Ad hunc primum scopum, cætera vitæ bona sunt omnino referenda. Ipsa Imperia & Respub: Deus vult esse hospitia & muros Ecclesiarũ. Tota etiam educatio, Oeconomiarum & Politiarum gubernatio, ad hoc summum bonum, ad piam Ecclesiarum constitutionem pertinent. Et quia cœlestis doctrinæ propagatio sine studijs & literis fieri non potest, vt quidem semper erudita fuit vera Ecclesia, intelligamus hoc capite simul diligentiam discendi artes vitæ necessarias, & amorem doctrinarum, & bonarum literarum comprehendi, atq; cuilibet suo loco commendari.

Secundus gradus inter patriæ ornamenta est, Reipub: Legum & Politici status consideratio. Magnum decus & insigne bonum est, habere patriam, in qua iusta est forma gubernationis, vbi Politica disciplina honestè regitur. Sapienter Plato disputat, dissimiles esse voces & sonos singularum Politiarum, vt quidem nunc Tyrannidis Turcicæ & aliorum

crude-

crudelium & impiorum Imperiorum, barbari & asperi sunt sonitus, tandem optime definiens causam hanc, inquit, ἡ τῆς μὲν ἂν τῶν πολιτῶν τὸν αὐτῆς φθέγξηται φωνὴν πρός τε θεὸς καὶ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ τῇ φωνῇ τὰς πράξεις ἐπομόρους ἀποδιδῷ ἅλλά τε καὶ σώζεται. Illa demum Respub: quæ consentientem vocem ad Deum & homines sonat, & consentaneas actiones voci illi edit, floret & seruatur.

Rectè quidem Plato. Voluntas enim Dei est, vt in toto genere humano semper immota norma gubernationis sit, Decalogus rectè intellectus, Et vult Deus, Magistratum esse vocem & custodem æternæ suæ legis, in veræ Religionis plantatione, Ecclesiarum defensione, & in ciuilis vitæ officijs. Eruditum etiam est Elogium Pindaricum, quod breuiter præcipuas virtutes politicas nominat: ἐν τᾷδε εὐνομία ναίει καπυωτάτη τε βάθρον πόλιων ἀσφαλὴς δίκα, καὶ ὁμόφρονος ἱερήνα, τάμιαι ἀνδράσι πλέτου, χρύσεαι παῖδες ἀβέβλου θέμιτος ἐθέλουσι ἀλεξεῖν ὕβριν κόρᾳ μητέρα θρασύμυθον. In ea vrbe Lex habitat, & sorores eius, Iustitiæ fundamentum vrbium, & concors Pax filiæ Themidis, quæ sunt custodes opum, & volunt iniuriam arcere, matrem fastus.

Tertio loco aspiciendæ sunt Oeconomicæ gubernationes. Ingens ornamentum est Oeconomia recte constituta, in qua fœdera coniugiorum sanctè & castè seruantur, vbi nutricatio, educatio & institutio sobolis, mandatis DEI & naturæ respondet. Et cum pars Iustitiæ sit, seruire valetudini, etiam illa diligentia, nutrix Sedulitatis, & frugalitatis, laude digna est, quæ est, quæ & luxum, aut immodicas profusiones, simulq; sordes & squalores similes barbariei Amaxobiorum totam rem familiarem in plaustris vehentium, fugit, & in rebus ad victum, ad habitationem, ad vestitum pertinentibus, delectum, mundiciem, & elegantiam naturæ conuenientem amat & seruat. Grata etiam mente celebranda est Dei bonitas, fœcunditatis terram, agros, flumina, & venas metallicas, & tribuentis ista munera nutricationis, sine quibus cætera bona haberi & retineri non possunt. Ista quidem sunt præcipua ornamenta, propter quæ singuli ciues virtute & pietate præditi, patriæ amorem & obseruantiam debent.

Sed non satis est tantum præsentis temporis statum aspexisse, verum cura digna est homine, retro spectare antecedentia tempora, & maiorum virtutem considerare. Præcipua enim pars pietatis erga patriam, pertinens ad Gratitudinem, est cognoscere historiam, & res gestas apud maiores. Grata memoria retinenda est antiquitatis & progenitorum, à quibus non solum origo est stirpis, Sed qui fuerunt auctores, à quibus illa ornamenta Religionis, Legum & disciplinæ accepimus, & quorum recordatione obligamur, vt similia bona ad posteritatem transmittamus.

Præterea cum homines aut regulis aut exemplis iudicent, & tempora ipsa optima sint exempla, cum ijdem euentus tantum mutatis nominibus

in vita recurrant, vt inquit Thucydides, historia prudentiæ & virtutis magistra est. Vehementius autem mouent, & vtilius erudiunt exempla domestica maiorum & cognatorum, Et ingens dulcedo est homini honesto, maiorum virtutem & splendorem intueri. Singulari quidem consilio Dei in omnibus gentibus excultis laudata forma Religionis & status politici sunt excitatæ aliquæ heroicæ familiæ egregijs donis ad constitutionem Ecclesiarum & Imperiorum ornatæ.

Et quamuis proh dolor, verum est, etiam heroicam sapientiam & virtutem facile amitti, vbi humana anima à Deo amplius non regitur, sicut exempla Alexandri, Themistoclis, Saulis & multorum aliorum satis ostendunt: Tamen certum est, diuinitus hominum gradus esse distinctos, propagantur etiam vt Physici docent, aliqua virtutum semina & igniculi in posteritatem, & aliquantisper aliqui ex posteris in heroicis familijs donis excellunt. Rectè dixit Poëta: Fortes creatur fortibus & bonis. Sapienter etiam scripsit Pindarus: Φυᾷ τὸ γενναῖον ἀπὸ πατέρων παισὶν λῆμα. *Generosi parentum animi natura in filijs excellunt. Sed potior causa est, quod Deus ipse excellentes familias seruat, & aliquos ex posteritate præstantibus donis ornat.*

In historia igitur patriæ cognoscendæ & celebrandæ sunt familiæ, quæ à Deo reliquis sunt prælatæ, & donatæ sunt sapientia, virtutibus & successibus diuinis. Et quia in narrationibus historicis duplicia exempla occurrunt, alia de Misericordia, alia de ira Dei testificantia: Oremus Deum, vt ipse nos regat, & nos faciat vasa Misericordiæ, & organa nostris animabus & alijs salutaria, non autem fiamus Vasa iræ, patriæ & generis humani pestes, sicut multis præstantibus viris accidit.

Edidit Thucydides historiam grauissimè & sapientissimè scriptam, quam omnium ætatum eruditi, & præsertim sapientes politici, admirati sunt, & tamen in illa ipsa vix vnus vir bonus inter gubernatores Nicias describitur. Reliqui, vt Pausanias dixit, fuerunt parricidæ patriæ, quod quidem vocabulum est longè tristissimum. Vt ille fortis Imperator, milites suos præliaturos, alloquitur & monet, vt singuli putent in se momentum totius rei collocatum esse, ita quidem omnes ciues honestos: erga propriam patriam affectos esse oportet, & decet singulos operas & officia omnia ad salutem & tranquillitatem patriæ conseruandam conferre. Inuemus igitur singuli patriam, primum quidem & præcipue vera animi pietate, & ardentibus apud Deum precibus. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Deinde singuli suo loco, patriæ tanquam dulcissimæ matri pareant, & magna cura ornamenta patriæ studeant tueri, & cogitent, tali se fœdere obligatos, vt eadem bona, religionis, linguarum, artium, ciuilis disciplinæ cum ipso patrimonio posteritati tradant.

Apud

Apud Xenophontem optimus Rex Archidamus, ita suos Spartanos pugnaturos affatur: Nunc, inquit, ciues simus strenui, & animosi, ἀποδῶμεν τοῖς ἀπογινομένοις τὴν πατρίδα. *Quæ vox quidem verè heroica, in quacunq; gente omnium animis debet esse infixa. Debetur patriæ reuerentia, debetur obedientia, accedat etiam diligentia in vitandis ciuilium dissensionum & motuum occasionibus. Nemo laxet frenos iniustis cupiditatibus ambitionis, odiorum, curiositatis, ijsque incensus patriæ tranquillitatem turbet. Imò cogitetur simul eidem deberi* ἀπάτεια *tolerantem quasdam offensiones & iniurias, & easdem paci publicæ condonantem. Vt quidem in omnibus prudentibus scriptis, de hac ipsa virtute &* φιλοσοφίᾳ, *plurima extant præcepta. Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem. Non deserite congregationem vestram, voce diuina mandatum est. Et nunc quidem vnicum tantum insigne dictum ex Platone asscribo.*

Μητρός τε καὶ πατρὸς καὶ τῶν ἄλλων προγόνων ἁπάντων ἁμιώτερόν ἐστι πάτρις, καὶ σεμνότερον & ἁγιώτερον καὶ ἐν μείζονι μοίρᾳ, καὶ παρὰ θεοῖς, καὶ παρὰ ἀνθρώποις τοῖς νοῦν ἔχουσι, & σέβεσθαι δεῖ, & μᾶλλον εἴκειν καὶ θωπεύειν πατρίδα χαλεπαίνουσαν ἢ πατέρα.

Patriæ maior debetur honos, q̃ vel matri vel patri, & omnibus parentibus, Illis enim omnibus præstantior & sanctior est, & in maiori habetur autoritate, apud Deos *& homines sapientes. Maiori etiam reuerentia colitur, magis etiam cedere & blandiri oportet patriæ morosæ & iracundæ, quàm patri.*

Eiusmodi quidem pietatis, & gratitudinis cultum etiam nostræ gentis Silesiæ ciues dulcissimæ patriæ nostræ debent. Nam ea Dei beneficio, illa ornamenta, quæ nominauimus, feliciter adepta est, eaq; à singulis diligenter aspici & plurimi fieri æquissimum est. Vidi autem historiam nostræ gentis, quæ vera & natiua pictura est patriæ, hactenus desiderari, cuius quidem neglectionis hanc reperio causam, quod certæ annotationes vetustiorum temporum in his locis scriptæ non sint. Nam cum isti populi serio doctrinam Christianam acceperint, non patuit in hæc loca aditus viris doctis, qui Annales potuissent constituere, & si quæ olim conscripta sunt monumenta, ea illæ creberrimæ migrationes, mutationes & vastationes plane absorbuerunt.

Suscepi igitur in me laborem istum, & amore patriæ & Reipub: ex antiquitate & annotationibus recentioribus, Annales, quales potui, contexui, eósque, cum ad hanc operam hortatores assiduos habeam viros dignitate & sapientia præstantes, nunc Deo iuuante edo. Sub M. T. C. verò felicibus auspicijs prodeunt isti breues commentarij Imperator Auguste, quia M. T. vt quidem clementissimo & exoptatissimo Domino Silesiæ, eiusdem historia iure optimo debetur. Semper quidem heroici Monarchæ & Principes lectione historiarum & cognitione temporum & euentuum delectati sunt. Mens enim humana præsertim generosa, cùm sit condita ad immortalitatem, auide considerat antiquitatis statum. Et ratiocinationes ab exemplis sumtæ, alunt & augent prudentiam.

D. Maximilianus quidem I. ita ſtudioſus hiſtoriarum fuiſſe perhibetur, vt etiam commentarios rerum ſuarum dictare ſolitus ſit. Et D. Carolum Quintum Imperatorem laudatiſſmum, cum alias hiſtorias ſapienter ſcriptas, tum ipſum etiam volumen Thucydidis diligenter in ipſa ſenecta legiſſe audiuimus. D. etiam Ferdinandus, beatiſſimæ memoriæ, & dilexit ſtudia hiſtorica, & magnis ſumtibus vtiles hiſtoricos in lucem & vſum hominum produxit.

Accipe igitur Imperator Auguſte, ſerena fronte, & clementer hoc tenue ſcriptum, quod per me M. T. C. communis exhibet patria, Quæ quidem pro eximia φιλοστοργία & ſollicitudine atq; affectione paterna M. T. humilima cum demiſsione agit gratias, & ſeſe deinceps etiam pietati & benignitati Auguſtæ tuæ commendat. Tribuat æternus & propitius Deus C. M. T. longa & fœlicia vitæ ſpacia, gubernationem piam, tranquillam, lætam & florentem, faciatq; vt M. T. C. diutiſsime, vt talus in illa Gigantæa ſtatua, Imperium orbis Chriſtiani fulciat, ſuſtentet & ſeruet, donec æternum Regnum in cœlo inchoabitur.

Glogouiæ in vrbe Elyſiorum XXVI. Maij, quo ante annos 38. D. Ferdinandus Imp. celebrauit Sacrum Nuptiale cum laudatiſsima ſua ſponſa Anna Vladislai Regis Hungariæ & Bohemiæ filia. Anno 1570.

M. T. C.

humill: ſeruus

IOACHIMVS CVREVS.

AD ÆQVVM ET CANDIDVM LECTOREM.

MVLTÆ APVD SAPIENTES SCRIptores leguntur querelæ de iniustis calumnijs & maledicentia. κακαγορία δάκος ἄδηνον, inquit vetus Poëta, Maledicentia est lugubris morsus. Et admodum tristis & querula vox extat in libris Sacris: Calumnia conturbat sapientem, & frangit robur cordis eius. Maxime autem ista vltima mūdi senecta, quæ quasi effœta est, & minus veras virtutes gignit, prona est ad calumnias, & multos quidem, vt olim de Archilocho dictum est, saginat maledicentia. Ideo etiam bona & fœlicia ingenia metu Sycophantarum debilitantur, vt magis sese abdant, minusq; se patefaciant, aut in lucem prodire velint. Præcipuè vero omnibus ætatibus scriptiones historicæ expositæ fuerunt calumnijs, & iniquissimis etiam imperitorum iudicijs, quod ideo accidit, quia de euentibus maxima pars hominum iudicare solet, non ex vera ratione, sed ex affectibus. Domesticis vitijs & erratis blandimur ex naturali quadam φιλαυτία, odio vero causæ vel partis aduersæ etiam recte facta deprauantur sinistra interpretatione.

Ego itaq; cum necessarijs de causis hos Commentarios faciam publicos, publicè me etiam munire & excusare volui, contra iniqua aliquorum iudicia. Et principio de consilio & voluntate mea vere affirmo, me non voluisse vlla narratione aliquem ordinem honestorum hominum in vita sauciare, aut contumelia afficere. Non enim illo Satyrico aut Momico genere scribendi, quod nunc apud multos est plausibile, delector, sed cupio seruire bonis mentibus, quibus inquisitio de veteri statu patriæ nostræ grata est. Leges historiæ me non transilijsse arbitror. Etsi vero interdum narrationibus, præsertim insignioribus subijcio Epiphonemata Ethnica, tamen hoc iure in reprehensionem cadere non potest.

Nam cum ex sententia optimorum autorum, historia sit pars Philosophiæ Ethicæ, & ornetur hoc amplissimo Elogio, quod sit magistra & speculum vitæ, certè exempla ad Regulas accommodare necesse est. Infirma enim est ratiocinatio ab exemplis petita, nisi fundamentis doctrinæ moralis, quæ docet de virtutibus, sustentatur, & ad certam normam reuocetur, vt quidem prudenter Iurisconsultus dixit: Non exemplis sed legibus iudicandum est. Sua natura igitur iudicat historia de exemplis & euentibus, vt Physica de substantia & causis rerum conditarum. Modestè tamen

me

me libertate illa historica vsum esse opinor, certè inprimis dixi, petulanter neminem lædere volui.

Gliscit nunc controuersia de Religione omnium acerrima. Ego vero liberè profiteor, me esse ciuem veræ & sinceræ Ecclesiæ DEI, quæ retinet & amplectitur veritatem monstratam in scriptis Propheticis & Apostolicis, cuiusq; summa expressa est in confessione illa, quæ olim potentissimo Cæsari Carolo V. Augustæ fuit exhibita. Ideo vbi incidunt narrationes de statu, mutationibus, & disputationibus in Religione, scribo quid acciderit, & verecunde meam sententiam significo. Neq; enim historicus illum præcipuum neruum humanæ societatis in historia præterire potest. Et ludere Pyrrhonio more in tali causa pium non est. Seuere enim dictum est: Nolite errare, Deus non irridetur. Mihi autem satis est, si perseuero in Thesi, ordinem nullum in vita volo deformare, singuli in sese descendant & inquirant. Quare me veniam ab illis, qui sapientia & moderatione excellunt, & quibus ordo hierarchicus carus est, impetraturum confido.

Discedo interdum à narrationibus scriptorum Polonicorum, cum videam, res illas aliter & probabilius recitatas esse à Germanis. Et manifestum est, non solum negligentiam fuisse veterum historicorum in istis populis magnam, sed eos etiam sæpe nimium affectibus indulsisse. Neq; vero aliquis suspicabitur, me odio gentis illa immutasse, quia ego gentem Polonicam ortam à nobilissima & antiquissima stirpe Heneta maxime veneror, & videmus eam continua serie à prima antiquitate nunquam fuisse effœram, sed semper peperisse ingenia excellentia sapientia, prudentia politica, sagacitate & artibus bellicis. Et huic Regno, quod tot seculis à ceruicibus nostris arma Scythica & Moscouitica arcet, tota Europa debet gratiam, & inprimis Silesia, quæ colonia & filia est huius Regni, atq; cum eo multis officijs & arctissimis vinculis coniunctissima.

Mihi etiam priuatim cum multis præstantibus viris in hac gente dulcis & sincera intercedit amicitia. Sed vt nulla Imperia sunt sine erratis & miserijs: ita in hoc etiam Regno fuerunt dissimiles gubernatores, & dissimiles etiam euenerunt Euentus, quod tamen gloriæ & autoritati publicæ nihil detrahit. Historia vero requirit fidelem commemorationem rerum quæ acciderunt. Ex vetustioribus autoribus, quos secutus sim, ostendet ipsius scripti contextus. Recentes annotationes habui ad manus etiam non paucas, scriptas in præcipuis vrbibus, collegijs & cœnobijs.


Multa debemus viro industrio & doctissimo Francisco Fabro, qui diligenter inquisiuit, veteres historias, sed si quem hæc lectio iuuabit, is sciat, se præcipuè debere gratiam viro sapientia,

doctrina,

doctrina, & magna dignitate præstantissimo D. Sigefrido Ribischio Vratislauiensi, Inuictissimi Imperat. Maximiliani II. per Pannoniam consiliario. Is enim, cum in hoc studium incubuisset multos annos, & iam delineationem historiæ à primis exordijs prudenter instituisset, postea mira sagacitate & sedulitate omnia vetera monumenta, quæcunq; extant in Prouincia apud Principes, vrbes, monasteria & collegia, inquisiuit, & mihi omnia communicauit liberalissime, & monuit de rebus necessarijs sapienter & amanter.

Huius igitur memoriam grata posteritas, si quæ nostro hoc labore fruetur, retinebit. Nunc oro omnes viros bonos, vt in legendo adhibeant candorem, & si quibus nota sunt vberiora, vt ea ad ornandam patriam proferant. Ego, si Deus mihi vitam prorogauerit, & ad has operas otium & tranquillitatem concesserit, etiam Germanicam editionem instituam.

Bene & feliciter vale, Candide Lector.



INDEX COPIOSVS ET VTILIS RERVM MEMORABILIVM,

QVÆ IN HOC ANNALIVM LIBRO comprehenduntur.

A

ABrahamus Bucholcerus 361
Abrahamus Baro Donauiensis ducit exercitum in Hungariam 182
Acephalum agmen in Pannonia 184
Adalberti corpus Gnesna auehitur in Bohemiam 38
Adalbertus Episcopus Pragensis & Martyr 34
Adamas nobilis Caroli Burgundici 197
Adamus Curæus 391
Adelheidis neptis Friderici Barbarossæ despondetur Mieslao Poloniæ Principi 54
Adrianus Traiectensis creatur Pontifex 243
Adrianus Pontifex ueneno tollitur 245
Adrianus fuit præceptor Caroli Quinti ibid.
Adrianus fuit ineptus ad gubernationem 244
Adriano erecti sunt arcus triumphales in Belgico inuerecundi 244
Adulteria mulierum Polonicarum 41
Ægyptus punita est propter blasphemias in Christum 237
Æneæ Syluij ingenium uarium 135
Æneæ Syluij epiphonema, de interitu Ladislai Regis 160
Æneas Syluius Pontifex dictus Pius Senensis 163
Ærumnæ & exilia, cuius rei nos commonefacere debeant 16.20
Æschylus laudat Scythas uel Henetos 18
Aëtius Romanus usus auxilijs Henetorũ & Gotorum fudit Attilam 24
Agnes domina Suidnicensis & Laurensis 106
Alani dicti ab Elan 17
Albis ubi oriatur 5
Albertus Austriæ exarchus peruenit, ad Imperium & alia Regna 129
Albertus Cæsar Hungariæ & Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ, Princeps Siles. 129
Albertus Cæsar uenit Vratislauiam 132
Albertus Cæsar moritur in Pannonia 133
Albertus Brandeburgicus gerit bellum cum Polonis 133. 241.278
Albertus Bauariæ Dux non uult recipere oblatum sibi Regnum Bohemiæ 134
Albertus Brandeburgicus Dux exercitus contra Carolum Burgundicum 191
Albertus Saxonicus petit treugas cum Mathia 205
Alberti Cæsaris lapsus 133
Alearum ludus prohibetur à Capistrano 149
Alexandri Scanderbassæ uirtus 145
Alexander VI Pontifex tuba ciuilium bellorum 220
Alexandri Pontificis memorabilis interitus 221
Alexander Rex Poloniæ 222
Alexander Poloniæ Rex moritur 225
Alphonsus Calabriæ Princeps Hydruntum Turcis eripit 203
Alphonsus Vastius Dux Caroli Quinti Imperatoris 247
Ambrosius Moibanus docet Vratislauiæ 249 280
Amurathes Tyrannus Turcicus peruenit ad Regnum 133
Amurathes frustra obsedit Belgradum 137
Amurathi denunciatur bellum à Vladislao Rege Hungariæ ibid.
Amurathes petit pacem à Vladislao 138
Amurathes durissimis conditionibus impetrat pacem à Vladislao ibid.
Amurathes redit in Europam 140
Amurathes est adeptus Victoriam cruentam 142
Amurathis uox in prælio Varnense 143
Anabaptistica colluuies fuit exclusa à Vratislauia 281
Anabaptistarum & Enthusiastarum origo 370
Anabaptistarum historia ex Morauia 371
Anabaptistarum Magistri ibidem
Andreas Grittus recipit Patauium 227
Angelos esse custodes Imperiorum & ordinem Regnis 232
Anna Laurensis coniunx Caroli moritur 100
Anna coniunx Vladislai in puerperio extinguitur 224
Anna Regina Ferdinandi coniunx fuit quindecies puerpera 286
Anna filia Henrici Decimi nubit Rosenbergio Bohemo 316
Annæ filiæ Vladislai natalis 222
Annæ Reginæ uirtutes ibidem
Annus calidissimus & siccissimus 216
Annales Silesiæ quid præcipue exponant 27
Annalium Silesiæ partitio 2
Annales Silesiæ quo consilio autor conscripserit ibid.
Annales Polonici nimis contemtim loquuntur de Germania 92
Annalium altera pars 260
Annonæ uilitas 311
Annonæ Caritas & Penuria in Ducatu Glogouiensi 336

ANNOTATIONES præcipuarum mutationum & euentuum, qui acciderunt ciuitatibus Ducatus Glogouiensis in Silesia inferiori 299
Antenor ducit Henetos ad littus maris Adriatici 12
Antiochus Hierax deducit Germanos in sedes Henetorum 12
Antiquitas fuit studiosa Astronomiæ 260
Apologus de Vrso 192
Apostolorum discipuli docuerunt in Germania 29
Appellationes ueteres mirè deprauatas esse 4
Apum ingentia examina uiuere in regionibus Arctois 10
Arctoæ gentes quando & qua occasione in hanc terræ plagam immigrarint 8
Arctoarum gentium origo ex libris sacris 10
Arctoarum gentium distinctio 7
Arctoæ gentes distinctæ apud Herodotum quæ extant 10
Arctoæ gentes habitarunt in Oriente ibid.
Arctoarum gentium ueteres sedes 12
Arctoarum gentium triplex lingua Teutonica, Heneta, & ab his diuersa Scythica 12
Arctoarum gentium migrationes ex oriente in Europam 12.269
Argyropylus Romæ profitetur Græcam linguam 243
Arij fuerunt Medi ulteriores 11
Arij proximi Carpatho 6
Arij apud Herodotum habitarunt ad mare Caspium 10
Ariorum habitus ibidem
Arnolphus Cæsar domat Morauos 28
Arrij uirus attraxit & confirmauit potentiam Turcicam 237
Arrianorum uirus renouatur 372
Aristocratia in Polonia 27
Arthritis morbus ἐνδήμιος Glogouiæ 290
Ascanij sunt Tuiscones 8
Ascanij fuerunt religiosi 11
Ascania palus ad urbem Niceam 8
Ascania ubi olim fuerit 11
Asiæ incolæ qui fuerint ante Persica tempora 12
ἀσοργία Monachorum nullo modo est laudanda 75
Athenienſiam decretum impium 33
Atticæ urbis mos in sepeliendis corporibus cæsorum in prælijs pro patria 1
Attila regnauit in Silesia 23.265
Attilæ sæuicia 23
Attila inuadit Italiam 24
Attila extinguitur ibidem
Attilæ filij uicti sunt à Gotthis ibid.
Auaritiæ inexplebilis exemplum in sacerdote 42
Auarorum sedes quæ fuerit antiquitus 27
Aurienſis arx sola relinquitur Conrado Albo Olsnicenſi, occupato Ducatu à Mathia Rege 357
Austriaca familia est talus in Gigantea statua Danielis in præfat: & 259
Autoris consilium de edendis Annalibus 2

B

BAiazetes Turcorum Cæsar capitur à Tamerlane Scytha 117
Baiazetes paciscitur inducias cum Mathia 206
Baiazetes Tyrannus Turcicus fit exemplum humanæ instabilitatis 116
Baiazetes delet Classem Venetorum 220
Baiazetes necatur ueneno 330
Baiazetes capta Methone magnam exercet crudelitatem & tyrannidem 221
Babylonicorum agrorum quanta sit ubertas 265
Balthasar Saganenſis, uir militaris aliquandiu sustinet obsidionem 317
Balthasar Saganenſis necatur à sæuo fratre Ioanne 317
Balthasar Saganenſis militat in Prussia 153
Balthasar Saganenſis constituitur Dux copiarum in Bohemos 171
Balthasar Promitius fuit Episcopus salutaris Siliæ 281. 282
Barbara coniunx Sigismundi Cæsaris traditur custodiæ 129
Balthasar Legatus Pontificius sæuit in Principes 199
Barbara regina Poloniæ moritur 235
Barbara Brandeburgica promittitur Vladislao Rege 325
Barbara Brandeburgica deseritur à Vladislao Regi 326
Barbara Brandeburgica nata annos decem celebrat nuptias 324
Barones qui sint status Prouinciæ 263
Bartholemæus Monsterbergenſis profligatur à Vratislauienſibus 231
Bartholomæus Monsterbergenſis hostis Vratislauienſium 281
Bartholomæus Monsterbergenſis migrat Freistadium 338
Bartholemæus Monsterbergenſis perit in Danubio 234
Basilea quibus planetis subiaceat 282
Basilienſis Synodus 127
Basilienſis Synodus formulam Fidei exhibet Bohemis 127
Battus Dux Scythārum uastantium Europam 68

Beatrix coniunx Matthiæ Regis excelluit eruditione 195
Beatrix uidua Vladislaum attrahit 212
Beatrix decipitur & Neapoli in exilio moritur 213
Belgradum olim Taurimum fuit dictum 137
Belgradum occupatur à Solymanno 242
Bellum Cimbricum in Italia 19
Bellum ciuile & luctuosum inter filios Henrici Barbati 60
Bellum Prutenicum inter Polonos & ordinem Teutonicum quando cœperit 93
Bellorum euentus quales esse soleant 171
Bellum Bauaricum 223
Bellum Venetum sedatum est conditionibus iniquis Carolo Quinto 239
Bellum Suidnicense 104
Bellum famelicum in Prußia 120
Bellum Hußiticum 122.277
Bellum Polonicum 131.319
Bellum ad Rhenum 168
Bellum sacrum contra Turcam mors Pontificis interrupit 170
Bellum Marchicum 323
Bellum Gurense 330
Bellum Glogouiense 205.337
Bellorum euentus quales plærique sint 171
Belgradensis uictoria in Hungaria 154
Bertholdus Dux Meraniæ uocatur ad Imperium 73
S. Bernhardus autor & suasor expeditionis in Asiam 53
Bessarabia occupatur à Baiazete Turcico 204
ex Bibliotheca collecta studio Matthiæ Regis produnt libri utiles 208
Bidorgis Ptolemæi est Vratislauia 269
Bidorgis uastatur 270
Biturix Lygius conditor ueteris Vratislauiæ 269
Byturigis etymon ibid.
Bohemia septennium regitur à puella Valasca 27
Bohemiæ Princeps capitur & fit tributarius Romani Imperij 29
Bohemi concitantur in Polonos ab Henrico Quarto Imperatore 43
Bohemis integer usus sacræ cœnæ permittitur 128
Bohemiæ Regnum post mortem Ladislai à multis appetitur 171
Bohemiæ Regnum tanquam pomum Eridos à Pontifice proijcitur inter Monarchas 173
Bohemica gens quo nomine gratiam debeat ciuitati Vratislauiensi 275
Bohemiæ Princeps occupat totam Silesiam 393
Boleslaus à Henrico Bauaro ad seruanda pacta adigitur 36
Bohemica & Polonica bella inchoantur sub Boleslao primo 35
Bohemi atrociter uastant Poloniam 38
Bohemici Regni magnificentia 121
Bohemi retrahuntur ex Polonia à Cæsare Conrado 39
Bohemiæ Princeps usurpat nomen Regium 55
Bohemiæ Reges qui ex ordine imperarunt Silesiæ 265
Bohemi præsidiarij Glogouiæ ibidem sunt graues hospites 342.343
Boleslaus primus dictus Acer, primus Poloniæ Rex 33
Boleslai Primi bella 35
Boleslaus Primus uicit Moschos ibidem
Boleslaus Primus uastauit Germaniam 35. 302
Boleslaus Primus occupauit Budißinam & Misenam urbes 35
Boleslaus Primus uicit Borussos 36
Boleslai Primi iusticia & pietas ibid.
Boleslaus primus fuit Heroicus Rex 36
Boleslaus Secundus 40
Boleslaus curuus multa oppida & arces condidit in Silesia 296
Boleslaus Secundus iugulauit D. Stanislaum Episcopum 41
Boleslaus Secundus perijt exul 42
Boleslaus Tertius distortus 44
Boleslaus Tertius fuit fœlix bellator ibid.
Boleslai Tertij bellum cum Henrico Quinto Cæsare 45
Boleslaus proditorie percussorem subornat Suantopulto Bohemorum Regi 46
Boleslaus inuadit Bohemiam armis 48
Boleslaus Tertius magno prælio uincit Henricum 47
Boleslaus Tertius reconciliatur Cæsari 48
Boleslaus Tertius petit pacem à Lothario Cæsare 50
Boleslaus Tertius sæpißimè & fœliciter acie conflixit ibidem
Boleslai Tertij Vaticinium de fortuna suorum filiorum 51
Boleslaus Tertius extinguitur animi mœrore 49
Boleslaus Quartus Crispus 52
Boleslaus Crispus uenit in odium apud suam gentem 56
Boleslaus Procerus dimicat ex prouocatione in Italia 55
Boleslaus Procerus oppugnatur à filio Episcopo 58
Boleslai Proceri mors & eiusdem Epitaphium ibidem
Boleslai Proceri liberi ibidem
Boleslaus Pudicus ducit uxorem Cunigundam 66

Boleslai Pudici imbecillitas 68
Boleslaus Caluus malus Princeps amittit Poloniam 78
Boleslai Calui furores ibidem
Boleslaus Caluus fruſtra obſidet Vratislauiam 79
Boleslaus Caluus capitur ibidem
Boleslaus Caluus euertit Sileſiam 80
Boleslaus Caluus intercipit Epiſcopum Vratislauienſem 81
Boleslaus Caluus capitur à fratre proprio Conrado 82
Boleslaus Caluus capit Henricum Probum Vratislauienſem 84
Boleslaus Caluus profligat Principes Sileſiæ, ibidem
Boleslaus Caluus extorquet aliquot oppida ab Henrico Probo 84
Boleslaus Caluus Princeps delirus & Tyrannicus extinguitur 85
Boleslaus Curuus eſt pater ducatus Glogouienſis 303
Boleslaus Brigenſis Princeps prodigus & turbulentus 93
Boleslai Brigenſis furores 95
Boleslaus Brigenſis ſubijcit ſe Iohanni Regi Bohemiæ 97
Boleslaus Brigenſis moritur 102
Boleslai Monſterbergenſis egregia beneficentia 102
Boleslai Monſterbergenſis Vrbanitas & pietas 103
Boleslai Secundi Monſterbergenſis miſerabilis interitus 106
Boleslaus Sæuus 85
Boleslaus Brigenſis ditatur ex bonis Eccleſiaſticis 102
Boleslaus Suidniceenſis creſcit ex fratre Henrico 87
Boleslaus Suidniceenſis tutor filiorum Henrici Quinti Vratislauienſis 89
Boleslaus Suidniceenſis Primus fuit ſapiens Princeps 91
Bona Mediolanenſis deſponſata Iohanni Coruino nubit Sigiſmundo Regi Poloniæ 235
Brandeburgum quando & qua occaſione ſit conditum 28
Brandeburgenſis Marchio quando factus ſit Princeps Imperij 37
Bregenſis ager uaſtatur à Poloniæ Rege Vladislao 132
Brega quando primum ſit munita 91
Bregenſis Ducatus 261
Breichauienſis ager donatur Epiſcopo 288 302
Brenni expeditio in Græciam 19
Breuis expoſitio ſtirpis & uitæ beatæ Heduigis 72
Brigotium oppidum Quadorum 22
Brodicus Ductor copiarum Huſſiticarum in Sileſiam 125
Brodicus capitur in Sileſia 128
Brugenſes ſcelerate & perfidioſe agunt cum ſuo Domino 205
Budiſſina occupatur à Boleslao Rege Poloniæ 35
Budiſſina tentatur à Huſſitis 122
Buſcus uenit Glogouiam tempore obſidionis 347
Buda occupatur à Solymanno 251.253
Burij in Comœdijs 6
Buſſus miniſter Iohannis Glogouienſis afficitur ſupplicio 359
Buſſus eripit Iohannem ex incendio Kiſelienſi 319
Bythomia fruſtra oppugnatur ab Henrico Quinto 288.45.303
Bythomia uetus oppidum 286
Bythomiæ oppidi æs 299
Bythomia fuit impedita à Glogouia 297
Bythomienſes uenæ euanuerunt 110

C

Cœlibatus Sacerdotum cœpit in Polonia 58
Cœlibatus Sacerdotum denuo ſtabilitur 272
Cæſar Borgias, Alexandri Papæ filius homo ſceleratus 220
Cæſaris Borgiæ exitus 221
Cæſarea curia & conſilium in urbe Vratislauienſi 264
Calix miniſterialis in Eccleſia Vratislauienſi 60
Callimachus Florentinus præceptor Iohannis Alberti 217
Capha urbs occupatur à Mahometo 194
Campſon Rex extinguitur 237
Canini campi denominatio 47
Carambeius Amurathis propinquus & Dux exercitus capitur 137
Carmanorum Rex uincitur à Mahometo Turcico 147
Caidanus Dux copiarum Scythicarum uaſtantium regiones Europæas 68
Camencium munitur à Bohemis 44
Carolus Magnus repreſſit Polonos 28
Carolus erexit Marchias contra Polonos ibid.
Carolo Magno Poloni fuerunt tributarij ibid.
Carolus Magnus religionem Chriſtianam propagauit in Saxonia 30
Carolus Magnus quando ſit mortuus 73
Carolus Burgundiæ Dux inhiat Germaniæ 191
Carolus Auſtriacus creatur Cæſar 240

Carolus coronatur Aquisgrani 241
Carolus Burgundicus, est studiosus Persici splendoris 184
Carolus Burgundicus incidit in Melancholiam 197
Carolus Burgundicus rursus superatur ab Heluetijs ibid.
Carolus Burgundicus ad Nanceium uincitur & occiditur ibid.
Caroli Burgundici miserabilis interitus 196
Carolus Murchio Badensis capitur bello à Friderico Palatino 169
Carolus Cæsar exornauit Bohemiam & Vratislauiam 108
Carolus Cæsar misit literas familiares ad Senatum Vratislauiensem ibid.
Carolus Cæsar Rempub: Glogouiæ constituit ibidem
Carolo Cæsare imperante floruit Silesia 109
Carolus Cæsar facit nuptias Cracouiæ 110
Carolus Cæsar agit conuentum Vormatiæ. 242
Caroli Cæsaris copiæ occupant Ducatum Mediolanensem 243
Carolus Cæsar ædificauit templum S. Dorotheæ Vratislauiæ 276
Carolus Monsterbergensis constituitur gubernator Silesiæ 245
Carolus Quartus Imperator Rex Bohemiæ, Princeps Silesiæ, dominus Vratislauiæ & Glogouiæ 105
Carolus Quartus Cæsar ducit Annam Iaurensem 106
Carolo Cæsari nascitur filius Venceslaus ex Anna Iaurensi ibid.
Carolus Quartus ingreditur Vratislauiam 106
Carolus Quartus euexit urbes 277
Caroli Quarti uirtutes & mors 111
Caroli Quarti liberi ibid.
Carolus Quartus autor aureæ Bullæ ibid.
Carolus Neapolitanus uocatur ad Regnum Hungariæ 114
Carolosteinum obsidetur ab Hußiticis 124
Carolus Quintus accusauit incuriam adolescentiæ suæ in discendo 243
Carolus Quintus modestè se gessit post uictoriam Ticinensem 247
Carolus Quintus incautè proposuit conditiones Francisco captiuo 248
Carpathi montis accolæ 6
Casimirus monachus 38
Casimirus ingreditur monasterium ibid.
Casimirus ex Monasterio reuocatur ad regnum 39
Casimirus Monarcha condit leges in Polonia. 57
Casimirus Secundus euexit Iudæos 110
Casimirus Secundus Rex Poloniæ moritur ibid.
Casimirus Tertius accipit Regnum Poloniæ 145
Casimiri Tertij Regis egestas 183
Casimirus uenit Glogouiam 315
Casimiri Regis disceptatio cum Legato Pontificio 167
Casimirus Georgium superauit splendore 167 315
Casimirus filius Regis Poloniæ infœliciter inuadit Hungariam 182
Casimiri exercitus quem duxit in Silesiam. 187
Casimirus & filius infœliciter obsident Vratislauiam 188
Casimiri exercitus sine disciplina militari ibid.
Casimiri & Mathiæ congressus ad Vratislauiam 189
Casimiri, Mathiæ & Vladislai Regum congressus ibidem
Casimirus ex Silesia redit in Poloniam 191
Casimirus Polonicus moritur 214
Casimirus Teschinensis punit magistratum Glogouiensem 328
Casimirus Poloniæ Rex inuitat Germanos in suum regnum 109
Casimirus Rex lenis agit conuentus in suo Regno 185
Casimirus à suis subditis contemnitur & ludibrio habetur 166
Casimirus parat bellum in Silesiam 186
Casimirus per ironiam fuit inuitatus ad nuptias Mathiæ 159
Casimirus Poloniæ & Vladislaus Bohemiæ Reges excommunicantur à Legato Pontificio Balthasare de Piscia 199
Casimirus Loctici filius turbat pacem initam cum Bohemis contra pacta 309
Caspar Sliccius non uult interesse condemnationi Iohannis Hußi 120
Caspar Nosticius ductor exercitus in Polonos 320
Catalogus Episcoporum Silesiæ 375
Cattus fluuius Silesiæ uehit arenam auream 267
Causa uera odiorum & bellorum inter Polonos & Principes Silesiæ 95
Celticum bellum in Italia 19
Celtæ qui olim fuerint dicti ibidem
Cereuisia Silesiæ 267
Cereuisia Glogouiensis 27
Cereuisia Vratislauiensis 267
Cetericus Silesius fuit spectator mortis Ludouici 253
Chœnix dimensum diurnum serui quanto precio olim emtum sit 296
Christianam doctrinam esse uerissimam & certissimam 8
Christina coniunx Vladislai accusatur tanquam fax belli ciuilis 51
Christina cum paruis liberis eijcitur in exilium 52
Christianorum Regum odia & ambitiones exacuerunt gladios Turcicos 170. 183
Christianorum Regum & Principum conuentus quales esse soleant 236

Christophorus Lursius relegatur ex ciuitate Glogouiensi 342
Christophorus Nimcius Capitaneus Ducatus Glogouiensis 358
Chronicorum libri, à Philippo & D. Peucero conscripti, commendantur 4
Christophorus Niger Latro audacissimus laqueo necatur 231
Cimbariæ matris Friderici Tertij Imperatoris ingens robur 120
Cimbri sunt Germani apud Herodotum 9. 10
Cimbri & Heneti habuerunt promiscuas sedes 10
Cimbrorum prima profectio ad Tauricam Chersonesum 13
Cimbricum bellum 19
Cimbrorum uel Germanorum miserabilis strages 19. 20
Cimmerij Homeri sunt Cimbri 9
Cimmerij sunt à Gomer 11
Cimmeriorum historia apud Herodotum 9
Circassorum Regio ubi sit 237
Circumgestatio panis Theatrica quo tempore instituta sit 82
Clemens Episcopus Smogrensis 37
Clemens Primus 377
Clemens extirpauit idolomaniam ibid.
Clemens Septimus oppugnatur à Pompeio Columna 345
Clemens præfectus Glogouiensis fortiter sese gerit in prælio Tartarico 304
Clizdorffia munitur à Conrado Glogouiensi 89
Cõbena 299
Cœlibatus Sacerdotum stabilitur in Polonia 61
Cœlibatus Sacerdotum instituitur in Silesia 272
Collegia Canonicorum fuerunt scholæ 31
Collegium S. Crucis erigitur Vratislauiæ ab Henrico Probo 274
Collegij Vratislauiensis intestina dissidia 388
Colomannus Hungariæ Rex uiolat milites Godefridi Bilionei 45
Columbi Genuensis res gestæ 216
Cometa nuncius mortis Boleslai Poloni apparet 37
Cometa uisus est ardere tempore Casimiri Regis Poloniæ 40
Cometa proxime anteceßit circumgestationem panis consecrati 82
Cometæ conspicitur, significans & denuncians cladem Bohemiæ 166
Cometæ denuo conspiciuntur 182
Cometa arsit 181. 221
Concilium Pisanum & Mediolanense contra Iulium 229
Conradus Albus Olsnicensis eijcitur ex suo Ducatu 357
Conradus Cæsar minatur bellum Polonis 52
Conradus Albus coniungit se cum Latronibus Bohemicis & Polonicis 143
Conradus Albus capitur à filio suo Conrado Albo & mulctatur Ducatu 146
Conradus Cæsar Polonis infert bellum 53
Conradus Primus Glogouiensis moritur 57
Conradus filius Henrici Barbati extinguitur lapsu 61
Conradus Masauiensis bellum infert Henrico Barbato Ethnarchæ Poloniæ 64
Conradus Episcopus Vratislauiensis cedit dignitate sua 144
Conradi Secundi Glogouiensis nuptiæ. 80
Conradus munit Pridomiam ibidem
Conradus Secundus occupat Glogouiam ibid.
Conradus Secundus Glogouiensis accedit ad secundas nuptias 83
Conradus mulctatur propter dotem uxoris mortuæ ibid.
Conradus Glogouiensis oppugnat Henricum V. Vratislauiensem 87
Conradi Glogouiensis crudelitas in nepotem 87
Conradus Glogouiensis reconciliator 89
Conradi Secundi Glogouiensis exitus ibid.
Conradi Stinauiensis simplicitas 91
Conradus Stinauiensis ex carcere liberatur à sua nobilitate 91
Conradus Primus Princeps Glogouiensis 304
Conradus Henrici Barbati filius extinguitur in Venatione 304
Conradus Secundus occupat Crosnam & muniuit Pridomiam 305
Conrado attribuitur Glogouia ibid.
Conradus abduxit Boleslaum fratrem captum ibid.
Conradus exornat Glogouiam ibid.
Conradi crudelitas in nepotem ex fratre 307
Conradi mors ibidem
Conradus Gibbosus Stinauiensis ibidem
Conradus Primus Senior 385
Conradus Episcopus Vratislauiensis amauit Ceremonias ibid.
Consaluus Hispanus fœliciter medetur morbo Gallico 217
Consaluus Regnum Neapolitanum redigit in potestatem Hispanorum 220
Conscientiæ tranquillitas summum bonum 49
Constancienſis concilij exordium 120
Constantinopolis expugnatur 147
Contubensis arx occupatur à Principe Iohanne 336
Coributhus frater Vladislai Iagellonis inuadit Bohemiam 124
Coributhus euocatur ex Bohemia 125
Corpora humana maxime immutari ab aëre circumstante 282
Costensis ditio occupatur à Vladislao Lotrico 100
Costense territorium amittitur 309
Costensis ditio olim fuit adiuncta Ducatui Glogouiensi 305
Cotbus

Cotbusium remanet in potestate Marchionis Brandeburgensis 167
Cotbusiense territorium uastatur à Iohanne Pri busiense 329
Cracus Rex condidit Cracouiam 27
Cracouiensis Academia defendit concilium contra Pontificem 135
Cracouiæ antiqua iura sua Locticus Rex adimit 93
Cretensis Archiepiscopus non bene rem gerit in Silesia & Polonia 165
Cretensis Archiepiscopus offendit Polonos 169
Creutzberga frustra obsidetur à Principibus & Ciuitatibus aliquot Silesiæ 127
Crosnæ nomen quid significet. 291
Crosna & Zulichia sunt auulsa à Ducatu Glogouiensi 263
Crosna uenit in potestatem Henrici Probi 306
Crosna occupatur à Marchione 325
Crosnenses deuastant agrum Freistadiensem 326
Crosnæ miserabilis conflagratio 335
Cruciferorum ordo quando & qua occasione cœperit 61
Cruciferorum ordo migrat ad Borussos 63
Cruciferorum Magister interficitur in prælio Tartarico 71
Cruciferi strenuè arcent Borussos & seruant Poloniam 82
Cruciferi superant Casimirum Regem 152
Cruciferi transigunt cum Casimiro Rege 171
Cruciferorum seditio in Hungaria 232
Culmensis ager attribuitur ordini Teutonico 63
Cunigundæ mors & fabellæ de ipsa 88
Curzbachij liberi Barones 263
Cuzena arx munitur Conrado à Glogouiensi 89
Cyprianus Primus 382

D

Dacij apud Herodotum 9
Danorum Ecclesiæ constituuntur 23
Daniel Timon scriba Glogouiensis male accipitur à Capitaneo 358
Danubij fontes ubi sint 5
Decimæ sunt concessæ Episcopis in Polonia 32
Delphinus Gallicus inuadit Heluetiam, & tenditur 143
Dies nefasti Regibus Bohemiæ 105
Diodorus siculus de migrationibus populorum 13
Dominicanorum Cœnobium exstruitur Glogouiæ 305
Dona Dei agnoscenda & celebranda esse grato animo 2
Donauiensibus Baronibus adimitur Hernstadiensis ditio 357
Draculæ Valachi colloquium cum Vladislao Varnense 140
Drusus Augusti Cæsaris Priuignus Germaniam uastat 20
Ducatus Glogouiensis 285
Duellum in urbe Glogouiense 820

E

Ecclesiæ Germanicæ laudatæ ab Irenæo 30
Ecclesiæ nomen Mathias semper est uenera tus 208
Ecclesiæ & studia in Silesia 267
Ecclesiæ in Silesia paulatim sunt inquinatæ superstitionibus 385
Eclipsis Solis horribilis 121
Egidius Cardinalis Tusculanus constituit Ecclesias in Polonia 30
Electionis mos in Ecclesia 377
Electionis mos mutatur in Ecclesia 378
Elisabetha filia Sigismundi Cæsaris, uxor Alberti Imperatoris 129
Elisabethæ Thuringiacæ stirps & Parentes 73
Elisabetha Thuringica refertur in Catalogum Sanctorum 164
Elisabetha uidua Alberti extinguitur 136
Elisabetha Poloniæ Regina noluit Mathiam generum 189
Elisabetha coniunx Friderici Lignicensis moritur 238
Elysiorum & Ilingorum sedes 6
Elysij sunt ab Elisa filio Iauan 12
Elysij campi nominati nouæ sedes Germanorum 15
Elysiorum seu Lygiorum ueterum res gestæ 18
Elysiorum pietas celebrata à Tacito 300
Elysij campi unde sic dicti 15
Elysa fuit doctor pietatis 12
Encænia Poloniæ & Silesiæ 31
Episcopatus nouem constituti in Polonia 31
Episcoporum labores qui fuerint olim ibid.
Episcoporum superbia & alia uitia reprehenduntur à Mathia Rege 208. 209
Episcoporum Hungariæ, florente regno, quantus fuerit fastus 250
Episcopi interfecti in prælio Varnensi 142
Επιτίμια imposita Polonis à Romano Pontifice 39
Erasmi iudicium de doctrina Lutheri 241
Erasmus Benedictus Ordinis scholæ Freistadiensis 268.374
Erasmus fuit præceptor Ferdinandi Cæsaris 255

Erenfridi Comitis Palatini filia nubit Mieslao Regi Poloniæ 34
Erneſtus Tſchamerus liberat captiuos ciues Glogouienſes, iam interficiendos 362
Erneſtus Elector Saxoniæ iurat in uerba Mathiæ 187
Erneſtus Tſchamerus reconciliatur Regi Mathiæ 358
Ethnarchæ Poloniæ 42
Ethnicorum conciones quales fuerint 286
Euangelij lux quo tempore & occaſione in Papatu obruta & extincta fuerit 81
Europa oculis ſublatis intuetur Filium Dei 238
Europæ nunc fatalem impendere mutationem & ruinam 34
Exempla uirtutum eſſe imitanda 3
Exemplum Principis pie migrantis ex hac uita etiam ſub triſti caligine Papiſticarum ſuperſtitionum 103
Exemplum ſummæ & deteſtandæ leuitatis in Principe 95
Exemplum puniti horribilis parricidij 88
Exemplum inuſitatæ crudelitatis 88.233.306
Exemplum humanæ infirmitatis in Boleslao Secundo Poloniæ Rege 42
Exemplum ioci ſcurrilis 51
Exemplum Verſus: οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδίκων τίσιν οὐκ ἀποτίσει 218
Exempla pœnarum & uaſtationum cur ſæpe cõſiderari debeant 25
Exemplum dicti: Væ qui ſpolias: quia ſpoliaberis 82. 142
Exemplum punitæ tyrannidis & tragicorum peccatorum 28
Exemplum auaritiæ inexplebilis in ſacerdote. 42
Exemplum continentiæ in Virgine Sacra 98
Exemplum iuſticiæ in Boleslao Rege Poloniæ 36
Exemplum famis horribilis in Sileſia 266
Exemplum horribilis furoris & ſeditionis 277
Exemplum diuinitus ſeruatæ ſupellectilis, conflagrante templo Croſnenſi 335
Expoſitio ſtrips & uitæ Beatæ Heduigis 72
Εὐλαβεῖς ſeu uiri Religioſi qui fuerint in Actis cap. 2. 15

F

FAbianus Schöneichius, eques auratus potens conſilijs & opibus 263
Fames horribilis in Polonia 33.266
Fames horribilis in Sileſia 94.266 129. 308
Fames prædicta ab Agabo 266
Fatalium pœnarum imago 67
Ferdinandus Hiſpaniæ & Neapolis Rex moritur 236
Fames horribilis in Polonia 33
FERDINANDVS I. Romanorum Imperator, Hungariæ & Bohemiæ Rex, Archidux Auſtriæ, Princeps Sileſiæ 254
Ferdinandus Primus eſt expertus præſentiam Dei 255
Ferdinandi Natalis ibid.
Ferdinandi ſtudia & præceptores ibid.
Ferdinandus Eraſmum ſemper nominauit Præceptorem ibid.
Ferdinandus fuit peritus Mathematum 255
Ferdinandus ſtudioſè coluit fratrem Carolum 256
Ferdinandi Caſtitas coniugalis ibid.
Ferdinandus coronatur Pragæ 256
Ferdinandus primum ingreditur Vratislauiam, ibidem
Ferdinandi copiæ Iohannem Veidanum ex Hungariam eijciunt 256
Ferdinandum Deus texit contra potentiam Turcicam 257
Ferdinandi bonitas, induſtria & reliquæ uirtutes ibid.
Ferdinandus non oppreßit Eccleſias in Sileſia 257
Ferdinandus fuit ſimilis Theodoſio 257
Ferdinandus fuit amans pacis 258
Ferdinandus fuit tolerans laborum ibid.
Ferdinandi temperantia ibid.
Ferdinandi affabilitas ibid.
Ferdinandi ingenioſa apophtegmata ibid.
Ferdinandus floruit in Senecta ibid.
Ferdinandi exitus placidißimus 259
Ferdinandi Cæſaris elogium de Repub: Vratislauienſi 284
Ferdinandus Rex Hiſpaniæ auus Caroli Quinti moritur 236
Ferdinãdus Auſtriæ Dux celebrat Nuptias Lincij 241
Ferdinandi Cæſaris conuiuia qualia fuerint 258
Ferdinandus Cæſar ter fuit Vratislauiæ 281
Ferdinandus Cæſar recuperat Ducatum Saganenſem à Mauricio Electore 317
Ferdinandus Piſcarius Dux Caroli Quinti occupat Mediolanenſem Ducatum 243.245.246
Ferdinandi Piſcarij mors & mores ac fortuna 249
Feſtum transfigurationis CHRISTI inſtituitur 155
Filij Henrici Secundi Pij Sileſiæ Principes 77
Filij Conradi Glogouienſis 322
Filij Iohannis Saganenſis 323
Flagelliferorum Secta 107
Florentina ſeditio 202
Franciſcus Galliæ Rex prælio fugat Heluetios ad Mediolanum 235
Franciſcus Rex Galliæ & Carolus Hiſpanus iunguntur fœdere 239
Franciſcus Gallus & Henricus Anglus congrediuntur 241

Franciſcus Gallus capitur 247
Franciſci Galli capti uox ibid.
Franciſci Regis morbus in carcere 248
Franciſcus Rex turbatis conditionibus pacis Cæſarem bello aggreditur 248
Franciſci Fabri carmen de uigilantia Sigiſmundi Regis 368
Franciſci pereni Epiſcopi præſagium de clade Mogatienſi 25
Franciſcus Primus 381
Franciſcus Hagecus Dux belli apud Vratislauienſes 181
Franciſcus Hagecus moritur, & ſepelitur in Alba Regali 195
Franciſci Launaldi Pietas 313
Francofurtenſis & Vitebergenſis Academiarum initia 224
Francoſteinum Sileſiæ oppidum obſidione cingitur à Carolo Bohemorum Rege 102
Francoſteinum occupatur à Ducibus Georgij Podiebracij 172
Francoſteinenſis arx occupatur & diruitur à Vratislauienſibus 174
Francoſteinum exuritur à Vladislao Bohemiæ Rege 188
Francoſteinum occupatur à Ducibus Mathiæ Regis 355
Frauſtadium occupatur à Rege Poloniæ 103
Frauſtadium amittitur 309
Frauſtadium defenditur contra Iohannem Pribuſienſem 319
Frauſtadienſis ditio olim pertinuit ad Ducatum Glogouienſem 305
Frauſtadium defenditur contra Henricum Rapoldum 311
Freiſtadium uel Eleutheropolis 292
Freiſtadij commoda ibidem
Freiſtadij ſitus ibidem
Freiſtadij conſtitutio ibidem
Freiſtadio familiaris morbus 293
Freiſtadij magnitudo ibidem
Freiſtadienſes Manſionarij ibidem
Freiſtadienſe forum ibidem
Freiſtadij ætas 293.295
Freiſtadienſis aëris conſtitutio qualis ſit 293
Freiſtadienſis Character unde 294
Freiſtadij appellatio ibidem
Freiſtadij nomen Polonicum ibidem
Freiſtadiũ habet hortos amœnos & fertiles. 293
Freiſtadium quo tempore creuerit 295
Freiſtadienſium ciuium ꝓpes ibidem
Freiſtadienſis arx obſidetur à Iohanne 326
Freiſtadienſis arx obſidio ſoluitur 327
Freiſtadium attribuitur Bartholomæo Monſtebergenſi 368
Freiſtadium redditur à militibus præſidiarijs 352
Freiſtadium redditur Mathiæ Regi 355
Freiſtadienſis Eccleſiæ initium 370
Freiſtadienſis Eccleſiæ fœlicitas 373
Freiſtadienſis Reipub: laus ibidem
Freiſtadienſis Schola 268
Friderici Barbaroſſæ expeditio in Polonos 54
Fridericus Barbaroſſa recipit in gratiam Principes Poloniæ ſupplices ibidem
Fridericus Barbaroſſa cõculcatur à Pontifice. 57
Fridericus Cæſar oppugnatur à ciuibus Viennenſibus 168
Fridericus Cæſar tranſigit cum Mathia 173
Friderici Cæſaris pietas 175
Fridericus Cæſar auertit ſe ab amicitia Mathiæ 179
Fridericus Cæſar reſpicit ad amicitiam Mathiæ 183
Friderici Cæſaris & Caroli Burgundici congreſſus 184
Fridericus Cæſar ſoluit obſidionem Noueſiam 191
Fridericus Cæſar deriſit Ludouicum Vndecimum Galliæ Regem 191
Fridericus Cæſar infœliciter laceſſit arma Mathiæ 196
Fridericus Cæſar tranſigit cum Mathia 198
Friderici Cæſaris animi æqualitas 205
Friderici Cæſaris mors 215
Fridericus Secundus iniuſte accuſatur à Polonis propter pacta inter Ordinem & Regem Poloniæ 64
Fridericus Cæſar coronatur à Pontifice Romano 146
Fridericus Cæſar conciliat filio ſuo Maximiliano nuptias Mariæ Burgundicæ 191
Fridericus Cæſar conuentus agit Ratisbonæ, Mathiamq; grauiter offendit 182
Fridericus Cæſar fuit Sagaciſſimus ingenio 215
Fridericus Elector Brandeburgenſis ſoluit obſidionem Francoſteini 125 (216
Fridericus Cardinalis moritur ex morbo Gallico
Fridericus Lignicenſis repellit Bohemos profecturos ad Iohannem Glogouienſem 340
Friderici Electoris ſapientia 240
Friderici Electoris colloquium cum Eraſmo 241
Friderici Electoris Saxoniæ conſilium de ruſticana ſeditione 249
Friderici Electoris Saxoniæ mors 248
Fridericus Lignicenſis indicit bellum Vratislauienſibus 227
Fridericus Lignicenſis ducit ſororem Sigiſmundi Regis 235
Fridericus Lignicenſis diligenter agit de pace inter Iohannem & Mathiam 342
Fridericus Miſnenſis cedit ex Pruſſia 223
Fridericus Primus poſt magnos motus recipit Lignicium 148
Fridericus Primus collocatur in Ducatum Lignicenſem à Mathia 177
Fridericus Primus Lignicenſis moritur 343
Fridericus Tertius Cæſar denuo adit Romã 174
Friderici Tertij Imperatoris mater 120

Fulco

Fulco Episcopus Cracouiensis turbat Poloniam 58
Fundatio Monasterij Vincentini Vratislauiæ 49
Furstensteinum expugnatur à Mathia Rege Hungariæ 192

G

GAbreta sylua 5
Gabrielis Veronensis monachi fortuna 190
Gabriel Scherdingensis magister Anabaptistarum in Morauia 371
Galatia Regio unde nomen acceperit 12
Galenus custos ualetudinis Imperatoris M. Antonini 21
Gallica lingua fuit Heneta: Gotthica ucrò Germanica 6
Galli unde dicti sint 16
Gallici morbi origo 215
Gallici morbi appellationes 216
Gallici morbi forma ibid.
Gallici morbi remedia 217
Gasto Fossetus Imperator nepos Ludouici Galliæ Regis 229
Gasto interficitur uictor 238
Gedanum magnas consequitur immunitates à Polono 151
Gemes Mahometi filius fit supplex Christianis & male tractatur 205
Genuenses uenditores & proditores salutis Europæ 140
Georgius Bohemiæ Rex, quem Silesia ferme non agnouit pro Rege 161
Georgius Brandeburgicus tegit Vratislauienses 244
Georgius Brandeburgicus tenuit ditiones aliquas Silesiæ 263
Georgius Bregensis moritur 243
Georgius Fronspergius & Marcus Sittius Germani ductores Cæsaris 246
Georgius Monsterbergensis profligatur à Ducatu Suidnicensi 339
Georgius Monsterbergensis & Opicius Colo profugiunt Glogouiam 353
Georgius Monsterbergensis fuit Glogouiæ tempore obsidionis 344
Georgius Podiebracius contendit cum Rege Ladislao & uincit 157
Georgij Podiebracij sermo de Religione Vratislauiæ 152
Georgius Podiebratius constituitur gubernator Bohemiæ 134. 147
Georgius Podiebracius fuit uir sapiens & clemens 278
Georgij Podiebracij Bohemiæ Regis felicitas & successus 172
Georgius Schillingius consul Glogouiensis necatur à seditiosis subditis 314
Georgius Betzeltus Freistadiensis placat Episcopum Vratislauiensem 373
Georgij Podiebracij sapientia, humanitas & patientia 163
Georgius Brandeburgensis adiungitur Regi Ludouico 260
Georgius Podiebracius amauit Vratislauiam 279
Georgius Rex repudiatur à Silesijs 167
Georgius Rex reconciliatur Friderico Cæsari 164
Georgius Rex palam religionem suam profitetur 167
Georgij Regis mors & mores 180
Georgio Regi suboneratur percussor 178
Georgius renunciatur Rex Bohemiæ 161
Georgius reconciliatur Pontifici 163
Georgius iurauit in Religionem Catholicam, ibidem
Georgius à tota fermè Silesia agnoscitur pro Rege 165
Georgius & Casimirus Reges congrediuntur Glogouiæ 167
Georgius & Casimirus Poloniæ Rex iunguntur fœdere ibidem
Georgius Steimius ab Ordinibus Silesiæ exigit pecuniam 206
Georgius Stenius renunciat Iohannem Dominum Ducatus Glogouiensis 335
Georgius Sepusiensis perit in flumine quodam 253
Georgius Steimius uenit Glogouiam cum mandatis Mathiæ Regis 335
Georgius Steinius adipiscitur Steinauiam & Rudnam 357
Georgius Steinius eijcitur ex Silesia 359
D. Georgij templum erectum ex manubijs hostium 318
S. Georgij templum in suburbio frustra tentatur à Regijs 453
Gertrudis Reginæ Hungariæ interitus 60
Germani apud Herodotum 9
Germania fuit fatalis imperio Romano 22
Germani inde dicti 9
Germanorum nouæ sedes dictæ sunt campi Elysij 15
Germanorum ueterum disciplina laudata à Tacito 18
Germani quibus characteribus in scribendo usi sint ibidem
Germanorum strages miserabilis 19.20
Germania horribilibus motibus concutitur 29
Germania superior cito accepit Semen Euangelij 29
Germanicæ Ecclesiæ laudatæ ab Irenæo 30
Germaniæ reddita sunt pax à Ferdinando Cæsare 258
Germani religionem populorum orientalium importarunt in hæc loca 15

Germani & Heneti promiſcuè habitarunt 16
Germanorum ueterum religio 18
Germanorum numina 286
Germanicæ ſcripturæ initium 311
Getæ ubi olim habitarint 10
Getarum Rex Lyſimachum captum dimiſit 14
Getarum magnam olim fuiſſe potentiam 10
Glogouiæ exordia 33
Glogouiæ deſcriptio 286
Glogouia oppugnatur ab Henrico Quinto 46
Glogouia ſuſtinet impetus Henrici Quinti ibid.
Glogouiæ urbis prima mentio 45
Glogouia fuit cara Polonis 46
Glogouiæ reſtitutio 48
Glogouienſis Præfectus acriter tuetur Principem ſuum 71.304
Glogouia excolitur à Conrado & Salome 83
Glogouienſis ditionis uaſtatio 92
Glogouia uenit in poteſtatem Iohannis Regis Bohemiæ 97
Glogouienſis Ducatus 261
Glogouienſis Ducatus miſerabilis ſtatus 203
Glogouia Ioachimi Curei Freiſtadienſis 260
Glogouienſis Ducatus 285
Glogouia antiquißima ciuitas in hoc Ducatu 286
Glogouia inſtauratur ex ruinis Lugiduni 287
Glogouiæ inſtauratio ibidem
Glogouiæ ueteris ſitus 288
Glogouiæ etymon ibidem
Glogouia in alteram ripam translata 289
Glogouienſe collegium fundatur 289.380
Glogouia oppreſſa à collegio ibidem
Glogouia exornatur à Conrado ibidem
Glogouiæ magnitudo 290
Glogouiæ commoditates ibidem
Glogouiæ ſalubritas ibidem
Glogouienſis Ducatus quæ oppida complectatur 286
Glogouia eſt urbs antiqua 287
Glogouiam migrant Germani inuitati à Conrado Glogouienſi 289
Glogouia accipit leges & iura Germanica 83. 289
Glogouienſis ditio multum creuit ſub Conrado Secundo 89
Glogouiæ ſtatus fuit felix & florens ſub Sigiſmundo Duce 222
Glogouia metu aduentantis Imperatoris exuritur à proprio domino 289. 303
Glogouia quando primum cœperit 302
Glogouia quibus uentis ſit expoſita 292
Glogouienſis Ducatus fortuna iniqua 304
Glogouienſis cereuiſia eſt ſucculenta & fumoſa 291
Glogouiæ ſuilli ores morbi ibidem
Glogouiæ ædificia ibidem
Glogouienſis templi turris ibidem
Glogouienſis urbis portæ 292
Glogouienſes pellunt & reijciunt Polonos uaſtantes ipſorum agros 132
Glogouienſis Ducatus amiſit multas ditiones 299
Glogouienſis Ducatus ueteres incolæ 300
Glogouienſis Ducatus ueteres incolæ emigrarunt cum Longobardis 301
Gloglouienſis Ducatus fortuna ſub regno Sclauonico 302
Glogouiæ obſidio 303. 343
Glogouia in alteram ripam translata ibid.
Glogouia incenſa à ſuo Principe ibidem
Glogouienſis præfecti uirtus in prælio Tartarico 304
Glogouienſis Ducatus tempore Conradi Secundi 305
Glogouia traducitur in poteſtatem Bohemiæ Regis 309
Glogouia à Carolo Cæſare diuiditur 310
Glogouia aucta immunitatibus à Carolo Cæſare 310
Glogouia liberat Principem captiuum ibidem
Glogouiæ fuit incendium 312
Glogouia conflagrauit 239.312
Glogouia rurſus perit incendio 312
Glogouienſis Paræci pia liberalitas 313
Glogouienſis Conſul interficitur in ſeditione 314
Glogouienſes ciuitates emunt nouum cultum à Legato Pontificio 315
Glogouiã nouas inſtituit nundinas 318
Glogouienſis templi ruina ibidem
Glogouienſis Ducatus uocatur in diſceptationem 323
Glogouiã excommunicatur ab Epiſcopo 324
Glogouienſis Ducatus iurat in uerba Vladislai 325
Glogouienſis arx traditur Iohanni 333
Glogouia tandem redit ad imperium unius Domini 335
Glogouia incenditur à Polonis 54
Glogouia libenter ſeſe ſubiecit Iohanni Bohemorum Regi 96
Glogouia reſtituitur & exornatur à Boleslao Criſpo 289
Glogouia fuit oppreſſa à ſuis Sacerdotibus 303
Glogouia accipit ius à Carolo Quarto in ſyluis Bythomienſibus 310
Glogouienſis arx oppugnatur à Iohanne 332
Glogouienſis obſidionis initium 342
Glogouienſes ſpectant ad deditionem 348
Glogouienſis arx munitur 336
Glogouiæ ſuburbia exuruntur à Iohanne 342
Glogouia obſeſſa aluit multos ſacerdotes 344
Glogouia habuit mites hoſtes 347
Glogouienſium Senatorum ſcriptum in carcere 349
Glogouienſes Senatores in turri arcis extinguuntur 351

Glogouienſibus Senatoribus erigitur Cœnotaphion 352
Glogouienſes ſupplicio afficiunt magiſtros Anabaptiſtarum 372
Glogouia obſeſſa ſuſtinuit magnam famem 353
Glogouienſis Ducatus calamitates 355
Glogouia deditur exercitui Mathiæ Regi 354
Glogouienſis Ducatus deſponsetur Iohanni Coruino 355
Glogouia incendio perit 357
Glogouia accipit beneficium à Mathia Rege 358
Glogouienſis Ducatus ordines diſtrahuntur 360
Glogouiæ excitatur motus populi contra Capitaneum 360
Glogouienſium ciuitatum actiones coram Legatis Regijs 261
Glogouia anno 1517. tota conflagrat 369
Gneſna urbs Poloniæ condita à Lecho 27
Gneſna capitur à Biſetislao Bohemorum Principe 38
Godefridus Primus Epiſcopus Smogrenſis 32 270. 375
Godefridus Primus eſt inſtaurator pietatis in Sileſia 375
Godefridi Pij labores & ærumnæ 376
Goltberga olim habuit uberes uenas metallicas 70
Goltbergenſis Schola 267
Goltberga oppignoratur Vratislauienſibus à Boleslao Lignicenſi 274
Goltbergæ Hußitæ horrendam ſæuitiam exercent 125
Goltberga uenit in poteſtatem Regis Bohemiæ 97
Gorlicium inſtauratur & munitur à Sobieslao Bohemorum Rege 50
Gotthi ſunt à Gether 12
Gotthorum reliquias adhuc eſſe in Taurica Cherſoneſo 14
Gotthi in Pannonia oppreßi ſunt ab Hunnis & Attila Scytha 14
Gotthicum Regnum 22
Gotthicæ uel Cimbricæ gentes uicerunt Scythas 13
Gotthicæ & Vandalicæ gentes fuerunt punitæ propter furores Arrianos 30
Gotthicæ gentis reliquiæ in Taurica Cherſoneſo opprimuntur à Mahometo 194
Gotthones fuerunt in ripa Viſtulæ Aquilonis 7
Græci ſunt à Iauan uel Ione 11
Græci non diſtinxerunt inter Scythas & Henetos 18
Græcia redigitur in ſeruitutem Turcicam 147
Græci exules poſt captam Conſtantinopolin ueniunt in Italiam 147
Granſonium oppidum deditur Carolo Burgundico 197
Gregorius Pontifex eximit Epiſcopatum Vratislauienſem 110
Griſſenſis cœnobij fundatio 383
Grotcouienſis ditio emitur ab Epiſcopo Vratislauienſi 384
Grunberga uel Praſiæ Elyſiorum 297
Grunbergæ ætas & ſitus ibidem
Grunbergenſes profligarunt Croſnenſes 327
Grunbergæ commoditates 298
Grunberga uenit in poteſtatem Mathiæ Regis 355
Guaiaci ligni uires 217
Gubenæ urbis miſerabile excidium 128
Gunterus Swartzburgenſis Imperator moritur 108
Gura 295
Guræ oppidi ſitus ibidem
Guræ oppidi nomen quid ſignificat 295
Guræ quando primum fiat mentio 296
Guræ ætas 296
Guram amauit Magarita Cilienſis ibidem
Gura oppidum perit incendio 314. 327
Gurenſe bellum ſedatur 334
Guttalus Plinij eſt Viadrus uel Odera 5. 261
Gutſchiorum familia in Sileſia 263

H

HAbdancorum familia in Polonia 47
Habraimus Dux exercitus Turcici in prælio ad Mogatium 252
Hadrianus Sextus Pontifex quomodo perierit 94
Hannouia oppignoratur Vratislauienſibus à Boleslao Lignicenſi 274
Harminij exercitus ex quibus gentibus fuerit collectus 20
Harminius quorum populorum fuerit Dux & Princeps 5
Harminius domi necatur à ſuis 21
Harminius uicit Quintilium Varum 20
Harminij uxor & filius Romæ ducti ſunt in Triumphum ibidem
Heduigis Sileſiæ ſtirps 72
Heduigis ſedat ciuilia bella 64
Heduigis torua pietas 65
S. Heduigis Stirps & uita exponitur breuiter 72
Heduigis filio Henrico Pio ualedicit 69
Heduigis parentes 72
Heduigis fratres & ſorores 73
Heduigis cognatæ Elizabetha & Cunigunda ibidem
Heduigis adoleſcentia 74
Heduigis uirtutes ibidem
Heduigis ardens pietas ibidem
Heduigis Sileſiæ adaidit cultum ibidem
Heduigis næui 74
Heduigis Caſimiri Regis Poloniæ filia promittitur Georgio Bauariæ Duci 193

Heduigis incidit in ſeculum infœlix 75
Heduigis propter ſtipulas non fuit reiecta à Deo ibidem
Heduigis calamitates ingentes 76
Heduigis robur & conſtantia ibid.
Heduigis deceſsio 77
Heduigis apotheoſis ibid.
Heduigis poſteritas adhuc ſuperſtes ibid.
Heduigis filia Regis Hungariæ coronatur in reginam Poloniæ 114
Heduigis Regina Poloniæ moritur 117
Hegij Dauentrienſis ſcripta taxarunt abuſus in religione 214
Heinemannus Dubenſis præficitur urbi Glogouiæ 97
Heinrichouienſis & Camenzenſis Monaſteriorum fundatio 382
Heluecones & Manimi incolæ Poloniæ maioris 6
Heluecones unde ſic dicti 17
Heluetij infeliciter adoriuntur Gallos prælio 235
Heluetij ſunt Quadi 17
Heluetij ſunt ex Heluieconibus ibid.
Heluetiorum pugna ad Baſileam 143
Heluetiorum mores cum natura Sileſiorum congruunt 17
Heluetiorum inopia 196
Heluetij potiuntur ingenti theſauro Caroli Burgundici 197
Heluetiorum bellum cum Maximiliano 220
Heluetij Gallos pellunt ex Italia 230
Heluetij fundunt maximum exercitum Gallorum 231
Henetorum Eccleſiæ quando ſint conſtitutæ 3
Heneti uel Paphlagones apud Homerum 8
Heneti ſunt Sarmatæ ibid.
Heneta gens coniungit ſe cum Cimbris 12
Heneti ſunt nominati Galli 18
Heneti traducti in poteſtatem Principum Germanorum 37
Heneti occupant ueteres ſedes Germanorum 26
Henetorum appellationes 16
Henetorum alij Septentrionales alij Auſtrales 17
Henetorum ueterum patria ubi olim fuerit 19
Henetorum potentia quando & qua occaſione creuerit 26
Heneta lingua propagata in Sileſiam per Polonos 7
Heneta gens valet ingenio 150
Heneti ſucceſſerunt in ſedes uacuas Marcomannorum & Sueuorum 300
Henricus Auceps repreſsit Sclauos 29
Henricus Auceps conſtituit multas Marchias contra Sclauos ibidem
Henricus Bauarus Regem Bohemiæ ad officium compellit 36
Henrici Quinti Imperatoris expeditio in Poloniam 45
Henrici Quinti mors 49
Henricus Barbatus ὁικιστὴς Sileſiæ 59
Henricus Barbatus Princeps Sileſiæ poſtea etiam Poloniæ Ethnarcha 59
Henricus parcit publicæ tranquillitati 62
Henricus Barbatus diuinitus tegitur ibid.
Henricus Barbatus renunciatur Ethnarcha Poloniæ 63
Henricus Barbatus capitur & dimittitur 64
Henricus Barbatus occupat Poloniam maiorem ibidem
Henricus Barbatus conſtituit Rempublicam 65
Henricus Barbatus moritur ibid.
Henricus à Salza primus Magiſter ordinis in Pruſsia 63
Henrici Barbati filij excitant bellum Ciuile 60
Henrici Barbati nepotes ex ſorore 64
Henrici Barbati titulus 65
Henricus Barbatus frequentiſsimè habitauit Vratislauiæ 273
Henricus Dominicus ſenator Vratislauienſis afficitur capitali ſupplicio 213
Henricus Monſterbergenſis acerbè depopulatur Sileſiam 178. 179. 136
Henricus Monſterbergenſis fuit adeptus Ducatum Olſnicenſem & Volauienſem 220
Henricus Monſterbergenſis uenit Glogouiam 338
Henricus Monſterbergenſis ualuit gratia & autoritate apud Vladislaum Bohemiæ Regem ibidem
Henricus Epiſcopus Vratislauienſis homo prodigus 93
Henricus Paſſer 323
Henricus Paſſer totum Ducatum Glogouienſem adipiſcitur 311
Henrici Paſſeris mors & filij eius ibid.
Henricus Rapoldus Glogouienſis profligat Polonos 114
Henricus Rapoldus ſuperat Polonos 311
Henricus Saganenſis pater Henrici Ferrei 309
Henricus Secundus Pius Sileſiæ & Poloniæ maioris Princeps 66
Henricus Pius opponit ſe Tartaris 69
Henricus Pius pene opprimitur ruina ibid.
Henricus Pius inſtruit acies 70
Henricus Pius confligit cum Tartaris ibid.
Henricus Pius pro patria occumbit 71
Henrici Pij ſepultura ibid.
Henrici Pij liberi 72. 77
Henricus Pius uocat Germanos in Sileſiam 273
Henricus Primus Epiſcopus Vratislauienſis 383

Henricus Tertius Vratislauienſis moritur 82
Henricus Tertius Glogouienſis uocatur ad regnum Poloniæ 91
Henricus Tertius Glogouienſis moritur 92.308
Henricus Tertius Glogouienſis addidit nouam formam Ducatui Glogouienſi 307
Henrici Tertij Glogouienſis titulus 308
Henrici Tertij Glogouienſis filij diuidunt patrimonium ibid.
Henricus Tertius Glogouienſis capitur ab Henrico Probo 306
Henricus erexit Epitaphium ſuis liberis ibid.
Henricus Quartus Probus Vratislauienſis filius Henrici Tertij 83
Henricus Probus recipit ditionem Glocenſem 85
Henricus Probus capit & mulctat cognatos Principes ibidem
Henricus Probus reconciliatur Epiſcopo 86
Henricus Probus dimicat de Cracouienſi Ducatu ibid.
Henricus Probus decedit 87
Henrici Probi teſtamentum præbet cauſam tumultibus bellicis ibid.
Henricus Quartus Saganenſis poſt mortem Primislai fratris etiam Glogouienſis 107
Henricus Monſterbergenſis & Glocenſis fuit Princeps ſalutaris 262
Henricus Quintus Ferreus Saganenſis & Glogouienſis ibid.
Henricus Ferreus ſuperauit Biberſteinium Sorauienſem 310
Henricus Ferreus contemnitur in ſenecta 310
Henricus Ferreus moritur 310
Henrici Ferrei Glogouienſis res geſtæ 112
Henrici Ferrei filij ibid.
Henrici tres impuberes 310
Henricorum trium diuiſio ibid.
Henrici Quinti Vratislauienſis mors & liberi 88
Henricus Quintus Obæſus Princeps Vratislauienſis & Lignicenſis 93
Henricus Quintus Vratislauienſis proditione capitur & crudelem in modum excruciatur 88.274
Henricus Sextus Vratislauienſis motus ſcelere fratris coniungit ſe cum Bohemis 96
Henricus Sextus Vratislauienſis moriens reliquit ſuam ditionem Bohemiæ Regi 101
Henricus Septimus Cæſar tollitur ueneno 94
Henricus Decimus Princeps potens & ſapiens 130.312
Henricus Decimus recipit Georgium Regem 314
Henrici Decimi fœdus cum Biberſtenijs 312
Henrici Decimi mors & Elogium 316
Henricus Vltimus ducit Barbaram Brandeburgicam 317
Henricus Tertius Fidelis, Princeps Glogouiæ 90
Henrico Sexto Vratislauienſi ditio Glocenſis datur ad tempora uitæ 96
Henrici Vltimi copiæ uincuntur à Bohemis 316
Henrici Vltimi mors & teſtamentum 321
Henrichouienſis & Camenſis monaſteriorum fundatio 382
Hermundurorum ſedes 5
Hermiones Plinij ibid.
Hernſtadienſis ager adimitur Baronibus Donauienſibus à Mathia 357
Herodoti dictum: Neminem bene monentibus obtemperare 158
Hieronymus Epiſcopus Vratislauienſis 40.378
Hieronymus Epiſcopus migrat Vratislauiam 378
Hieronymi Laſci conſilium perdidit Hungariam 256
Hieronymus Sauanorola comburitur florentiæ 219
Hieronymus Sauanorola temere ſe immiſcuit negocijs Reipub. 219
Hieronymus Kiſuetterus Cancellarius in aula illuſtriſſimi Ducis Saxoniæ Electoris 392
Hildebrandus Pontifex Germaniæ & Poloniæ fuit fatalis peſtis 42
Hiſpani Sclopetarij ſteruunt equitatum Gallicum 247
Hiſtoria de reliquijs Gotthorum in Taurica Cherſoneſo 14
Hiſtoria Tartarica 66
Hiſtoriam prælij Ticinenſis 246
Hiſtoria quid præcipuè deceat 99
Hiſtoria cladis Varnenſis 136
Hiſtoria mortis Ladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis 159
Hiſtoria de pacificatione perfecta ab Electore Saxoniæ & Brandeburgico 190
Hiſtoriæ in Chronicis Polonicis ſunt mutilæ 3
Hiſtorici Germanici à Polonis diſſentiunt 47
Homerus quo tempore uixerit 8
Horas ſuas quomodo Soleant numerare Sileſij & Itali 174
Humana omnia eſſe fragilia 158
Hungarorum appellatio unde ſit 24
Hungaria accepit religionem Chriſtianam 32
Hungariæ regnum turbatur à Socru Sigiſmundi 114
Hungariæ Regnum fatales ſuſtinet clades 249
Hungaria cur à tot Gentibus ſit appetita 63
Hungarorum ſtudium exga Hunnadas 162
Hungaricarum calamitatum quando ſit factum initium 241
in Hungaria quot fuerint Epiſcopatus 308
Hungari & Poloni acerbiſſimè diſſident 184
Hungari ſtulta ſuperbia irritant Turcos 242
Hungari ſub Mathia fuerunt exercitati in bellis Turcicis 203

Hunga-

Hungarorum & Bohemorum disceptatio Vratislauiæ 228
Hungarorum fugientium ex prælio Mogatiensi pauor 253
Hunnorum truculentia & immanitas 23
Hunni & Auari occupant Pannoniam 24
Hunni adoriuntur Poloniam 27
Huniades defendit Vladislaum Varnensem 134
Huniadis genus 135
Huniades reprimit Turcos 136
Huniades magnam stragem Turcorum edit 137
Huniades Carambeium Ducem Turcorum profligatum capit ibidem
Huniades frustra reuocat Vladislaum prælientem 141
Huniades colligit reliquias ex prælio Varnensi 142
Huniades captus à Dracula 144
Huniades rursus reprimit Turcos ibidem
Huniades ab ordinibus regni renunciatur prorex Hungariæ ibidem
Huniades interficit Draculam Valachum ibid.
Huniades superatur à Turcis 145
Huniades capitur à Despoto ibidem
Huniades uincit Turcos ibidem
Huniades perpetuo fuit in excubijs pro orbe Christiano contra Turcos 145
Huniadis autor pacis inter Vladislaum Hungariæ Regem & Amurathen Turcicum 138
Huniades instruit aciem in prælio Varnensi 141
Huniades fuit murus orbis Christiani contra irruentem uim Turcicam 144.154
Huniades reconciliatur Friderico Cæsari 145
Huniadis filius Ladislaus maior natu truncatur capite ibidem
Huniades renunciatur Comes Bistirciensis à Ladislao Posthumo 147
Huniades effugit insidias Ciliani 153
Huniades piè moritur 155
Huniadis Filij conijciuntur in Carcerem 156
Hussancanus uastat Asiam minorem 183
Hussancanus Rex Persicus uincit Mahometum 185
Hußiticorum motuum exordia prim 121
Hußitici uastant Silesiam 125
Hußitici muniunt se contra Pontificios & Sigismundum Cæsarem 123
Hußitica agmina ex multis & diuersis populis fuerunt conflata 277
Hußitarum deprædationum quando factum sit initium 312
Hussitæ magnum exercitum Germanorum profligant 126
Hußitici euertuntur domesticis dissensionibus 128
Hußiticorum rabies in Silesia 124.125.131
Hydrargyrum adhibitum fuit ad Medicationem morbi Gallici 217
Hyems intempestiua 109
Hyperborei sunt Germani 14
Hyperborei habitarunt ad Istrum 15
Hyperborei apud Hecatæum ibid.

I

Iacobus Salzensis noluit opprimere ueritatem & doctrinam Euangelij repurgatam 280
Iacobus Salzensis fuit uir sapiens & eloquens 369.370
Iacobus Salzensis Episcopus Vratislauiensis 241
Iacobus Salzensis fuit Capitaneus Glogouiensis 389
Iacobus Salzensis Episcopus moritur ibid.
Iacobus Salzensis & Balthasar Promicius fecerunt Episcopi salutares Silesiæ 282
Iacobus Scotiæ Rex interficitur in prælio ab Anglis 232
Iacobus Hutterus Magister Anabaptistarum 371
Iagello Lithuanus ducit Heduigin Reginam 115
Iagello Baptizatur & nominatur Vladislaus ibidem
Iagellonis familia ibidem
Iaiza arx Bosnæ capitur à Mahometo 169
Iaiza recipitur à Mathia Hungaro 170
Ianizeri delecti ex Henetis 169
Iaroslaus primus Princeps Silesiæ 382
Iaroslaus Episcopus fuit impius in suum patrem ibidem
Imislaus uel Henno Episcopus Vratislauiensis 380
Imislaus fundauit collegium Glogouiense ibid.
Iaurensis Ducatus 261
Idolatria attrahit pœnas publicas 365
Ieiunium Septuagesimæ quando olim cœperit 273
Ieiunia ueteris Silesiæ 79
Ignis Sacri cultus unde ceperit 11
Imperij Germanici fundamentum & neruus qui sit 111
Illyricæ gentes primæ inter Henetos acceperunt doctrinam Christi 30
Infantis uox Vatidica 84
Ingeuones Plinij qui fuerint 16
Interitus Senatorum Glogouiensium 349
Interregnum 133
Ioachimus à Berg Imperialis Consiliarius 90
Ioachimi Curci familia 232
Iocus prolatus à nobili Polono letaliter uulnerato in prælio contra Cruciferos 99

Ioci scurrilis exemplum 51
Iodocus Rosenbergius autor est Silesijs, ut agnoscant Georgium Podiebracium pro Rege 163
Iodocus Marchio Moraviæ liberat Venceslaum Bohemiæ Regem ex carcere 116
Iodocus Primus 386
Iodocus Episcopus fuit autor Pacis ibidem
Iohannes Baptista religiosè cultus est à Silesijs 40
Iohannes Primus Episcopus Vratislauiensis 379
Iohannes Secundus 380
Iohannes Tertius 383
Iohannes Quartus dictus Rotus Episcopus Silesiæ 387
Iohannis Quarti egregia doctrina ibid.
Iohannes Quartus quædam correxit in abusibus Ecclesiæ 387
Iohannes Quintus dictus Turso Cracouiensis Episcopus Vratislauiensis 388
Iohannes Moschus Primus excutit iugum Tartaricum 67
Iohannes Albertus uenit Posnaniam, & splendidè salutatur à Legatis multorum Regum & Principum 215
Iohannes Albertus frustra inuadit Hungariam 213
Iohannes Albertus renunciatur Poloniæ Rex 214
Iohannes Albertus infœliciter inuadit Valachiam 217
Iohannnes Albertus Poloniæ Rex moritur 221
Iohannes Albertus efficitur Dominus Ducatus Glogouiensis 359
Iohannes Biberstenius Sorauiensis infeliciter gerit bellum 92
Iohannes Boccatius descripsit pestilentiam illam uniuersalem, quæ grassata est anno 1349. pene in toto orbe habitato 107
Iohannes Cardinalis mittit copias uoluntarias in Hungariam 154
Iohannis Cardinalis præsagium de Mathia 162
Iohannes Cantiensis celebris Theologus Cracouiensis 185
Iohannes Capistranus hypocrita 148
Iohannes Capistranus plantauit monachos in Silesia 149
Iohannes Capistranus atrociter sæuit in Iudæos ibidem
Iohannes Capistranus proficiscitur in Poloniam 150
Iohannes Capistranus moritur in Hungaria 155
Iohannis Capistrani conciones 149
Iohannis Capistrani ambitio 155
Iohannis Capnionis uita 243
Iohannes de Temporibus armiger Caroli Magni uixit 372 annos 55
Iohannes Dobergastius Freistadiensis 320
Iohannes Duglossus copiosissimus inter historicos Polonicos 3
Iohannes Episcopus Hauelburgensis capitur à Iohanne 326
Iohannes Gigas Pastor Ecclesiæ Freistadiensis 373
Iohannes Grisca Bohemus 335
Iohannes Catianerus cedit copias Veidani 256
Iohannes Capistranus præliatur Belgradi in Hungaria 154
Iohannis Marchionis Brandeburgici eloquentia & uirtus eximia 190
Iohannes Turso constituitur præses prouinciæ Glogouiensis 226
Iohannes Dobergastius fuit Glogouiæ tempore obsidionis 344
Iohannes Glogouiensis ex urbe exijcit Iudæos 334
Iohannes Glogouiensis transit cum Marchione 335
Iohannes Glogouiensis parat nuptias filiabus suis 338
D. Iohannes Aurifaber Vratislauiensis gener
D. Hessi Gubernator Ecclesiæ Vratislauiensis 393
Iohannes Haunoldus autor est constituendæ Academiæ Vratislauiæ 223.280
Iohannes Haunoldus præfectus Vratislauiensis Senator sapiens 224
Iohannes Hessius emendat ritus Ecclesiasticos Vratislauiæ 249
Iohannes Hessius fuit eloquens 281
Iohannes Hessius erexit ampla Nosocomia Vratislauiæ 284
Iohannes Hessius & Ambrosius Moibanus instauratores Ecclesiarum in urbe Vratislauiensi 280
Iohannes Hessius taxat superstitiones Pontificum 115
Iohannes Hussius afficitur supplicio 120
Iohannis Hussi uox fatidica & precatio eiusdem 121
Iohannes Hussius prædixit tempus repurgationis doctrinæ 238
Iohannes Marchio frustra conatur soluere obsidionem arcis Freistadiensis
Iohanni Ursoni succedit Iacobus à Salza in Episcopatu 389
D. Iohannes Crato ualetudinis Cæsareæ custos 392
Iohannes Morebergius, Inspector Ecclesiarum & Scholarum Vratislauiæ moritur 391
Iohannes Luceburgensis Rex Bohemiæ Silesiam in suam traducit potestatem 95
Iohannes Monsterbergensis Princeps cadit in prælio 126
Iohannes Pannonius Episcopus Varadiensis familiaris Mathiæ Regis. 202.214

Iohannes Pribuſienſis inuadit Poloniam maiorem 186
Iohannes Pribuſienſis lapſus fuit in ignem ibidem
Iohannes Pribuſienſis profligat fratrem Balthaſarem 315
Iohannes Pribuſienſis retunditur ab Henrico Decimo ibidem
Iohannes Pribuſienſis eijcit & necat fratrem ſuum 316
Iohannes Pribuſienſis Ducatum ſuum uendidit Principibus Saxoniæ 317
Iohannes Polacus præfectus Ducatus Glogouienſis homo iniuſtus & Tyrannicus 215
Iohannes Polacus infœliciter rem gerit contra Moſchos 221
Iohannes Turſo Epiſcopus Vratislauienſis moritur 241
Iohannes Vueidanus aſpirat ad regnum Hungariæ 249
Iohannis Bugenhagij Sermo de Propoſitionibus Lutheri contra impia uota Monaſtica 245
Iohannem Regem quid commendauerit Silesijs 275
Iohannes Bohemiæ Rex uaſtat Poloniam minorem 309
Iohannes Rechenbergius adipiſcitur Freiſtadium 369
Iohannes Crecouitius exagitatus à Iohanne Glogouienſi corripitur Phrenitide 339
Iohannes Primus Bohemiæ Rex, Princeps Sileſiæ, Dominus Vratislauiæ & Glogouiæ 98
Iohannes Bohemiæ Rex potitur Sileſia 276
Iohannes Rex Bohemiæ ornauit ciuitates 96
Iohannes Rex eijcit Epiſcopum cum ſua factione 101
Iohannis Regis patientia erga Nancerum Epiſcopum ibidem
Iohannis Regis interitus 104
Iohannes Turſo collega Epiſcopi Vratislauienſis 222
Iohannes Rechenbergius eques Freiſtadienſis floret in aula Sigismundi 226
Iohannes Rechenbergius uictor in ludis equeſtribus 231
Iohannes Pisbeccius eques Freiſtadienſis floret in aula Poloniæ Regis Sigiſmundi 226
Iohannes Rotus fuit ſapiens Epiſcopus 203
Iohannes Rotus Epiſcopus Vratislauienſis corrigit ritus Eccleſiaſticos 214
Iohannes Rotus habuit magna certamina cum ſuis collegijs ibid.
Iohannis Roti Epitaphium 224
Iohanni Saganenſi traditur Ducatus Glogouienſis à Mathia 324
Iohannes Saganenſem Ducatum uendit Saxoniæ Principibus 317
Iohannis Saganenſis ſcelera & mors 313.366
Iohannes Tranſſyluanus profligatur à Turcis 235
Iohanes Marchio fruſtra conatur ſoluere obſidionem arcis Freiſtadienſis 326
Iohannes Varadienſis fuit præditus egregia animi dexteritate 356
Iohannes Varadienſis Epiſcopus Principes Saxonicos & Marchicos reconciliat Mathiæ Regi 356
Iohannes Varadienſis Epiſcopus ingreditur religionem 214
Iohannes Varadienſis Epiſcopus excluditur Glogouia 331
Iohannes Varadienſis Monachus uenit Glogouiam 360
Iohannes Veidanus à quibuſdam acclamatur Hungariæ Rex 248
Iohannes Veidanus non uenit in Caſtra Regis Ludouici 252
Iohannis Veidani crudelitas 233
Iohannis Ziſchærobur & ſucceſſus 122
Iohannes deuaſtat Poloniam maiorem 319
Iohannes occupat Zulichium & Suibuſium 327
Iohannes occupat arcem Beutonicium ibidem
Iohannes ad Francofurtum proſpere dimicat ibidem
Iohannes occupat Belicium oppidum Marchiæ 328
Iohannis exercitus in Caſtris ad Croſnam profligatur à Marchione 329
Iohannes exhaurit ſuos ſubditos grauibus exactionibus ibidem
Iohannes ſeuit in ſuum Conſiliarium 330
Iohannes Veidanus cupit renunciari gubernator Hungariæ 237
Iohannes occupat armis Ducatum Glogouienſem 325
Iohannes munit ſe contra Regem Mathiam 331
Iohannes non patitur ſe flecti ad pacem 332
Iohannes ſacerdotes Glogouiæ poſtulat peccuniam 333
Iohannes Hauguicius ingreditur Glogouiam 354
Iohannes Polacus iniuſtus & ſæuus, conſtituitur Capitaneus Ducatus Glogouienſis 359
Iohannes Polacus ſerit & fouet odiorum ſemina inter ordines Ducatus Glogouienſis 360
Iohannes Polacus acerbè oderat Glogouiam ob fidem præſtitam Regi Mathiæ 364
Iohannes oppugnat arcem Glogouienſem 331
Iohannes proijcit ſtercora in arcem Glogouienſem 332
Iohannes concutit grauiter ſuos ſubditos 334

Iohannes recipitur in gratiam à Mathia Rege 335
Iohannes Senatum Glogouiensem insimulat seditionis 339
Iohannes munit Glogouiam ad tolerandam obsidionem 340
Iohannes munit Glogouiam præsidio Bohemico 341
Iohannes atrociter sæuit in Senatum & magistratum Glogouiensem ibid.
Iohannes eijcitur ex Polonia 366
Iohannes cogit Sacerdotes suos ad peragenda sacra 367
Iohannis scurrilitas cum legeret nouum Senatum 342
Iohannis scurrilitas in colloquio publico 343
Iohanni indicitur bellum ab ordinibus Sileſiæ ibidem
Iohannes adducit Glogouiam milites austriacos 344
Iohannes improsperè dimicat cum Tetauro ibidem
Iohannes deserit Glogouiam 345
Iohannis copiæ auxiliares dilabuntur 347
Iohannes ujgatur exul 354
Iohannes Ducatum Glogouiensem resignat in manus Regis Mathiæ 356
Iohannes Polacus euertit Glogouiam 360
Iohannes Coruinus amittit Ducatum Glogouiensium 358
Iohannes Glogouiensis tyrannicè & perfidiosè perdidit Freistadium 352
Isabecus Magister equitatus Europæi apud Turcum late uastat Europam 182
Isidorus Cardinalis Kiouiensis proficiscitur Constantinopolim ad defendendam urbem, contra Mahometum 147
Isocratis dictum de bellorum euentibus 171
Israëlitæ fuerunt ductores Cimbrorum 14
Italia nostra ætate horribili fame fuit oppressa 266
Italicæ Classis segnicies perdidit Vladislaum Regem 140
Italia abalienatur ab Imperio 117
Iubilæus celebratur in Sileſia 148
Iudæi cur in totum mundum sint dispersi 14
Iudæus quidam capitur à Bernhardo Suidniccnsi & mulctatur à Boleslao Brigensi 95
Iudæi miserabiliter tractantur Lignicij 149
Iudæi fuerunt mixti Germanis 14
Iudæi non sunt recipiendi à Magistratu 150
Iudæi exusti Glogouiæ 312
Iudæorum Synagoga Glogouiæ euertitur à militibus Iohannis 314
Iulianus Cardinalis infœlix mouet bellum in Bohemos 127
Iulianus Cardinalis Pontifex & Græci turbant pacem Turcicam 139
Iulianus Cardinalis perit post cladem Varnensem 142
Iulius Pontifex reconciliatur Venetis 229
Iuramentorum Religio est neruus humanæ societatis 199

K

Kiouia urbs ubi sita sit 28
Kiouiæ urbis delitiæ 40
Kiouia olim fuit patria Polonorum 35
Kobena uenit in potestatem Nobilis domini à Donau 91

L

Ladislaus Posthumus nascitur 134
Ladislao imponitur corona in cunis ibid.
Ladislaus Posthumus unà cum Corona Regni Hungariæ mittitur ad Fridericum Cæsarem 134
Ladislaus puer Romæ coram Pontifice perorat 146
Ladislaus Posthumus Hungariæ & Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ, Princeps Sileſiæ 146
Ladislaus dimittitur à Cæsare Friderico ibid.
Ladislaus Pragæ accipit coronam 148
Ladislaus Strigonienſis Episcopus abundans pecunia cadit in prælio Mogatiensi 253
Ladislaus renunciatur Rex Bohemiæ 134
Ladislaus Rex ingreditur Vratislauiam 152
Ladislaus inuisit Belgradum 155
Ladislaus Rex reconciliatur filijs Huniadis 156
Ladislaus Rex uenit Pragam 158
Ladislaus Rex extinguitur 314
Ladislaus Huniades afficitur supplicio 156
Ladislai Regis sermo denece Cilliani ibid.
Ladislai præceptor conijcitur in carcerem quod uoluerat ipsum subducere ex aula Cæsaris 146
Ladislai soror nubit Casimiro Regi 150
Ladislai Regis error 157
Ladislai Regis sponsalia ibidem
Ladislai sponsa frustra accersitur 158
Ladislao creatur periculum à Legatis Pontificijs ibidem
Ladislaus Rex piè expirat 160
Ladislai morituri sermo ad Georgium 159
Ladislai sepultura 161
Landeshuta occupatur à Iohanne Bohemorum Rege 106
Laurentius Episcopus contraxit letalem morbum ex odore rosarum 65

Laurentius Primus 382
Lechus & Zechus Ductores Sclauorum 26
Lechi regnum placidum 27
Legati Pontificij ueniunt Vratislauiam 273
Legio nigra sequitur Mathiam Regem in Silesiam 187
Legio Christiana precibus suis impetrauit pluuiam 21
Lemouij ueterum quomodo hodie nominentur 7
Leodium urbs solo æquatur à Carolo Burgundico 174
Leo Episcopus exorat Attilam ut parcat urbi Romæ 24
Leo Pontifex tollitur ueneno 243
Leonhardus Hassenheimerus Austriacus Dux Silesiorum 136
Leonhardus Hassenheimerus plectitur capite 144
Leonhardus Primus 378
Leonhardus Episcopus migrat Bicinam ibid.
Leo Pontifex putatur Turcos immisisse Hungaris 243
Lepra seu Elephantiasis quando in Italiam importata sit 216
Lescus Albus oppugnatur à Silesijs 58
Lescus Albus offendit nobilitatem Poloniam castigatione seueriori 62
Lescus Niger Cracouiensis moritur 86
Leubusiensis cœnobij exordium 40.286
Leubense monasterium accipit nouos monachos 57
Lex Mosaica cur fuerit promulgata 15
Libusium oppidum capitur ab Henrico Quinto 45.288
Lichenes & Elephantiasis morbi translati in Italiam 215
Lignicij appellatio unde sit 7
Lignicium & Lubena instaurantur 57
Lignicium uicit Vratislauiam 273
Lignicium incenditur 71
Lignicium est urbs uetusta 286
Lignicensis Ducatus hodie est in potestate Henrici filij Friderici Tertij 262
Lignicensis Senatus trucidatur 148
Lignicenses exoluerunt æs alienum sui Principis 100
Lignicensis Ducatus 261
Lignicensis ager habuit Venas auri 104
Lignicensium Principum stirps 262
Lignicensium Principum laudata nobilitas 77
Lignicium perdidit Boleslaus Caluus 274
Lignicium creuit interea dum Glogouia fuit oppressa à suis Sacerdotibus 289
Lipsia urbis nomen quid significet 288
Ligurini Poëtæ encomion de Longobardis 301
Lithuanicæ gentis Religio 113
Lithuani coluerunt ignem sacrum 15
Locticus Poloniæ Rex criminatur Germanos atrociter 99
Locticus fuit inuisus omnibus Silesijs 275
Locustarum agmina Silesiam & Poloniam implent 195
Longobardi fugerunt regnum Sarmatarum 25
Longobardi inuadunt Pannoniam superiorem 301
Longobardorum regnum in Italia 25
Longobardorum commendatio 301
Longobardorum sedes ubi fuerint antiquitus 25
Lubensis Respub: crescit sub Cæsare Conrado Saliquo 37
Lubecensis Respub: capit multas naues 229
Lubenæ appellatio unde sit 7
Lubena inflammatur à prædonibus Hussiticis 127
Lubena est urbs antiqua 286
Lucilius instruxit Bibliothecam in schola Silesia 378
Lucilius Primus 378
Lucius Cæsar in apparatu belli Germanici moritur 21
Lucretiæ filiæ Alexandri Pontificis horribile Epitaphium 221
Lugidunum apud Herodotum 286
Ludouicus Caroli filius gerit bella cum Polonis & Bohemis 28
Ludouicus Balbus excœcat Principem Sclauicum 28
Ludouicus Rex Vngarus Orphanus contemnitur à suis 237
Ludouicus Hungariæ & Poloniæ Rex socer Sigismundi Cæsaris 113
Ludouicus Hungariæ & Poloniæ Rex, Poloniæ regnum tradit genero Sigismundo ibid.
Ludouicus Pragæ coronatur 226
Ludouicus Hungariæ & Bohemiæ Rex, Princeps Silesiæ 236
Ludouicus & Ferdinandus celebrant nuptias 241
Ludouicus Rex non impetrauit auxilia à Germania 250
Ludouicus frustra à patruo Sigismundo colloquium exposcit 251
Ludouicus fuit proditus à suis 252
Ludouicus collocatur in primam aciem ibid.
Ludouicus Rex suffocatur in aquis 253
Ludouici Regis natalis 224
Ludouici Regis tutores 250.
Ludouici Regis interitus 249
Ludouici copiæ exiguæ 251.
Ludouici nox ante prælium 252

Ludouici sepultura 254
Ludouico Regi omnia euenerunt præter naturam 224
Lugiduni etymologia 287
Luij populi qui fuerint Ptolemæo & Strabo ni 6
Lusatia sæpe mutauit dominos 55
Lusatia inferior recipitur à Georgio Rege 167
Lusatiæ breuis descriptio 264
Lutetia quibus Planetis subiaceat 282
Lutherus orditur instaurationem doctrinæ sacræ 238
Lutherus inchoatam semel telam magna animi constantia pertexit 239
Lutherus taxat indulgentias ibidem
Lutherus Augustæ sistitur Caietano Cardinali 239
Lutheri Confessio in Conuentu Vuormatiensi 242
Lutherus proscribitur à Cæsare & ducitur in Pathmon 243
Lutherus confundit Eccium Lipsiæ 370
Lygij habuerunt peculiarem cultum 15
Lygiorum appellatio comprehendit Silesios 6
Lygij qui fuerint 16

M

Machinarum bellicarum ingens uiolentia 230
Magdalena filia Caroli Septimi Regis Galliæ promittitur Ladislao Regi Hungariæ &c. 157
Magistratuum segnitie & negligentia excitatur & confirmatur licentia & inobedientia in subditis 122
Magnus Primus Episcopus Silesiæ 380
Magog uocabulum quid significet 11
Mahometus incipit regnare 145
Mahometus Turcus accipit uulnus 154
Mahometus occupat Lesbon & Bosnæ Regnum 169
Mahometus inhiat Vualachiæ, Hungariæ & Poloniæ 193
Mahometus cupit constituere Monarchiam 201
Mahometus latè uastat Prouincias Christianorum 182
Mahometus cedit Mathiæ uenienti 186
Mahometus frustra oppugnat Rhodum 202
Mahometi exercitus occupant Hydruntum Apuliæ urbem ibidem
Mahomethus Tyrannus Turcicus extinguitur ibidem
Maiores nostros inquirere æquum est 11
Malsanij liberi Barones 265
Mamaluchi quales homines fuerint 237
Manimi ab Almanis 17
Mansionarij Glogouienses 313
Marcomanni sunt Moraui 5
Marcomannorum regnum quando cœperit 300
Marcomanni gesserunt bellum ingens cum Aureliano Cæsare 22
Marcomanni unde sic dicti, 5
Marchia Noua detrahitur Polonis à Marchionibus 88
Marchia Austriaca à quo & qua occasione sit constituta 28
Marchiæ Misnensis & Brandeburgensis quando & à quo sint constitutæ & erectæ 29
Marchia & dignitas Electoratus donatur Friderico Burggrauio Noribergensi à Sigismundo Imperatore 121
Marchiones ex ruina regni Polonici amplificarunt suas ditiones 264
Marchiæ ueteris ubertas 265
de Marchia noua acerrimæ fuerunt dimicationes, ideoq; aliquoties fuit crudeliter deuastata 298
Marchiæ Misnensis, Brandeburgica, & Lusatica, quando sint constitutæ 302
Marcus Patriarcha & Cardinalis Aquilegiensis ablegatur in Poloniam 183
Margaris Maximiliani filia repudiatur à Carolo Octauo 203
Margarita Ciliensis sapienter respondet Iohanni petenti arcem 331
Margarita Cilensis Glogouia migrat Guram 333
Margarita Cilienſis fuit sapiens fœmina 314
Margarita Cilienſis moritur 335
Margarita Maximiliani filia dimittitur à Carolo Octauo Rege Galliæ 240
Maria Burgundica qualem dotem Maximiliano attulerit 239
Maria Burgundica extinguitur 203
Mariæburgum deditur per proditionem 160
Maria Hungarica nubit Sigismundo 114
Marius delet numerosissimum Cimbrorum exercitum 19
Marobodnus autor regni Marcomannici 21
Moritur in exilio ibidem
Martha mulier Iudaica prædicit Mario uictoriam 19
Martinus Arnoldus Glogouiæ capitur 360
Martinus Arnoldus Glogouiæ necatur 364
Martinus Dobergastius Freistadiensis 320
Martini Heluigij diligentia laudatur 260
Marsigni uel Marsi 6
Massilia urbs quando sit condita. 13
Massilia fuit laudata propter studium doctrinæ & sapientiam Græcam importatam in Galliam 283

Massouia unde sic dicta 38
Mathias Huniades seruatur in custodia 157
Mathias Huniades ex carcere uocatur ad Regnum 161
Mathias Huniades Hungariæ & Bohemiæ Rex Princeps Silesiæ 176
Mathias ducit filiam Georgij 162
Mathiæ indoles ibidem
Mathias sedat seditiones in Hungaria 164
Mathias infert bellum Friderico Imperatori 166
Mathias recuperat Bosniæ Regnum 169
Mathias uincitur & uulneratur in bello Valachico 172
Mathias infert bellum Georgio 172
Mathias grauiter affligit Georgium 175
Mathiæ & Georgij Regum congressus ibid.
Mathiæ Regis ingenuitas 176
Mathias fuit peritus latinæ linguæ 162
Mathiæ Regis liberalitas 179
Mathias habuit plures eosq; potentißimos hostes 180
Mathias uastat Austriam usque ad Bauariam 189
Mathias renunciatur Rex Bohemiæ 177
Mathias uenit Vratislauiam ibidem
Mathiæ Regis ingenium apertum 178
Mathias respuit titulum Imperatoris in bello Turcico 180
Mathias mulctat Episcopos sui regni 183
Mathias uastat Poloniam 185
Mathias denuo uenit Vratislauiam cum exercitu 187
Mathiæ sermo ad Episcopum Vratislauiensem ibidem
Mathiæ castra ad Vratislauiam 188
Mathiæ uox de exercitu Regum hostium ibid.
Mathiæ Ductores uastant Poloniæ oras 189
Mathias exercitum Polonorum pascit ibid.
Mathias paciscitur inducias cum Regibus ibid.
Mathias mulctat Principes Silesiæ 192
Mathias Olsnicensem Ducatum ad se transfert 193
Mathiæ promittitur coniugium Beatricis filiæ Ferdinandi Regis Neapolitanorum 193
Mathias offendit Silesios ibidem
Mathias Sabaciam arcem eripit Mahometo 194
Mathiæ singulare symptoma accidit in oppugnatione arcis Sabaciæ ibidem
Mathias Rex celebrat nuptias 195
Mathias accipit sumtus in bellum Turcicum ex Italia 196
Mathiæ conferuntur insignia regni Bohemiæ à Cæsare Friderico 198
Mathias Rex fuit peritus latinæ linguæ 199
Mathias in disputatione de pace apposite respondet legatis Casimiri Regis 198
Mathiæ & Vladislai Regum congressus in urbe Olomucensi 200
Mathias festiuè castigat impudentem Poëtam ibidem
Mathias & Vladislaus quibus conditionibus transegerint 201
Mathias deuicit quinq; Bassas Turcicos ibid.
Mathias semper litigabat cum uicinis 203
Mathias occupat Viennam 204
Mathias occupat nouam ciuitatem 205
Mathiæ Ductores affligunt multos ordines Silesiæ ibid.
Mathiæ Sermo ad Legatum Baiazetis 206
Mathias reconciliatur Principibus Saxoniæ & Marchiæ 206
Mathias meditatur bellum in Poloniam 206
Mathias irascitur Vratislauiæ ibid.
Mathias Rex mittit equites Pannonios in Silesiam 329
Mathias Rex conatur eripere Iohanni Ducatum Glogouiensem 331
Mathias irascitur Iohanni 334
Mathias meditatur bellum in Poloniæ Regem 356
Mathias diuinitus fuit excitatus ad reprimendum Mahometum Turcicum 207
Mathias Rex mittit exercitum in Silesiam aduersus Iohannem 340
Mathias moritur ex Apoplexia Viennæ 206
Mathiæ Regis uirtutes 207
Mathiæ responsum ad Legatum Mahometi 208
Mathias peccauit Iracundia ibidem
Mathias amauit studia ibidem
Mathias detestabatur auaritiam & uitia Episcoporum 208
Mathias fuit peritus diuinationum Physicarum 209
Mathias dilexit Regiomontanum ibid.
Mathiæ conuiuia fuerunt honesta ibid.
Mathiæ Regis iudicium de facto Alphonsi Regis Neapolitani 210
Mathias oderat Calumnias ibidem
Mathias quale Symbolum usurpauerit 211
Mathias recuperat Regnum Prosniæ, quod Mahometus Regi Stephano ui eripuerat 169. 170
Mathiæ ingenium apertum 178
Mathias profligatur ab Henrico Monsterbergensi 178
Mathias fuit carus uiris doctis suæ ætatis 211
Mathiæ figura & temperamentum 212
Mathias non fuit gratus urbi Vratislauiensi 279
Mathiæ Regis Consiliarij intercipiuntur in Silesia 328
Mathias ornauit Glogouiam 358
Mathiæ Regi Glogouiæ peraguntur exequiæ ibidem
Mathiæ Regis iudicium de gente Silesia 392
Mathias capit Victorinum Regis Bohemiæ filium 178

Matres familias Sileſiæ 268
Mauricius Dux Saxoniæ diuinitus protegitur 63
Maximilianus creatur Cæſar 205
Maximilianus detinetur à Bruggenſibus 205
Maximilianus Cæſar recuperat Auſtriam 212
Maximilianus occupat Albam Regalem ibid.
Maximiliano promittitur ſucceßio in regno Hungariæ 213
Maximiliano deſpondetur Maria Burgundica per literas 191
Maximilianus occupat Veronam, Vicentiam, Brixiam, Patauium 227
Maximiliani Cæſaris Sermo de ſeipſo & Iulio Pontifice, 229
Maximilianus conatur reconciliare Moſchos cum Polonis 236
Maximilianus Cæſar familiam Auſtriacam ad ſummum gradum dignitatis & honorum euexit 239
Maximiliani reſponſum datum Legatis Venetis bellum ipſi denunciantibus 240
Maximilianus parat bellum in Vladislaum 224
Maximilianus expetit amicitiam Moſchi 231
Maximilianus Cæſar & Henricus Angliæ Rex ſuperant prælio Ludouicum Galliæ Regem 232
Maximilianus liberat Moſchos captiuos 234
Maximiliani Cæſaris & Regum Hungariæ atq; Poloniæ conſentus 234
Maximiliani & Sigiſmundi ſalutatio 235
Maximilianus iniuit pacta de ſucceßionibus cum Regibus ibidem
Maximilianus deliberat de bello Turcico 239
Maximiliano eripitur ſponſa à Gallo 240
Maximiliani Cæſaris mors & eius uirtutes 239
Maximilianus Secundus ingreditur Vratislauiam 152
Maximi Tyrij apophtegma de aulis 48
Mechelburgenſes Duces creſcunt potentia ſub Conrado Saliquo 37
Mechtildis Saxoniæ Ducis filia imitat Nobilitatem Germanicam in Sileſiam 90
Mechtildis Henrici Tertij Glogouienſis coniunx fœmina ſapiens 92
Mechtildis exornauit Freiſtadium 294
Mecœnas dat Auguſto Cæſari ſalutare conſilium 275
Mechouius celebris Aſtrologus 234
Medi unde ſint & eorum ſedes 11
Mediolanenſis Ducatus recipitur à Carolo Quinto 243
Melchior Dreißimarchius abſoluitur 362
Melchior Löbelius uaſtat Poloniam maiorem 189
Melancholiæ morbus, εκ πάθος heroicum 510
Mercimonia Sileſiæ 268
Meraniæ Ducatus ubi fuerit 73
Meſericium oppidum capitur à Sileſijs & Hungaris 189.320
Methenſis Epiſcopus bello capitur à Friderico Palatino Rheni 169
Methodius Apoſtolus Morauorum 30
Methone capta à Baiazete 221
Michaël Glincius uincit Tartaros 224
Michaëlis Glincij hiſtoria 225
Michaël Silagio auunculus Mathiæ Regis Hungariæ 161
Mieleſia arx Epiſcopi Vratislauienſis, occupatur à Iohanne Bohemorum Rege 101
Mieslaus Cœcus recipit uiſum 29
Mieslaus Primus Princeps Chriſtianus in gente Sarmatica 29
Mieslaus & Poloni accipiunt fidem Chriſti 30
Mieslai Primi bella & mors 33
Mieslaus Secundus Rex Poloniæ 37
Mieslaus Secundus imbecillis Rex ibid.
Mieslaus Senex Ethnarcha 56
Mieslaus Meſouienſis diſcerpitur à muribus 66
Miſena urbs occupatur à Boleslao Rege Polonorum 35
Miſnia unde nomen acceperit 5
Miſſæ præbuerunt cauſam ad multa mala 313
Mogatienſe prælium 252
Monachorum diuerſa examina unde prodierint 43
Monachi liberantur ex monaſterijs 245
Monarchiæ Romanæ quæ gens fatalis fuerit 22
Monaſterium Henrichouienſe erigitur 61
Monaſteriorum Glogouienſium fundatio 290
Monaſterium Bernhardinorum extructum à Margarita Cilienſe 315
Monaſterium Bernhardinorum ad arcem Glogouienſem deſtruitur 341
Monſterberga occupatur à Ducibus Vratislauienſium 173
Monſterbergenſis Ducatus peruenit in poteſtatem Regum Bohemiæ 106
Monſterbergenſis Ducatus 261
Monſterbergenſium Principum origo 168
Monſterbergenſium Principum ſtirps 262.168
Monſterberga occupatur à Ducibus Mathiæ Regis 355
Monetæ argenteæ uſus cœpit in Polonia 90
Moneta Vratislauienſis ſancitur 321
Monetæ mutatio in Ducatu Glogouienſi 318
Montes Riphæi Sileſiæ 5
Monumentorum ueterum in Sileſia magnam eſſe penuriam 3
Morani & Bohemi inſerti Eccleſiæ 30
Morauia accipit nouos colonos 26
Morauia fit Prouincia Bohemici regni 43
Morauia fuit nidus & communis receptaculum Anabaptiſtarum 370
Moſchi cumulant Idola & ſuperſtitionem 33

Moſchi latiſſime depopulantur Poloniam 38
Moſchi apud Apollonium 9
Moſchi & Paphlagones apud Herodotum 10
Moſchi à Meſech 11
Moſchi inſeruntur Eccleſiæ Græcorum 32
Moſchi profligant Polonos 50
Moſchi uaſtant Lithuaniam 221
Moſchus, uocabulum, unde ſit 11
Muſica omnibus ætatibus in ſacris eſt adhibita 214
Myſi apud Homerum 9
Myſi & Paphlagones apud Herodotum ibid.
Myſi fuerunt Lydij 12

N

NAncerus Primus 384
Nancerus fuit Epiſcopus nimis aſper ibid.
Nanceri Epiſcopi importunitas 101
Nancerus moritur in exilio 102
Naharuari incolæ Maſouiæ 7
Narciſcorum ſedes 5
Nauarrus capitur à Gallis 230
Nazianzenus Olympius præſes laudatus à Gregorio Epiſcopo 393
Neapolitanum bellum motum à Carolo Octauo Galliæ Rege 215
Neuſtadium 299
Neuſtadium conflagrat 320
Neuſtadium occupatur à militibus Iohannis Glogouienſis 329
Nicolaus Dreiſſimarchius conciliat Margaritam cum Iohanne 333
Nicolaus Salmenſis ducit exercitum in Hungariam contra Veidanum 256
Nicolaus Princeps Opolienſis Niſſæ plectitur capite 218
Nicolaus Opolienſis turpiter uixit 218
Nicolai Quinti Pontificis theſaurus 153
Nicolaus Schombergius Legatus Pontificis ad regnum Hungariæ 297
Nicolaus Schombergius offendit Maximilianum Cæſarem 238
Nicolaus Epiſcopus Madruſienſis male rem gerit in Aula Regis Mathiæ 210
Nicolaus Agricola ciuis Glogouienſis plectitur capite 362
Nicolaus Storch, Magiſter Monetarij, Anabaptiſta 370
Nicopolienſis clades 116
Niſſa fluxit ſanguine 83
Niſſa pertinuit ad Epiſcopatum Vratislauienſem 58.263
Niſſa defenſa contra Huſſitas 125
Niſſa obſeſſa uaſtatur à Vladislao Poloniæ Rege 132
Niſſenſis ducatus 261
Noa quam terræ regionem poſt diluuium occupauerit 8
Nobilitatis equeſtris officia 263
Noëma pulcrum quod Mathias Rex iubet nunciari Caſimiro Polonico 199
Nomina ſunt fatalia 288
Noricum apud Homerum 9
Norhualli Boreales Vandali 17
Noueſium qua occaſione obſeſſum ſit à Carolo Burgundico 191
Nouoforum oppidum incenditur 79
Nouoforum occupatur à Bohemis 165
Nouigrodum urbs ampliſſima capitur à Moſcho 201
Nox natalis Domini celebris propter glaciem 222
Nuncenſis ager oppignoratur Bernhardo Suidnicenſi pro captiuo Iudæo 95
Noua terra ſeu America quando & à quo primum ſit inuenta 216

O

ODera fluuius unde nomen acceperit 5
Oeconomiæ Sileſiæ 268
Olauia recipitur à Vratislauienſibus 126
Olſnicenſem Ducatum Mathias Rex ad ſe pertrahit 192
Olſna urbs Sileſiæ occupatur à prædonibus 115
Olſnicenſis Ducatus 261
Olſnicenſis ditio iurat, in uerba Mathiæ 139
Olſnicenſis ditio quando uenerit in manus Principum Monſterbergenſium 262
Opicius Colo uir turbulentus 327.351
Opicius Colo accendit bellum Glogouienſe 338
Opicius Colo Glogouiæ ſeuijt pro arbitrio 344
Opicius Colo cum contumelia excluditur Glogouia 356
Opolienſium Principum origo 80
Opolienſis Ducatus 261
Opolienſes Principes negant auxilia Iohanni Glogouienſi 340
Ordo Teutonicus Marianorum quando, & qua occaſione cœperit 61
Item quo tempore in Pruſſiam immigrarit ibid.
Ordo Teutonicus Poloniæ optimam operam nauauit, ſed malam gratiam retulit 82. 298
Otto Primus quando Imperium Romanum gubernarit 3
Otto Secundus diſcit literas in collegio Hildesheimenſi 31
Otto Tertius Imperator proficiſcitur Gneſnam 33
Otto Tertius ornauit Boleslaum dignitate Regia 34
Otto Tertius inſtituit numerum Electorum in Germania ibidem

Otto Canellarius Henrici Sexti, Apostolus Pomeranorum 73
Otmachania Silesiæ quando sit munita 91
Otmachania per fraudem occupatur ab Hussitis 126
Otmachouiense Collegium quando & à quo sit erectum 385

P

Palatini Poloniæ
Palatinus Rheni cœpit multos Principes 169
Pannoniæ status qualis nunc sit 67
Pannonica lingua affinis græcæ 6
Pannoniæ status qualis fuerit post necem Regis Ludouici 254
Partes Annalium 2
Partus monstrose fœcundus 83
Patriam amare est uirtus 1.3.292
Patriæ situs est cognoscendus 260
Patriæ euentus sunt dulces 261
Patriæ debetur gratitudo 285
Paulus Diaconus autor Paralipomenon Eutropij 22
Paulus Secundus concitat bellum in Bohemiam 170
Paulus Tomoræus Monachus bellator 254
Pax quibus de causis sit colenda 355
Pecorum mira solitas 113
Penuria ueterum monumentorum 3
Periodi fatales regnorum 32.115
Persæ non coluerunt Simulachra 15
Persicæ Monarchiæ initium asperum 12
Perusius eques Lichenes in Italiam primus intulit 215
Pestilentia uniuersalis 107
Pestilentia grauis 311
Pestilentiæ contagia unde afferantur in Silesiam 315
Petri Dani ingenium 49
Petrus Danus miserabiliter mutilatur 52
Petri Dani mors & mores ibid.
Petrus Polacus latro nobilis capitur à copijs Suidnicensium & Vratislauiensium 128
Petri Dani historia 272
Petrus Danus exornauit Vratislauiam 303
Petrus Primus 379
Petrus Glogouiensis tyrannicè tractatur à Polaco Præfecto Glogouiensi 363
Petrus Primus fuit familiaris Stanislao Cracouiensi 379
Petrus Secundus dictus Nouack 385
Philippus Imperator interficitur ab Ottone Vitelsbachio 73
Philippus Burgundiæ Princeps capitur in pugna ad Nicopolim 116
Philippi iudicium de ingenijs Silesiorum 264
Philippi piæ cogitationes de Israelitis ducloribus Gottorum & Henetarum 14
Pirchameri Norimbergensis historia de reliquijs Gottorum in Taurica Chersineso ibid.
Piastus ciuis Crusuicensis autor stirpis Regiæ in Polonia 28
Pilsna tentatur à Ducibus Vladislai Regis Bohemiæ 158
Piscarij fortissimi Ducis obitus 249
Pius Senensis Pontifex 163
Pius Pontifex damnauit Casimirum 166
Pius Senensis donat Vratislauiæ Iubilæum ibid.
Pius Senensis denuo persequitur Georgium Regem 169
Pius Senensis moritur 170
Pius Senensis excitat funestum bellum ad Rhenum 168
Plutarchus de bello Cimbrico crudelissimo 19
Polacus sæuit in ciues Glogouienses 362
Polcouicium 299
Polcouicium oppidum conflagrat 314
Polycrates Samius recuperauit Smaragdum proiectum in mare 211
Polonicæ gentis sedes quæ fuerint antiquitus 25
Poloniam adoriuntur Hungari 27
Poloni coniungunt se cum Hungaris aduersus Germanos 28
Poloni quando acceperint religionem Christianam 29
Poloni nobiles sunt impatientes castigationum 38
Poloni qua de causa capita sua radant 39
Poloni profligantur à Moschis 50
Polonica gens Ordini Teutonico multis nominibus gratiam debet 82
Polonia denuo creat Regem 88
Poloniæ regnum ab Episcopis est euersum 95
Polonia uastatur à Iohanne Bohemorum Rege 98
Poloni sæpè rumpunt fœdera & pacta inita cum Cruciferis 100.104
Polonici scriptores fuerunt iniqui Mathiæ 211
Poloni cæduntur à Stephano Valachiæ 217
Poloni capti à Stephano uenduntur in Turciam 218
Polonici oratores ualde offendunt Sigismundum Cæsarem 123
Poloni dicti à Camporum planicie 26
Polonia duriter fuit afflicta exulante Casimiro 38
Polonicæ Reipub. status miserabilis 87
Poloniæ Regnum euersum est à Romano Pontifice 42
Poloniæ regnum turbatur electo Sigismundo 114
Poloniæ & Bohemiæ Reges congregantur Vratislauiæ 118
Poloni in Bohemia funduntur 122
Polonorum castra inuasit incendium ad Vratislauiam 189

Polonica gubernatio similis fuit olim seruituti 275
Poloni nolunt conferre pecuniam ad structuram templi D. Petri Romæ 227
Poloni sternunt Tartaros 231
Poloniæ regnum fit tributarium Romano Imperio 34
Polocensis ditio occupatur à Moscho 57
πολυπραγμοσύνη semper fuit infelix 93. 136. 172. 338. 196
Pomerania uenit in potestatem Marchionum Brandeburgensium 57
Pomerani fuerunt perpetui hostes Polonorum 303
Pompilius Princeps Polonorum discerptus à muribus 28
Pontifex Romanus facit sibi regnum Poloniæ tributarium 39
Posnania capitur à Bohemorum Principe Bisetislao 38
Pontificiorum quæstorum magna fuit impudentia olim 238
Pontifex Romanus inflammat bellum in Polonia 64
Pontificum spiritus quanti olim fuerint 167
Pontifex conatur traducere in suam potestatem regnum Hungariæ 238
Precia rerum fermè manent eadem in mundo 26
Pretislaus Primus 384
Pragensis Academia migrat Lipsiam 116
Pragensis seditio aduersus Vladislaum 204
Pragensis seditio in Vladislaum & Ludouicum 226
Praga Metropolis Bohemiæ capitur à Henrico Tertio 39
Pragam olim non fuisse minorem Florentia 108
Pragensis Senatus trucidatur à Seditiosis Hußitis 122. 204
Praga obsidione cingitur à Sigismundo Imperatore 124
Praga splendide fuit exornata à Carolo Quarto Cæsare 277
Primislaus Posthumus Princeps Poloniæ Maioris tandem quoq; Poloniæ Rex, nascitur 81
Primislaus Princeps Poloniæ Maioris Pius & iustus moritur 61
Primislaus Princeps Poloniæ Rex trucidatur 88
Primislaus Poloniæ Rex iugulat suam coniugem ibid.
Primislaus Glogouiensis non discedit à Polonis 97
Primislaus Glogouiensis industria & fortitudo 308
Primislaus Glogouiensis moritur 97
Primislaus Princeps Scholasticus Glogouiensis moritur 328
Primislaus Sprottensis extinguitur 306
Primislauia 299
Principes Glogouienses 90. 92. 107. 112. 118. 130
Principum Lignicensium & Bregensium origo 28
Principes Lignicenses 105. 109. 118. 139
Principum Silesiæ Origo unde sit 55
Principes Vratislauienses & Lignicenses 93
Principes Saganenses 131
Principes Suidnicenses 90. 14
Principes Silesiæ & Masouiæ excluduntur à Regno Poloniæ 115
Principes Silesiæ Olsnicenses & Stinauienses 130
Principes Suidnicenses 104
Promicij liberi Barones 263
Prosper Columna Dux Caroli Quinti 243
Prostha pagus exuritur 346
Prothasius Episcopus Olomucensis ablegatur ad Casimirum Polonum 173
Prußiæ ueteres incolæ 36
Prußica gens discedit à suo magistratu 151
Prutenici belli semina 150
Prutenis donantur magnæ immunitates à Rege Poloniæ 151
Prußia auellitur ab Imperio Romano 171
Psalmi querela de Moschis & Turcis 11

Q

Quadorum sedes 5
Quadi unde dicti 17
Quadi ex Silesia progressi sunt in Heluetiam & Galliam 269
Quadi non cesserunt Romanis 22
Quadi oppugnarunt Valentinianum ibid.
Quadorum & Marcomannorum uirtutes & uires 22
Quadragesimæ Ieiunium mutatur 273
Queissæ fluuij fontes ubi sint 261

R

Rascij ueniunt ad Glogouiam 345
Ratiboriensis Princeps mulctat Mathias Hungariæ Rex 192
Rasciæ aliquot oppida recipiuntur à Mathia Rege 170
Rascianorum captiuorum à Turcis magna caterua liberatur à Mathia 169
Ratiborienſis Ducatus ubi sit 261

Ratiborienſis & Tropauienſis Ducatus 261
Ratisborienſis Collegij fundatio 383
Ratiboria obſidetur ab Henrico Probo 86
Rauennate prælium 131
Regiomontanus diligitur à Mathia Rege 209
Recenum oppidum Sileſiæ occupatur ab Henrico Cæſare 46
Regnum Poloniæ fuit tributarium Imperio Romano 34
Regum congreſſus Cracouiæ 110
Religio uera eſt anima Reipub. 376
Religionis ſtatus ſub Mieslao Principe Chriſtiano 31
Religionis diſſidia non ſunt decernenda armis 389
Religio in toto orbe terrarum commutata eſt 238
Res Lignicenſes 148
Reſpublicæ Sileſiæ 268
Rhetia quando ſic occupata à Sueuis 5. 20
Rhodus occupatur à Solymanno Imperatore Turcico 244
Riſſinorum familia unde ſit orta 62
Riphæi à Riphat & ſunt Sarmatæ 11
Riphæi ſunt Heneti ibid.
Riphæi montes Sileſiæ à populis Riphæis 5. 27
Ritus obſeruatus à nobilitate in templis 32
Rixa neptis Ottonis Tertij deſpondetur Mieslao filio Boleslai 34
Rixa Regina Vidua cum filio Caſimiro proficiſcitur in exilium 38
Rixa exul ſeruauit regnum Poloniæ 39
Rixa moritur in Germania ibidem
Rodiezana moritur 180
Rodolphus Legatus Pontificius uenit Vratislauiam, eamq; armat contra Bohemos 170
Rodolphus Legatus Pontificius eligitur in Epiſcopum Vratislauienſem 173
Rodolphus Legatus Pontificius dona ſibi oblata offert Magiſtro Ordinis 117
Rodolphus Epiſcopus Primo uenit Glogouiam 318
Rodolphus Epiſcopus excluditur à Glogouia 324
Rodolphus Primus 386
Rodolphus Saganenſis uictor cadit in acie 314
Roma quanto ſpacio diſtet à Tybure 210
Roma capta à Gallis 19
Roma capta à Gotthis & Vandalis 23
Rugiorum ſedes ubi ſit 7
Rupertus filius Venceslai Solæ Lignicij dominatus eſt 109
Rupertus Comes Palatinus Rheni renunciatur Imperator 117
Rupertus Primus 380
Ruſticanæ ſeditionis ſemina 245
Ruſticana ſeditio in Germania 248
Rythmi de ciuitatibus Ducatus Glogouienſis 318
Rythmi in Iohannem exulem 319

S

Sabaca arx expugnatur à Mathia Rege Hungariæ 194
Sacarum apud Herodotum etymologia & ſedes 9
Sacerdotis Lygii habitus peculiaris 15
Sacerdotes fuerunt Mariti 31
Sacerdotum collegium ex urbe Glogouia in inſulam ſuburbanam transfertur 83
Saganæ appellatio unde ſit 7
Saganenſis Ducatus 262
Saganum incenditur à Iohanne Pribuſienſi 317
Saganenſis turris ruina 313
Saganum occupatur à Iohanne Pribuſienſi 315
Saganenſis Ducatus uenit in poteſtatem Principum Saxoniæ 317
Saganenſis Ducatus conſtituitur 311
Saganum fuit tranquillum & fœlix ſub principibus Saxoniæ 317
Saganum incendio perit 336
Sal quo utitur Sileſia 267
Salome Glogouienſis deſpondetur Alberto Monſterbergenſi 336
Salome Glogouienſis moritur 83. 305
Salome Poſnanienſis mulier ſapiens & pia, cuius conſilio exornata fuit Glogouia 289 290
Salome Stinauienſis moritur 857
Sancti in hac uita circumferunt multos nævos & peccata 76
Sancti Stanislai apotheoſis 380
Sanctorum hominum memoria retinenda eſt 72
Sancti quomodo ſint honorandi 72. 77
Sarmatæ apud Herodotum 10
Sarmatarum Imperium in Lygios uel Sileſios quando cœperit 24
Sarmatarum ſedes quæ fuerint antiquitus 26
Sarmatarum uicini qui olim fuerint 27
Sarmatica gens non fuit ſtudioſa ædificationum 286. 291
Sarmatæ ſunt egreſſi ex Moſcouia in Poloniam & Sileſiam 25
Sarmatæ fuerunt Heneti non Scythæ ibid.
Sarmatæ ſe nominarunt Sclauos 26
Sarmatici regni initium poſt mortem Attilæ 24
Saxonum in puniendis libidinibus probibitis iuſta ſeueritas 18

Saxonica gens flectitur ad agnitionem Dei à Carolo Magno 30
Sæuitiæ inhumanæ exemplum 233
Sbigneus mouet bellum contra patrem 43
Sbigneus denuo exulat 45
Sbigneus reuocatus ab exilio domi necatur à fratre 48
Sbigneus Cardinalis moritur 153
Schencius Marchicus necuit suis dominis 304
Sclauorum Imperium in Silesia quando cœperit & quandiu durauerit 25
Sclauus dicitur à nobilitate 18
Sclaui delentur in Misia & ad mare Balthicum 53
Sclaui sero acceperunt religionem Christianam 29
Sclauorum regnum ab initio fuit inops 301
Sclauonici regni Periodus 302
Scriptionis & literarum usum perexiguum fuisse apud Maiores nostros 18
Scythæ fuerunt diuersi à Cymbris 10
Scythæ à Magog 11
Secechus superbus aulicus 43
Secechus eijcitur in exilium 44
Seditiosorum supplicia in urbe Vratislauiensi 227
Selenus multos concutit in Lusatia inferiore 330
Selenus Bohemus uenit in Silesiam missus à Mathia contra Iohannem 329
Selimus per parricidium inuadit regnum 230
Selimus qua de causa Legatos Hungaricos detinuerit 242
Selimus aspernatur conuentus Christianorũ 236
Selimus parat bellum in regna Christianorum 239
Selimus deleto regno Mamaluchorum occupat Ægyptum 236
Selimus gessit asperrima bella ibid.
Selimus in Thracia extinguitur lue 240
Selimi uictoriæ in Syria & Ægypto 236
Selimi parricidia horribilia 231
Selimi pugna acerrima cum Persis 234
Semouitus Princeps Schlauorum felix 28
Sena Italiæ condita à Senonibus 19
Senones à pietate & cultu Sacro dicti 4
Senonum sedes quæ fuerit antiquitus ibid.
Serui in Comœdijs 6
Siccitas aëris inusitata 283
Siciliæ ubertas 265
Sygynæ sunt Vandali 16
Sigfridus Promicius Præfectus Ducatus Glogouiensis 317
Sigismundi ab Herberstein sententia de uetusta Polonorum sede, & nominis etymologia 26
Sigismundus Marchio Brandeburgensis eligitur in Regem Poloniæ 113
Sigismundus Creatus Cæsar 119
Sigismundus Cæsar Burggrauium Noricum collocat in Marchiam 121
Sigismundus Cæsar amittit Mariam coniugem 116
Sigismundus excutitur ex Polonia 113
Sigismundus Cæsar defertur Venetias 116
Sigismundus Cæsar capitur 117
Sigismundi Cæsaris secunda coniunx ibid.
Sigismundus Imperator Hungariæ & Bohemiæ Rex, Princeps Silesiæ 122
Sigismundus Cæsar uenit Vratislauiam 123
Sigismundus Cæsar offendit Polonos ibid.
Sigismundus Cæsar infert bellum Bohemiæ 124
Sigismundus Cæsar abalienat Vitoldum à fratre Vladislao 126
Sigismundus Cæsar proficiscitur Romam 128
Sigismundus Cæsar plectit ciues seditiosos Vratislauiæ 123
Sigismundus Cæsar potitur regno Bohemiæ & moritur 129
Sigismundus migrat Glogouiam 222
Sigismundus Glogouia uocatur ad regnum Poloniæ 225
Sigismundus Poloniæ Rex dilexit Glogouiam 368
Sigismundus erexit grandia uectigalia 225
Sigismundus ducit Barbaram Transsyluanam 231
Sigismundus ad Borysthenem Moschos fundit 234
Sigismundus Freistadiensis moritur 314
Sigismundus Cæsar grauiter cæditur à Calepino Turco 119
Sigismundus conatur sibi clam cõciliare Zischam Hussitarum ductorem 125
Sigismundus Cæsar infeliciter rem gerit contra Turcos 123. 126
Sigismundus Casimiri Poloniæ Regis filius à Fratre resignatur Dux Glogouiensis & Tropauiensis 219
Sigismundus Tartaris numerat stipendia, ut Moschos bello urgeant 232
Sigismundo Regi Poloniæ optimè monenti non obtemperatur ab Hungaris 242
Sigynæ Herodoti qui sint 287
Silesia alia superior alia inferior 264
Silesiæ etymon 55
Silesiæ delineatio 261
Silesiæ longitudo & latitudo ibid.
Silesiæ positus ad cœlum 264
Silesiæ ubertas 1.4.265. 266
Silesia studia & Ecclesiæ 267
Silesiæ Ducatus 261
Silesiæ tabula Chorographica 2
Silesiæ fines describuntur 309
Silesiorum ingenia 264

Sileſia qua occaſione aßiduis bellis & miſerijs ſit concuſſa 35
Sileſia inferior diripitur à Bohemis 43
Sileſia diuiditur inter filios Vladislai 55.78
Sileſia uaſtatur & affligitur fame & peſte 61
Sileſia implicatur bello ciuili & funeſto 78
Sileſiæ ſtatus fuit felix Imperante Carolo Cæſare 109
Sileſiæ ſtatus miſerrimus tempore irruptionum Huſsiticarum 131
Sileſia ægre fert electionem Georgij Podiebrecij 162
Sileſia grauiter fuit afflicta à militibus Regis Mathiæ 187
Sileſiorum diligentia & ſedulitas 268
Sileſia adiudicatur Bohemiæ ab Ottone Tertio Imperatore 270
Sileſia diſtribuitur inter filios Vladislai 272
Sileſia quibus cauſis impulſa aſſociauerit ſe regno Bohemiæ 274.275
Sileſia unde ſit dicta 55
Sileſiæ calamitates ingentes 94
Sileſiæ uiri aliquot clari propter doctrinam 390
Sileſiæ nobilitas huc migrauit ex Germaniæ Prouincijs 59.89
Sileſiæ & Germaniæ ueteres urbes quales eſſe ſoleant 287
Sileſiæ motus ſub Wenceslao Cæſare 115
Sileſiæ & Poloniæ inimicitiæ 131
Sileſiæ populus trucidatur in finibus Bohemiæ 174
Sileſiæ benè fuit ſub Ferdinando Rege 255
Sileſiæ præfectus generalis 264
Sileſia redditur Polonis 40
Sileſia grauiter uaſtata à Bohemis 49. 51
Sileſia accepit colonos ex Germania 56
Sileſia affligitur à latrocinijs 143
Sileſij & Poloni profliguntur à Boruſsis 56
Sileſiorum & Polonorum diſtractio & earum origo & cauſa 95. 131
Sileſia fuit regio Poloniæ 3.265
Sileſia incenditur à Legato Pontificio in Bohemos 171
Sileſia iurare ſolet in uerba Regis præſentis 150
Sileſia accipit munus à Pontifice 79
Sileſia redacta in formam prouinciæ regni Bohemiæ 95
Sileſia grauiter afflicta à militibus 193
Sileſia eſt infecta latrocinijs 219
Sileſia accipit nouos Magiſtratus mortuo Rege Mathia 213
Sileſia auulſa à Polonia ex fatalibus cauſis 308
Sileſiæ ſtatus miſerabilis tempore interregni 133
Sileſia eſt expoſita uentis Aquilonaribus & Occidentalibus 264
Sileſia fuit immunis à furoribus Ruſticorum 281
Sileſiæ urbes pleræq; ſunt recentes 286
Sileſia fit ſocia regni Bohemici 265
Sileſia ſub regno Sarmatico coacta fuit accipere leges & linguam Sclauonicam 285
Sileſia quoq; fuit ſub ſeruitute Attilæ 301
Sileſia olim ante regni Sarmatici initia pulcrè fuit exculta 302
Sarmatica gens adducitur ad agnitionem Chriſti 29
Sileſia accipit primos ſuos Principes 304
Sileſia miſere fuit concuſſa furijs ſuorum Principum 305
Sileſia fuit exculta ab Vrbano Epiſcopo Smogenſi 377
Sileſia à Rodolpho Legato Pontificis accenditur in Bohemos 171
Sileſia ſtudio pietatis & honeſta diſciplina excellit 1
Scholæ & collegia quo conſilio olim ſint conſtituta 31
Sileſia floruit ſub Imperio Ferdinandi 391
Sileſia abundat multitudine hominum 267
Sileſia amat munditiem in uictu 268
Sileſij ad Hannouiam profligant auxilia Iohannis Glogouienſis 346
Sileſia fuit neglecta ab hiſtoricis 2
Sileſia inſerta Eccleſiæ Chriſti 2. 3
Sileſia traditur Bohemis ab Imperatore Henrico Tertio 39
Sileſiæ ueteris ueſtigia in nominibus 7
Sileſiæ ueteris deſcriptio ex Tacito & alijs autoribus 4
Sileſiæ Ducatus magna ex parte peruenerunt in poteſtatem regum Bohemicorum 265
Sileſiam eſſe matrem benignam 265
Sileſiæ oppida ſunt populoſa 267
Sileſia genuit Principes præſtantes 3
Sileſiæ ornamenta 1
Sileſiæ gentis prima origo 3.7
Sittauia mulctatur pecunia ab Henrico Monſterbergenſi 178
Sixtus Pontifex cumulat Iubilæos 195
Smogrenſis Epiſcopatus 31
Smolencenſis ducatus traditur Moſcho 225
Solymanus ſuccedit Selimo Patri 240
Solymanus occupat Rhodum 244
Solymanus occupat Belgradum 242
Solymanus occupat Budam 253
Solymanus deteſtatur furores Epiſcoporum interfectorum ibidem
Solymanus præ ſe fert dolorem propter necem Ludouici ibid.
Solymanus ex arce Budenſi abſtulit ueteres ſtatuas 254

Solymanus quater regnante Ferdinando uenit in Hungariam 257
Solymanus ab obsidione Viennæ à Deo repulsus est 257
Sorabiæ appellatio unde sit 7.26
Soraborum sedes ubi sit 26
Spirensis Episcopus bello capitur à Friderico Palatino Rheni 169
Sprea fluuius quomodo olim dictus fuerit 5
Sprotta 296
Sprotta deditur Mathiæ Regi 355
Sprotta perit incendio 318
Sprottæ oppidi ætas 296
Sprottæ situs & constitutio 297
Sprottensis arcis antiquitas 296
Sprottensis arx deditur Ducibus Mathiæ Regis 355
Sprottæ oppidi nomen quid significet 296
Stanislai Episcopi Cracouiensis historia 41
Stanislaus resuscitat mortuum ibid.
Stanislai Apotheosis 80
Statuum Tribunal in urbe Vratislauiensi 264
Stephanus de migrationibus Lygiorum 13
Stephanus Bosniæ Rex trucidatur 169
Stephanus Valachus profligat ingentes copias Mahometi 193
Stephanus Valachus eripit insignem prædam Mahometo 194
Stephanus Valachus rursus Tartaros & Turcos reprimit 195
Stephano Valacho eripitur Bessarabia à Baiazete 204
Stephanus Valachus iurat in uerba Casimiri Regis Poloniæ ibid.
Stephanus Valachus deluditur stratagemate à Casimiro Rege 204
Stephanus Valachus profligat exercitum Polonorum 218
Stephanus Valachus magna agmina Polonorum abduxit in seruitutem 218
Stephanus Valachus moritur 223
Stephani Valachi res gestæ in Tartaros 178. 179
Stephanus Bathorus Princeps copiarum Mathiæ Regis 202
Stephanus Palatinus Transsyluaniæ à Mathia euectus ad magnam dignitatem 224
Stephanus Sepusiensis cum Friderico Lignicensi uastant Poloniam 320
Stesichori dictum de Cycadis sonantibus scelera Tyrannorum 337
Stimuia occupatur & incenditur à Casimiro Polono 309
Stimam peruenit in potestatem Principum Olsnicensium 312
Stirps Ducum Glogōnensium 321
Strabo de eadem 4
Strabo de migrationibus Henetorum 12
Strabonis testimonium de promiscua habitatione Germanorum & Henetorum 16
Stratagemate quomodo sit receptum Landshutum 104
Suantopulci gubernatoris Pomeraniæ facinus sceleratum 62
Suantopultus Princeps Bohemorum interficitur in tentorio Henrici 46.303
Sudetes montes diuidunt Bohemiam à Silesia 261
Sudetes montes unde sic dicantur 5
Sueuiæ etymologia 4
Sueuiæ ueteris limites ibid.
Sueuus fluuius & Sudetes montes à Sueuis 5
Sueui migrarunt in Rhetiam ibid.
Sueui progressi uersus occidentem 20
Sueui militarunt contra Iulium Cæsarem ibid.
Sueui oppugnarunt Harminium ibid.
Sueuorum distinctæ gentes 4
Sueuus Prædo nobilis in Silesia 219. 222
Sueuorum insigne Cæsariem ad humeros usq; demittere ibid.
Sueuus mons quomodo uocetur hodie ibid.
Suibusium oppidum 298
Suibusij appellatio unde sit 7
Suibusium adiudicatur Silesiæ 309
Suibusium deditur Regi Mathiæ 355
Suibusij etymon & Situs 286.298
Suibusij fuit uaria fortuna 298
Suibusienses profligant Polonos 313
Suidnicia obsidetur à Iohanne Rege 104
Suidnicia & Vratislauia opponunt se Hussitis 126
Suidnicensis ditio accipit graues hospites 356
Suidnicenses ciues afficiuntur supplicio Vratislauiæ 244
Suidnicensis Ducatus 261
Suidnicij etymon 286
Superstitiones quo tempore plurimum creuerint 31
Syginæ apud Herodotum 10
Syginæ sunt Vandali ibid.

T

TAbula chorographica Silesiæ 2
Tacitus laudauit disciplinam ueterum Germanorum 15
Tacitus quos populos appellatione Sueuorum complectatur 4
Tamerlanes Scytha capit Baiazetem Turcicum tyrannum 117
Tartari magi & incantatores 71
Tartarorum excursiones 67
Tartarorum irruptiones in Poloniam 68
Tartarorum irruptio sæuissima ibid.

Tartaricus Imperator Chamus quatuor annorum inducias paciſcitur cum Legatis Pontificis 79
Tartarorum crudelitas 68
Tartarorum ſtratagemata 70
Tartari uincunt & domant Moſchos 67
Tartari crudeliter imperant Moſchis ibid.
Tartari domimati ſunt in Moſcouia annos 300. ibidem
Tartari uaſtant Pannoniam 68
Tartari uincunt Polonos ibidem
Tartari rurſus uincunt Polonos 68
Tartari diripiunt & incendunt Cracouiam 69
Tartari fruſtra oppugnant arcem Vratislauienſem 273
Tartari reuertuntur in Hungariam 71
Tartari magnam multitudmem trucidarunt ibidem
Tartari rurſus uaſtant Cracouiam 78
Tartari denuo uaſtant Poloniam & Cracouiam 82
Tartari uaſtant Poloniam 186
Tartaris non permittitur ut inuadant Turcos 170
Tartaricæ uaſtationes incidunt in mediam periodum regni Polonici 68
Tempeſtas ſæua in ducatu Glogouienſi 330
Terræ motus in Sileſia 512
Terræ motus in Polonia 82
Terræ motus in regnis Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ 137
Teſchinenſis Ducatus ubi ſit ſitus 261
Teſchimenſis & Opolienſis Ducatus 261
Teſchimenſis Ducatus ibid.
Teſchinenſes Principes 262
Teſchinenſes Principes adipiſcuntur Glogouiam 212
Tetaurus uenit in Sileſiam adducens milites ex Legione nigra 342
Thabor urbs Bohemiæ 123
Thaboritæ uincuntur & miſerè comburuntur 128
Theodoricus Rex Gotthorum interfectus 24
Theodoricus Primus 384
Theophilus Bergmannus plectitur capite 330
Thermarum magna utilitas 267
Thermæ Sileſiæ 266
Thomas Primus 382
Thomas Secundus 383
Thomas Archiepiſcopus Strigonienſis conuocat plebem ad bellum Turcicum 233
Thomæ Epiſcopo Vratislauienſi omnia adimuntur oppida 85
Thraciæ regnum apud Thucydidem 10
Theudaſia urbs Tauricæ Cherſoneſi 13
Thucydides hiſtoricus ſapientiſſimus 1
Thuringiaci ſoli bonitas exhauritur Iſatide 265
Ticinum quibus Planetis ſubiaceat 282
Ticinenſis Prælij hiſtoria 246
Timotheus Primus 378
Tomumbeius Rex necatur à Selimo 237
Tranſſyluanos eſſe reliquias Gotthorum 6. 14
Trapezuntinum regnum euertitur à Turcis 147
Trepco mittitur à Ludouico Hungaro ad Sigiſmundum Poloniæ Regem 251
Trebnicenſe monaſterium extruitur 59
Trebnicenſis Cœnobij appellatio ibid.
Triballica & Heneta gens præſtat robore corporis 169
Tſabeliæ nobilis familiæ interitus 336
Tudrus bellum gerit cum Romanis 21
Turcica Tyraunis quando & qua occaſione attracta ſit in Græciam 116
Turcicam Tyrannidem uindicem eſſe idolomaniæ & peccatorum Europæ 121
Turci contra ſuum morem, ſeruant promiſſa equitibus Rhodijs 244
Turci latiſſimè faciunt uaſtitatem 184
Turci pelluntur ex Italia 203
Turci antecurſores inuadunt exercitum Ludouici 251
Turcicum regnum creuit ex diſſidijs Regum Chriſtianorum 183
Turci feliciter reprimuntur & delentur à Mathia Rege 169
Turcicus Tyrannus Mahomet occupat Lesbon & Boſnæ regnum ibid.
Turcorum primæ irruptiones in regnum Hungariæ 116
Turcica tyrannis eſt uindex noſtrorum peccatorum & præcipuè horribilis idolomaniæ 365
Tyrannis & ſæuitia in Chriſtianos punitur 22
Tyrannis mutat imperia 337

V

VAlachi fundunt & delent nobilitatem Polonicam 217
Valachiam infeliciter inuadit Mathias Rex 173
Valentinianus Imperator moritur 22
Valentinus Trocedorſius formator fœlix iuuentutis 267
Valtherus Epiſcopus Vratislauienſis 53
Valtherus Epiſcopus ornat ſuum Collegium 53. 272
Valtherus inſtituit nouæ ædificia & nouos cultus in Eccleſia Vratislauienſi 381
Valtherus Primus ibid.

Vanda-

Vandalorum appellatio unde sit deriuata 17
Vandali sunt Germani & Heneti misti 16
Vandali inuadunt Galliam, Hispaniam, & capiunt Romam 300
Vandalicæ, Gotthicæ & Longobardicæ gentes sunt infectæ labe dogmatis Arriani culpa Imperatorum Græcorum 30
Vandalorum crudelitas in proprias Ecclesias 35
Vandalici regni initia 23
Vandali peruagata Gallia & Hispania irruunt in Aphricam 23
Varnense prælium 141
Varnense prælium anteceßit omen infaustum 141
Varnense prælium secutum memorabile factum 142
Varnensis clados fuit pœna uiolatæ fidei 142
Vartenberga 299. 313
Veiuodæ nominantur septem Principes Palatini in Polonia 27
Venceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex, Silesiæ Princeps 111
Venceslaus Lignicensis perfidiose egit cum fratre Ludouico 105
Venceslaus Cæsar fuit ignauus Princeps 111
Venceslai Lignicensis perfidia punitur diuinitus 106
Venceslaus Cæsar mulctat sacerdotes Vratislauienses 112
Venceslaus Cæsar irascitur peccatis sacerdotum 115
Venceslaus Sanctus interficitur à fratre Boleslao Duce Bohemorum 30
Venceslaus Cæsar capitur 116
Venceslaus Cæsar amouetur ab Imperio 117
Venceslaus Cæsar denuo capitur ibid.
Venceslaus Cæsar distribuit in Silesia Ducatus nouis Principibus 119
Venceslai Cæsaris mors 122
Venceslaus Bohemus inuadit regnum Poloniæ 87
Venceslaus Lignicensis 109
Venceslaus Primus 385
Venceslaus Stinauiensis moritur 320
Venceslao Bohemiæ Regi imponitur Corona Poloniæ 90
Venceslaus Iunior Bohemiæ Rex interficitur Olomuzij ex insidijs 91
Venceslaus Bohemiæ Rex in odium uenit apud Episcopos, quod parum fortiter aduersatus est Hußitis 115
Venceslaus Cæsar captiuus Praga abducitur Viennam à Sigismundo fratre 117
Venceslaus ignauo torpescente feruent motus Hußitici 121
Venda filia Crachi uitago 27
Vendæ seu Heneti in littore Balthico & ad Albim opprimuntur à Germanis 85
Venæ Metallicæ Silesiæ 267
Venetos & Henetas eosdem esse 8
Veneta Respub. Friderico Cæsari exhibet honores exquisitißimos 174
Venata nobilitas in uillis suis deprehenditur & abducitur à Turcis 220
Veneti amittunt multas munitas & præstantes urbes 221
Veneti Maximiliano imperante, grauiter afflict sunt 240
Vernici Consulis Cracouiensis splendor magnificus 110
Veneti uincuntur ad Abduam flumen 227
Veneti amittunt plurimas urbes ibid.
Veneti recipiunt multas urbes ibid.
Veneta urbs terretur Machinis bellicis 232
Venetus Princeps unà cum Mathia Rege, Philippo Burgundiæ Duce & Pio Pontifice profitentur militiam sacram 170
Viadrus fluxit Sanguine 83
Viadrus est limes Germaniæ 261
Viadri inundationem sequitur pestilentia 217
Vicegradum arx exædificata & adornata à Mathia 198
Vicentinum prælium 233
Victorinus Georgij Regis filius captus à Mathia 178.316
Victorinus Georgij Podiebracij filius euadit incolumis ex munitione arctè obsessa à Mathia 174
Vienna deditur Mathiæ Regi Hungariæ 204
Viennenses ciues oppugnant Fridericum Cæsarem 168
Viennensis Ducatus ex transactione attribuitur Maximiliano Friderici Cæsaris filio ibidem
Vilhelmo Austriæ Principi eripitur coniunx Heduigis 114
Vilhelmus Curtzbachius præses consilij Cæsarei, uir præstans sapientia & uirtute 263
Vina Silesiæ 267
Vincentinum Monasterium Vratislauiæ erectum à Petro Dano 272
Vindelicia quando à Sueuis sit occupata 5
Virbnenses Domini condunt monasterium Suidniciæ 62
Virginum cœnobia sunt utili consilio instituta 291
Virginum cœnobium in oppido Sprotta 297
Viridomarus Dux Celtarum interficitur à Marcello consule Rom. 19
Vistulæ fontes ubi sint 261
Vitebergensis Academiæ initium 224
Vitus Primus Episcopus Silesiæ 843
Vladislaus amens Princeps Lignicensis 94
Vladislaus Archiepiscopus imperat Vratislauiæ & moritur 83
Vladislaus Bohemicus imbecillis Rex 219.226

Vladislaus Bohemicus coronatur in regem Hungariæ 212
Vladislaus Glogouiensis infert bellum Vratislauiæ 144
Vladislaus Glogouiensis ad Vratislauiam lethale uulnus accipit 65
Vladislaus Iagello profligat ordinem in Prußia 119
Vladislaus Iagello proficiscitur Budam 120
Vladislai Iagellonis consilia non procedunt 124
Vladislai Iagellonis mors & mores 128
Vladislaus Iagello suscipit seditiosos pulsos ex Bohemia 128
Vladislai Loctici crudelitas 98
Vladislaus Locticus aspirat ad regnum Poloniæ 88
Vladislaus Locticus profligat Principes Silesios 86
Vladislaus Locticus fax dißidij inter Polonos & Silesios 89
Vladislaus Locticus exulat 90
Vladislaus Locticus potitur regno Poloniæ 93
Vladislaus Locticus abalienauit Silesios à Polonia ibid.
Vladislaus Locticus euadit habitu Monachi 87
Vladislaus Locticus incipit oppugnare Cruciferos 98
Vladislaus Locticus profligat Cruciferos 99
Vladislaus Locticus denuo inuadit Silesiam 100
Vladislaus Locticus Heinrico detrahit Poloniam 208
Vladislai Locticí Crudelitas 98
Vladislaus Primus Poloniæ ethnarcha 42
Vladislaus Secundus Ethnarcha Princeps Silesiæ 51
Vladislaus Secundus ducit Christianam filiam Henrici Quinti 94
Vladislaus Secundus diris deuouetur ab Archiepiscopo 52
Vladislaus Secundus moritur in exilio cum coniuge 55
Vladislai Secundi filij ibid.
Vladislai filij partiuntur inter se Silesiam ibid.
Vladislaus Poloniæ Rex turbat Regnum Hungariæ 116
Vladislaus Varnensis accipit regnum Poloniæ 131
Vladislaus Varnensis oppugnat Albertum Cæsarem 132
Vladislaus Varnensis uastat Silesiam ibid.
Vladislaus Varnensis occupat regnum Hungariæ 134
Vladislaus Varnensis uictor domum regreditur 138
Vladislaus Varnensis habuit infirmum exercitum 139
Vladislaus capit Varnam 140
Vladislaus Varnensis in principio pugnæ fuit superior 141
Vladislaus Varnensis frustra reuocatur ab Huniade 142
Vladislaus Varnensis interficitur ibid.
Vladislai Varnensis prima expeditio in Turcos 137
Vladislai Varnensis altera expeditio in Turcos 139
Vladislai Varnensis ætas & ingenium 143
Vladislaus Hungariæ & Bohemiæ Rex, Silesiæ Princeps, auus maternus Maximiliani Secundi Romanorum Imperatoris 212
Vladislaus Casimiri filius eligitur in Regem Bohemiæ contra Mathiam 177
Vladislaus Henrici Pij filius discit Patauij 72
Vladislaus eligitur in Episcopum Salzburgensem ibid.
Vladislaus uocatur ad regnum Bohemiæ 181
Vladislaus peruenit in Bohemiam ibid.
Vladislao imponitur corona Regni Bohemiæ ibidem
Vladislaus accipit insignia regni Bohemiæ à Friderico Cæsare
Vladislaus cum exercitu uenit in Silesiam 188
Vladislaus ornat Silesiam amplo Priuilegio 218
Vladislaus cedit fratri Alexandro de regno 222
Vladislaus repudiata Beatrice ducit Annam Gallicam ibid.
Vladislaus Pragæ fuit in periculo uitæ 204
Vladislaus cum liberis ingreditur Vratislauiam 228
Vladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ moritur 236
Vladislaus Rex fuit similis Arcadio Cæsari ibidem
Vladislaus Rex ingreditur Vratislauiam cum filio Ludouico & Anna uxore 280
Vladislaus recipit Albam Regalem pecunia Beatricis 213
Vladislaus Beatrici malam gratiam refert 213
Vladislaus contemnitur à sua nobilitate & proceribus 228
Vladislaus Masouiæ Princeps cur dictus sit Locticus 86
Vladislaus Locticus Poloniæ Rex fuit flabellum turbarum in regno Hungarico 116
Vladislaus Opolienſis spoliauit ditiores Polonorum mercatores 116
Vladislaus Locticus denuo sollicitat Hungaros ad defectionem à Sigismundo Rege 117
Vladislaus Locticus ducit Annam filiam Comitis Ciliæ ibid.
Vladislaus Locticus Prußiam fœde & crudeliter uastat 119
Vladislaus Locticus gerit bellum famelicum 120

Vladislao Loctico promittitur Cecilia uidua Venceslai ignaui 124
Vladislao regnante fuit fœlix mercatura in Sile-sia 279
Vladislai Regis natura 236
Vlricus Ciliæ comes ex aula eijcitur 147
Vlricus Cilianus reuocatur in aulam 153
Vlricus Ciliæ comes cum ordinibus Hungariæ infert bellum Cæsari ob detentionem Ladis-lai Posthumi 146
Vlricus Cilianus interficitur Belgradi 156
Vlricus Cilianus Huniadi struit insidias 153
Vlricus Comes Vuirtembergensis capitur à Fri-derico Palatino Rheni 169
Volstadia locus prælij cum Tartaris 69
Voitlandia olim dicta fuit Merania 73
Vratislaus Bohemiæ Princeps ornatur dignitate regia illiq; adiudicatur Silesia 43
Vratislauia capitur à Bohemis 38
Vratislauia excolitur à Casimiro Poloniæ Re-ge 40
Vratislauia quando nomen acceperit ibid.
Vratislauia Silesiæ caput 268
Vratislauia concutitur motibus seditionis 119
Vratislauia & Suidnicia urbes defendunt Sile-siam 126
Vratislauia opponit se Georgio 164
Vratislauia tempore obsidionis nunquam clausit portas 188
Vratislauia impetrat Ius Emporij à Vladislao 228
Vratislauia instaurata ex ruinis Bidorgis 270
Vratislauia instaurata & denominata à Princi-pe Bohemico ibid.
Vralislauia perit incendio 273
Vratislauia accipit formam nouæ urbis ibid.
Vratislauia rursus conflagrat. 274
Vratislauia defendit exules contra Principem 44
Vratislauia reconciliatur Episcopo 102
Vratislauia fuit cara Carolo Cæsari 103
Vratislauia defendit exules contra calumniato-res aulicos 271
Vratislauia multis seculis fuit magistra pietatis in Silesia 269
Vratislauia offertur Episcopo 86. 274
Vratislauiensis Ducatus uastatur à Loctico 89
Vratislauiensis ciuitas hortatur Principem su-um ut se subijciat Regi Bohemiæ 96
Vratislauia excommunicatur 112.120
Vratislauiæ periculum fuit de seditione propter Mat[illegible]m Hungariæ Regem admissum 178
Vratislauiensis cereuisia habet laudem probita-tis 267
Vratislauiense Collegium erectum à Casimiro Monach[illegible] 271
Vratislauia accipit ius ciuitatum Germanica-rum sub Henrico Tertio 273
Vratislauia multum creuit sub Henrico Quar-to 274
Vratislauiensis Episcopus capitur & mulcta-tur 81
Vratislauiensis ciuitatis suburbia diripiuntur & inflammantur ab Hussitis 125
Vratislauiensis Ducatus est Vmbilicus Silesiæ 261
Vratislauiensis Senatus imitatur consilium Me-cœnatis 275
Vratislauiense collegium fauit Polonis 276
Vratislauia nulli cedit splendore & elegantia structuræ ex ciuitatibus Germanicis 279
Vratislauienses & Gorlicenses tollunt latroci-nia ibid.
Vratislauiensis aër aliquo modo respondet aëri Longobardico 282
Vratislauia honorifico encomio ornata à Ferdi-nando Cæsare 284
Vratislauiæ mundities in uictu exquisito 285
Vratislauia creuit interea dum Glogouia fuit oppressa à suo collegio 289
Vratislauia & Namslauia eximitur obedientiæ Georgij Podiebracij à Pio Senensi Pontifice 169
Vratislauienses amittunt multas & insignes machinas bellicas 172
Vratislauia iurat in uerba Mathiæ Regis 177
Vratislauia post uastationes Scythicas instaura-tur 79
Vratislauia creuit opibus 274
Vratislauia facit inclinationem ordinum ad re-gnum Bohemiæ 274.275
Vratislauia denuo perit incendio 276
Vratislauia magna ornamenta accepit à Carolo Quarto ibid.
Vratislauia defendit Silesiam contra latrones Hussiticos 278
Vratislauia attraxit Mathiam 279
Vratislauia amauit moderationem in disputatio-nibus religionis 281
Vratislauia impetrauit ut religioni daretur pax à Ferdinando Rege ibid.
Vratislauia habuit sapientem Senatum 279
Vratislauiæ & Glogouiæ urbium Silesiæ exor-dia 33
Vratislauiæ nocuit Emporium usurpatum 228
Vratislauiæ creatur periculum apud Ludoui-cum propter emendationem doctrinæ 244
Vratislauiæ sacerdotes ducunt uxores 245
Vratislauiæ emendantur Ecclesiæ 249.280
Vratislauiæ situs 268
Vratislauiæ ornamenta 283
Vratislauiæ Princeps Boleslaus Procerus 272
Vratislauiæ arx sustinet impetus Tartarorum 273
Vratislauiæ trimestris obsidio ibid.
Vratislauiæ structura noua & egregia 276

Vratislauiæ error in bello contra Georgium Bohemum 378
Vratislauiæ magnitudo 282
Vratislauiæ qualis sit aëris constitutio ibid.
Vratislauiæ qui sint morbi familiares 283
Vratislauiæ ædificia & œconomiæ 284
Vratislauiense Emporium abrogatur 235
Vratislauienses superantur à Ducibus Georgij Regis 172
Vratislauienses comprehendunt latrones in Silesia 227
Vratislauia repudiat inducias oblatas à Georgio Bohemorum Rege 169
Vratislauiensis Episcopatus nominatur aureus 110
Vratislauiensis Episcopatus emungitur à Romano Pontifice ibid.
Vratislauiensis Episcopus suadet pacem seruandam esse cum Bohemis 163
Vratislauiensis Episcopi concertatio cum Legato Pontificio 165
Vratislauiensis Academia impeditur 223
Vratislauiensis Schola 267
Vratislauiensis Ducatus 261
Vratislauiensis seditio 122.277
Vratislauiensis seditionis autores plectuntur à Sigismundo Imperatore 123
Vratislauiensis Aristocratia 284
Vratislauienses Ecclesiæ & Scholæ 283
Vratislauiensis Senatus imitatur Consilium Mecænatis 275
Vratislauiensis Senatus motus fuit grauibus causis, quando suasit coniunctionem cum Bohemis 275
Vratislauiensium lites de Academia & Emporio 280
Vratislauiensium liberalitas in studia discentium 284
Vratislauiensium ingenia 282
Vrbanus Talceburgius capitaneus Glogouiensis 358
Vrbanus Primus 376
Vrbanus Episcopus Smogrensis 32
Vrbanus instituit scholam Smogrensem 377
Vrbes ueteres quales fuerint, & in quibus locis conditæ 286

X


Xenophontis dictum de bello Peloponnesiaco 171

Z

Zechus occupauit Bohemiam 26
Ziscba creatur Dux multitudinis mortuo Venceslao 122
Ziscbæ robur & successus felicißimi 122.123
Ziscba euertit imagines & statuas 124
Ziscba manum prædatoriam mittit ad uastandam Lusatiam 122
Ziscbæ mors & mores 125
Ziscbæ apophtegma ibid.
Ziscba nullo pacto uult pati Regem alienigenam 124
Ziscba fortiter sustinet Impetus Cæsaris & Principum uicinorum magno animo 125
Ziscba obsidet Carolosteinum 124
Ziscba agnoscit Sigismundum Cæsarem pro Rege Bohemico 123
Ziscba condit urbem Thabor nominatam ibid.
Ziscba defendit Pragam obsessam à Sigismundo Cæsare 124
Zulichium peruenit in manus Marchionum Brandeburgensium 263
Zottenberga donatur Boleslao Suidnicensi 88
Zyroslaus Episcopus Silesiæ 379
Zyroslaus instituit Ceremonias Ecclesiæ Cracouiensis ibid.
Zyroslaus Secundus 381

Τῷ θεῷ δόξα.

FINIS.



ANNALES GENTIS ELYSIÆ.

HVMANISSIMAE VRBIS ATTICAE fuit consuetudo, vt publico & honorifico funere efferrentnr illi, qui ex ciuitate in prælijs pro patria occubuerant: vbi post exequias à præcipuæ dignitatis senatore, in cœtu populi accurata laudabantur oratione: qua & mortuis suus habebatur honos, viuentes ad virtutem accendebantur, & propinquis defunctorum luctus verbis & re ipsa eximebatur. Nam liberi impuberes interfectorum publica impensa ad maturam vsq; ætatem alebantur. *Patriam amare est uirtus.*

Recitat vero historicus grauissimus ac sapientissimus Thucydides orationē eiusmodi funebrem sub nomine Periclis, quam olim oratores eius ætatis secuti sunt. Verum quia, ex perpetua quadam consuetudine Thucydidea, in eam quasi omnia, quæ prudentissimè & acutissimè cogitari poterant, infarcta sunt: ita vt ea rerum maximarum densitas formam orationis obscuret, & contextum verborum efficiat quasi confragosum & insuauem: Plato ciuis sapiens & amans suæ patriæ proposuit formam meliorē ac suauiorem: quam quidem Socrates, suo consilio, mulieri sapienti & ingenioſæ Aspasiæ attribuit. Ibi inter reliqua dicitur, merito terram Atticam à suis ciuibus esse amandam & colendam præ alijs, quod ipsa, ex consentienti testimonio vetustatis, & præstantissimam naturam inter omnes, nempe hominem, progenuerit, & pro conseruatione eiusdem duplex nutrimentum liberaliter producat: res quidem ex terra natas pro cibo corporis: pro animæ vero alimento honestas leges religionis, & ciuilis disciplinæ: quæ inter bona huius vitæ sunt summa & nobilissima.

Hanc sapientissimi Platonis orationem vere honestam cum legerem, cogitabam etiam Silesiæ nostræ suos ciues & alumnos, nō minorem animi gratitudinem & obseruantiam, quàm Athenienses suæ Atticæ, debere. Nam & hæc nostra prouincia, quæ magnitudine Atticam fortassis plus quàm duplo superat, est, vt ille suam Ithacam celebrat, ἀγαθὴ κουροτροφός, nutrix fœcunda & benefica hominum: quibus in vtroq; sexu, Dei beneficio, nec ad figuram & decus corporis, nec ad bonitatem ingeniorum quid deest: & quæ, benedicente Deo, res nascentes ex terra magna vbertate in plerisq; locis fundit, quæ alicubi venas auri, argenti, plumbi & ferri gignit: res etiam ad vestitum, non modo suarum, sed multarum aliarum gentium, conficiendum largissimè suppeditat: & præterea multis seculis exculta est disciplina honestiore, quàm alij populi efferi & inhumani: & inprimis studio pietatis nunc annos 600. excelluit, & *Silesiæ ornamenta.*

nostra ætate in multis locis fouet Ecclesias & Scholas religiosa beneficentia constitutas, in quibus sonat vox cœlestis doctrinæ, & homines ad veram Dei agnitionem & inuocationem flectuntur: Ita vt hac in parte, eaq; præcipua, ipsas etiam Athenas, & alias orbis regiones Idolorum cultu inquinatas, longè superet.

Hæc Dei dona decet nos agnoscere, & grato animo celebrare, eaq; nos ad pietatem & virtutem maiorum nostrorum imitandam excuscitent, vt hæc patriæ nostræ ornamenta tueamur & augeamus, & cogitemus, nos in hac mortali & ærumnosa patria aditum quærere oportere ad veræ patriæ possessionem, vbi cessante culina, corpora nostra erunt augustiora, ad gloriam corporis ipsius Filij Dei immutata, & animæ nobiliori cibo, quam est Platonicus, conspectu & perfusione diuinæ lucis, iusticiæ & æternæ beatitudines pascentur.

Autoris consilium.

Ego igitur vt meo loco amorem & officia mea patriæ ostenderem, quam vero & dulci amore complector, etsi occupatus alijs laboribus & molestijs multis, mediocri cura antiquitatem nostræ gentis ex varijs ijsq; dissimilibus monumentis inquisiui: vt aliquæ historiæ veteres nostris hominibus fierent notiores & stirps nostræ gentis, quasi ex Cimmerijs tenebris eruta, aliquo pacto innotesceret.

Partitio Annalium.

Distribuo autem Annales in duas partes, ex quibus prior recitat natales, migrationes & mutationes nostræ gentis: deinde historiam præcipuorum euentuum, qui in his populis, præsertim ab annis 600. posteaquam Silesia religionem Christi accepit, acciderunt: Altera continet breuem delineationem & Silesiæ, qualis nunc est, & vrbis ipsius metropolitanæ, inclytæ Vratislauiæ: præterea chorographiam particularem illius partis, quæ nominatur Ducatus Glogouiensis, & annotationem rerum memorabilium, quæ istis vrbibus contigerunt. Non expectabunt vero lectores, in hoc breui scripto particulares descriptiones omnium vrbium & locorum huius regionis. Nam iste labor requirit minus occupatum, & cùm iam edita sit pictura, poterit ea inspici. Sed breuem historiam condo, quæ originem nostræ gentis, & res præclarè & memorabiliter apud maiores nostros gestas, monstret: quod ipsum bonis mentibus & patriæ amantibus gratum futurum non dubito. Nam pius est, patriæ scribere facta, labor.

Tabula chorographica Silesiæ.

Silesia fuit neglecta ab historicis.

Fuit autem hæc inquisitio mihi satis laboriosa & ardua, cum non modo in illa annalium, & in ipsa scriptionis, quæ non ante multa secula apud nos cœpit, neglectione: verum etiam demum in ipsorum scriptorum, interdum incuria, interdum quadam male volētia, iustum corpus historiæ contexere mihi difficilè fuerit. Memininus virum pietate & doctrina præstantem Philippum Melanthonem sæpe conqueri solitum de gentis nostræ Germanicæ infœlicitate, cui nec sapientia nec heroica defuit fortuna: Et tamen res gestæ Imperatorum

peratorum præstantium consilio & virtute, ex inscitia scriptorum aut omissæ aut deformatæ sunt. Ita, cum nostra Silesia genuerit principes aliquos excellentes pietate, iusticia & fortitudine, quales fuerunt Boleslaus procerus, eiusdem filius Henricus Barbatus, nepos Henricus pius, & quidam alij: tamen adeo negligenter res illorum annotatæ sunt, vt auido & diligenti lectori nulla ex parte satisfiat.

Monumentorum veterum tanta est penuria, vt periti rerum Silesiarum scribant, non monstrari posse alias literas vetustiores in Silesia, quàm quæ editæ sunt à Friderico 1. Cæsare, anno Christi 1200. exceptis paucis monasteriorum fundationibus, ex quibus Vicentina vetustissima tempus hoc annos 60. antecedit. In paginis vero, scriptis à sacerdotibus Polonis, breues reperiuntur narrationes de Silesia, & quidem vix 200. annorum. Fermè enim Silesiæ mentionem facere incipiunt sub eam ætatem, quando filijs Vladislai, ope Friderici Barbarossæ, à principibus patruis attributa est Silesia. Tandem vero, vbi Silesia desertis Polonis coniunxit se cum regno Bohemiæ, illi quidem mutili historici eam ex suis chronicis quasi relegant, nec amplius, nisi quasi aliud agentes, de ea scribunt: ab eo etiam tempore, alia scripta, complectentia certam seriem rerum gestarum, non sunt edita.

Historiæ Silesiæ in chronicis Polonicis sunt mutilæ.

Copiosissimus autem inter omnes scriptores Polonos est Iohannes Duglossus, qui floruit ante annos 100. nec dum historia ipsius typis expressa est, ex qua posteriores suas descripserunt Epitomas. Ego præstiti quantum potui: & si qui, inuitati hac mea opera, plura aut meliora edent, illis vnà mecum omnes boni & patriæ amantes gratiam habebunt. Interea cogitent boni vetus illud: ἀν μὴ πατρὴ χρέα, τεῖχη σερκτέον, & grati amplectantur istas micas, ex varijs sordibus collectas.

Iohannes Duglossius copiosissimus inter historicos Polonos.

Certè debemus hoc patriæ, & pijs manibus maiorum nostrorum, vt dona Dei, quibus eos Deus in hac vita ornauit, celebremus: exempla virtutum in ipsis imitemur, eaq; non minus diligenter, quàm hæreditates & possessiones, in nos transferamus.

ORIGO VETERIS GENTIS
Elysiæ reperta ex scriptis Biblicis & antiquitate ethnica.

ORdior narrationem ab hac nota Hypothesi. Constat ex annotationibus certis, Silesiam doctrinam Christi recepisse sub annum nati Saluatoris 965. tunc cùm imperium Romanum & Germanicum adhuc gubernaret Otto primus princeps vere heroicus, qui Ecclesias Christi apud Henetos, Danos & vicinos populos pia cura & liberalitate constituit: Et parebat tunc hæc regio Principi Poloniæ: Ita enim tota gens tunc nominabatur. Ab ea quidem

Silesia inserta Ecclesiæ Christi.

ætate incipiunt historiæ veteres nostri populi. Nam ante illud seculum nullus vsus fuit scriptionis & literarum in his locis, aut certè is multo ante in illa barbarie desierat.

Sed cum ætas ea valde recens sit, nec dubium esse possit, longè antè prouinciam hanc, in qua non est magna aëris & soli inclementia, cultam fuisse, quærere oportet, quales eam populi tenuerint. Et cum non extet descriptio melior, quam est Taciti apud antiquos, autoritati ipsius plurimum tribuo. Ipsius igitur verba examinabimus. Neq; tamen nostri est instituti totius Germaniæ veteris inquirere historiam, sed de Silesia potissimum verba sumus facturi. Si quis autem expetit integram descriptionem, eum remittimus ad scripta optimi nostri Philippi, qui in hac etiam parte verè fuit Germaniæ lumen: deinde ad Chronicon Clarissimi D. Peuceri, qui & vestigia sancti sui patris imitatus est fœliciſſimè, & quædam plenius exposuit.

Silesiæ veteris descriptio ex Tacito & aliis autoribus.

Apud Tacitum generalis appellatio, complectens multos populos, est Sueuorum. Hos constituit quadruplices. Sunt enim alij Septentrionales, vt Senones, & vicini populi ad littus maris Balthici: Alij Australes, vbi sunt Hermunduri, Nariſci, Marcomanni, Quadi: Alij Orientales, Pannoniæ & Sarmatiæ finitimi, vt Lygij, Arij, Heluecones, Manimi, Elysij, Naharuali: Quidam autem sunt littorales & maritimi, vt Gothones, Rugij, Lemouij, Suiones, Aestij & Sitones. Hoc pacto limites Sueuiæ veteris fuerunt Albis, mons Carpathus, qui olim Sueuus dictus est, & continuo tractu ad orientem excurrit, & mare Sarmaticum vel Balthicum. Assentitur autem etiam Strabo, qui scribit, Sueuorum gentem esse maximam.

Sueuorum distinctæ gẽtes.

Sueuiæ veteris limites.

Strabo de Sueuis.

Vnde autem nomen ipsum deductum sit dubitari potest. Existimant aliqui, gentem sic dictam à Principe: Sed tamen nondum ita liquebit etymologia: & Berosо, qui texuit fabulam non historiam, parum est fidei. Non dubium autem est, multas esse appellationes apud veteres sæpe vnius gentis, quas scriptores Græci vel Romani, tanquam ignotas, mirè deprauarunt: sicut inprimis hoc familiare est Iulio Cæsari, & Ptolemæo. Cognata igitur nomina sunt Sueui, Suedi, Suiones, Sidini vel Sitones, Syebi, quos Ptolemæus collocat ad mare Caspium. In insulis aquilonaribus adhuc hodie extant nomina Suedorum & Nortuedorum: vnde credibile est, ex veteri lingua gentem ita appellatam esse à situ versus Austrum: sicut aliam à plaga aquilonari.

Sueuiæ etymologia.

Narrat Tacitus, peculiare insigne esse Sueuorum omnium, etiam ad senectam vsq; cæsariem ad humeros vsq; alere & demittere: quod quidem obseruatum esse seculo superiori, adhuc meminerunt seniores. Tribuit vero genti tantam pietatem, vt Senones qui tenuerunt eam partem, vbi nunc sunt oppida veteris Marchiæ, dictam esse putet ἀπὸ τοῦ σέβειν, hoc est, à cultu diuino. Progressæ

Senones à pietate & cultu sacro.

sunt

sunt autem istæ gentes Sueuicæ ante ætatem Iulij in Rhetiam & Vindeliciam loca Germaniæ magis Occidentalia, vbi hæsit appellatio huius populi. Ideo Strabo Sueuos ad fontes Danubij collocat. Ab huius gentis nomine fluuius Sueuus dictus est, qui nunc Sprea nominatur: & fortassis ipsi montes etiam Sudetes, qui fuerunt limes Sueuorum ad occidentem. Nam apparet, nomen hoc esse ab Austro. Plinius appellatione generali Hermionum, hoc est, militum, scribit comprehendi Sueuos, Hermunduros, Cattos & Cheruscos: & manifestum est, præcipuum robur militiæ fuisse inter has gentes, quibus Augusti ætate dominatus est Harminius. Et nominat Plinius flumen nostrum Viadrum eo in loco Guttalum, quæ vox sine dubio est à Gotthis. Lingua Heneta eum fluuium deinde nominauit Oderam, quod, teste Dugloſſo, est à rapiendo vel spoliãdo, quod inundationibus crebris latè vicinos campos vastet.

Sueui migrarunt in Rhetiam.

Sueuus fluuius & Sudetes montes à Sueuis.

Hermiones Plinij. Guttalus Plinij est Viadrus uel Odera.

Obseruetur igitur, veteres, præsertim autem Tacitum, populos Silesiæ generali appellatione Sueuorum censuisse: eosdem Plinius nominauit Hermiones, hoc est, Germanos. Nunc accuratius incolas ipsos inuestigemus ex Tacito. Hermunduros & Nariscos scribit vicinos esse Marcomannis & Quadis. Sedes Hermunduro-rum nota est, quia expressè scribit, Albim oriri in Hermunduris. Sunt autem fontes Albis in illis iugis montium, qui hodie nominantur Gigantæi, aut potius Riphæi, & absunt paucis miliaribus à finibus Silesiæ, quales nunc sunt.

Montes Riphæi Silesiæ.

Tenebant verò olim Hermunduri trigonum illum inter Albim & Salam, à fontibus Albis fermè vsq; ad confluentem, qui hodie appellatur Misnia, à veteribus Mysis, qui vnà cum Henetis tandem immigrarunt. Nariscos Ptolemæus appellat Variscos, quos dicit habitasse ad montes Sudetes versus Austrum, eosq; vicinos esse Marcomannis scribit Tacitus. Manet autem hodie appellatio Marcomannorum, qui sunt Moraui, sic dicti, quod fuerunt in limite Pannoniarum. Marck enim veteri voce limitem significat.

Hermunduro-rum sedes.

Marcomanni sunt Moraui.

Nariſci igitur erunt illi populi, qui nunc vocantur Voitlandi, & pars aliqua Bauariæ superioris. Hos tres enim populos, Tacitus dicit esse frontem Germaniæ, & porrigi ad Danubium vsq;. Ptolemæus Marcomannos distinctos esse à Nariscis inquit interiectu syluæ Gabretæ, quod nomen aliqui putant esse Germanicum, die hohe Breite / hoc est, montana planicies: qualis est ad Noricum, cui nomen Nariscorum est vicinum.

Nariscorum sedes.

Gabreta syluа.

Quadi collocantur, vt sint magis Orientales, quàm isti, ita vt versus Occidentem vicinos habeant Marcomannos, ad Orientem & Aquilonem Lygios, ad Austrum Pannonios: & occuparunt hac ratione bonam partem Morauiæ, Silesiæ illius, quæ nunc dicitur superior: vbi sunt ducatus Teschinensis, Ratiborienſis, Opolienſis, oppida Episcopi Vratislauienſis, tractum ad radices

Quadorum sedes.

montium Sudetum: Deinde fermè Poloniam minorem vniuersam. A tergo horum, id est, versus Orientem, ad radices Carpathi montis, collocant Tacitus & Ptolemæus alias gentes, quas volunt esse ignobiliores Germanis, quamuis illis sint Sueui intermixti. Nominant Marsignos, qui forte sunt Marsi, quorum meminit Plutarchus in Sylla, etsi posteriores, ad Arctum inter Cimbros Marsos numerarunt. Variæ enim fuerunt gentium harum migrationes.

Carpathi montis accolæ.

Marsigni uel Marsi.

Dicunt vocabulum significare loca palustria & humilia, qualia solent esse in vallibus montium, postea sunt Gotthini, haud dubio Gotthi, Osi, Burij: ex quibus Marsignos & Burios dicit loqui lingua Germanica, Gotthos gallica, quam ego interpretor fuisse Henetam. Nam ita video loqui etiam alios ex vetustis scriptoribus, Osos Pannonica, quæ fortassis tunc aliqua ex parte fuit Græca.

Gallica lingua fuit Heneta, Gotthica Germanica.

Pannonica lingua affinis Græcæ.

Existimo autem secundum descriptionem Taciti, istas gentes consedisse ad radices Carpathi versus orientem. Nam partem Aquilonarem paulò pòst commemorat: & crediderim illos ipsos Gotthinos non procul abfuisse à Transsyluania, vbi adhuc hodie sunt reliquiæ Gotthorum, hoc est, Germanorum. Ideo Tacitus significat, istos habitare in montibus, facit eos metallicos, sicut adhuc hodie in istis iugis montium sunt venæ metallicæ. Burios etiam & vicinos, non fuisse ignotos Græcis manifestum est inde, quod in Comœdijs serui nominantur Burriæ: quod aliqui dicunt esse quasi Brugos, aut Bituriges, & factum esse à Phrygibus. Et ab illis gentibus Gotthicis, vicinis Græcorum sunt nomina seruorum, Getæ, Daui, Mysidis: Hos autem populos facit vectigales partim Quadis partim vero Sarmatis, hoc est, Scythis & Henetis versus Orientem. Postea vltra montem Sueuum vel Carpathum, in illam latissimam planiciem, vsq; ad montes Bohemicos, vel fontes Albis, & ad Aquilonem ad ipsa penè vsq; ostia vistulæ, collocat præcipue Lygios: quæ appellatio quasi est generalis, conueniens pluribus, illisq; potentibus populis, Ptolemæus & Strabo vocant eos Luios.

Transsyluani sunt reliquiæ Gotthorum.

Burij in Comœdijs.

Serui in Comœdijs.

Lygiorum appellatio comprehendit Silesios.

Numerat vero Tacitus hos, Arios, Heluecones, Manimos Elysios & Naharualos. Inter hæc vocabula penè terribilia procul dubio latent maiores nostri veteres Silesij. Sed hic etiam, qui optimè conijcit, vates est optimus. Fermè enim cum gentibus istis nomina etiam interierunt: Conabimur tamen explicare pleraq;, probabilibus innixi coniecturis.

Primam gentem inter Lygios nominat Arios, qui videntur proximi fuisse Carpatho in prima ora Poloniæ maioris, vt nunc sunt vocabula. Deinde in illa planicie camporum Poloniæ maioris videtur collocare Heluecones & Manimos, ad ripam vsq; Viadri aquilonarem. Vltra Viadrum ad montes Bohemos vsq; statuit Elysios, sicut & Ptolemæus. Post Senones, id est, post Marchiam Bran-

Arij proximi Carpatho.

Heluecones et Manimi incolæ Poloniæ maioris.

Elygiorum & Ilmgorum sedes.

Brandeburgenſem ſtatuit Ilingos, qui & ipſi ſunt Elyſij, vbi nunc videlicet eſt Sileſia media, inferior, vtraq; Luſatia, ad Sueuum fluuium vſq; & amnem Eliſtrum. Verſus Septentrionem verò & Occidentem conſtituit Naharualos, in eam regionem, vt arbitror, vbi nunc eſt Maſouia, ad ipſam vſq; Lithuaniam. Deinde vltra Lygios ad oſtia Viſtulæ, vbi nunc eſt pars Pomeraniæ & Pruſsiæ, locat Gothones, qui ſunt Gotthi, à quibus eſt appellatio ſinus Codani, vbi nunc eſt Dantiſcum. Deinde in ipſo littore Oceani ſunt Rugij, pars Pomeraniæ & Pruſsiæ, item Lemouij, qui ſunt Liuonienſes. Poſtea numerat Suiones, Suedos & ab altera parte verſus ortum & Aquilonem multos populos, Henetos & Teutonas mixtos, Prucinos, Venedos, Fennos, Baſtarnas ſparſos per illa ſpacioſa loca Liuoniæ vlterioris, Finlandiæ, Ruſsiæ vel Moſchouiæ, Lithuaniæ ad ipſam vſque Tauricam Cherſoneſum, qui tamen, teſte Tacito, in naturam Sarmatarum vel Scytharum degenerant.

Naharuali incolæ Maſouiæ.

Gotthones fuerunt in ripa Viſtulæ aquilonari.

Arctoarum gentium diſtinctio.

Inuenimus igitur, incolas veteris Sileſiæ fuiſſe Quados, deinde Lygios, præcipuè verò Elyſios, & fortaſsis aliqua ex parte ad ripam Oderæ Manimos. Difficilè verò eſt diuinare, vtrum aliqua reſtent veſtigia vel indicia veterum appellationum in hac regione, inter tantas & tam varias harum gentium migrationes & mutationes. Vrbes fuiſſe in his locis magnas & frequentes, quales nunc ſunt, non eſt credibile. Nam ab omnibus ſcriptoribus traditur, populos iſtos ſua fermè in plauſtris circumtuliſſe, paratos ad profectiones quotidianas. Deinde etſi quædam loca, vbi religionis & commerciorum cauſa fuerint conuentus celebriores, ſua habuerunt nomina: tamen illa tandem amiſſa ſunt, vbi Polonia vnà cum Imperio etiam linguam ſuam in hæc loca propagauit, atq; ita vetuſtiſſimorum locorum appellationes in hac terra ſunt Henetæ. Interea tamen credibile eſt, aliqua vetera nomina eſſe conſeruata, eaq́ue tunc, cum vrbes conderentur, in vſum eſſe reuocata. Grata enim ſolet eſſe recordatio vetuſtatis.

Sileſiæ veteris incolæ.

Sileſiæ veteris veſtigia in nominibus.

Heneta lingua propagata in Sileſiam per Polones.

Non ſunt autem alienæ appellationes iſtæ à veteribus nominibus, Lignicium, Libuſium, Luebena à Lygijs vel Luſijs: Suiniz, Suibuſium à Suionibus vel Sueuis: Quariz à Quadis: Mana à Manimis. Deinde Sorabia à Sorabis vel Seruijs: Sagana à Sacis, & ſi quæ aliæ poſſunt inueniri alluſiones: non enim quærimus demonſtrationes in talibus, ſed præcipua æſtimatio ſumitur à cognato ſono. Poſt hanc veterum ciuium Sileſiæ indicationem, inquirenda eſt origo horum populorum, & Etymologiæ nominum. Stultum vero eſt, ſi quis arbitretur, paucos homines poſt diluuium in hos gelidos & aſperos mundi angulos ſeſe abdidiſſe, & inter hæc frigora gentes has eſſe natas & propagatas.

Sileſiæ gentis prima origo.

Primi generis humani parentes in regionem Orientalem amœniſſimam & blandiſſimam collocati ſunt, & poſt diluuium ſenex Noa, propter memoriam veteris Eccleſiæ, amauit illam primam generis humani patriam, eamq; cum filijs & nepotibus ſuis excoluit: quam, etſi in illa aquarum inundatione & illuuie magna facta fuerat mutatio, ex ſpacijs dierum & vmbris in Gnomone obſeruare potuit.

Deinde, poſteaquam in Babylone Deus multitudinem, inſtituentem nouos cultus, & humana præſidia ſine mandato Dei, ſermone confuſo diſſipauit, paulatim poſteri Noæ in vicinis regionibus ſedes quæſiuerunt: nec dubium eſt, primo tempore repletas eſſe terras clementiores & orienti viciniores, demum autem creſcente multitudine populorum, & inualeſcente tyrannide Monarchiarum, multas gentes noua loca quæſiuiſſe, & aliqua agmina in hæc climata Borealia commigraſſe. Neq; ex ſolis coniecturis iſta ratiocinamur, ſed indicant hoc ſcriptores magnæ autoritatis, vt paulò poſt referemus.

Natales verò noſtrarum gentium vbi quærimus, ad ſcripta diuina nos potiſſimum reſpicere oportet. Et eſt hoc vnum ex præcipuis teſtimonijs conuincentibus, ſolius Eccleſiæ doctrinam eſſe veritatis immotæ & indubitatæ, quod nulla alia volumina veriorem monſtrant gentium originem, quam ſcriptura ſacra. Prius verò ex ſcriptoribus antiquis Græcis excerpemus nomina gentium noſtrarum Septentrionalium, & vetuſtas ipſarum ſedes indicabimus, deinde earundem originem & primos parentes ex libris ſacris quæremus.

Gētes Arctoæ numeratæ à ſcriptoribus ueteribus.

In Homero, omnis literaturæ, vt olim dictum, parente antiquiſſimo, qui vixit ætate Eſaiæ Prophetæ, numerantur quinq; populi Septentrionales: ſed ex illis plærique tunc adhuc habitabant in Aſia. Primùm facit mentio Henetorum vel Paphlagonum, qui ſedes ſuas habuerunt in littore ponti Euxini. Sic enim inquit:

Heneti uel Paphlagones apud Homerũ.

παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο πολαιμένεος λάσιον κῆρ
ἐξ ἐνετῶν ὅθεν ἠμιόνων γένος ἀγριοπρώων.

Tribuit Poëta genti Henetæ robur militare, &, vt Strabo hunc verſum exponit, eximiam peritiam rei equeſtris, & narrat etiam, Dionyſium ſuperiorem ab Henetis ad Adriam ſolitum eſſe petere generoſam ſobolem equorum. Sunt autem ijdem Heneti & Venedi: & Ptolemæus inquit, maximam partem Sarmatarum eſſe Henetos. Deinde ſunt in Homero Aſcanij, de quibus inquit:

Heneti ſunt Sarmatæ.

φόρκυς αὖ φρύγας ἦγε καὶ ἀσκάνιος θεοειδὴς τῆλ' ἐξ ἀσκανίης.

Aſcanius, proculdubio, eſt ab Aſcane filio. Gomer, vt poſtea dicemus, & communis eſt opinio, Hebræorum Tuiſcones eſſe dicti quaſi ab Aſcane. Et fuit in illa regione Phrygiæ, adhuc Romanis temporibus, ad vrbem Niceam palus Aſcania. Notum eſt

Aſcanij ſunt Tuiſcones.

etiam

etiam adhuc quædam loca in Germania nomen illud retinere, & crebra in Romanis historijs fit mentio Teutonum.

Tertio sunt apud Homerum Mysi, quibus, sicut obseruauit etiam Strabo, tres magnas virtutes tribuit, Fortitudinem, Temperantiam & Iusticiam. Nominat enim eos δικαιοτάτους ἀνθρώπων. Statuunt verò eruditi, Mysos hodie tenere trigonum illum, vbi olim habitabant Hermunduri. Mentionem etiam facit Homerus Cimmeriorum, qui sunt Cimbri. Eos collocat in remotissimas partes Oceani versus Arctũ: quia iam tunc fortè audiuerat de Chersoneso Cimbrica, aut certè de Cimbris habitãtibus ad paludẽ Mæotidem.

Mysi apud Homerum.

Cimmerij Homero sunt Cimbri.

Deinde apud Homerum vsitatum epitheton est, νώροπα χάλκον, quod etiam veteres, vt Strabo, & alij interpretati sunt de ære Norico. Quia iam tunc in Norico præstantes fuerunt ferri fodinæ. In carmine Argonautico Apollonij etiam de Henetis dicitur: παφλαγόνων τῖσι δὴ ἐνετῆι ἐμβασίλευε. Et scribitur ibi, Paphlagonas eos dictos esse posterioribus temporibus à Paphlago Phinei filio. In eodem Poëta ad littus Euxini statuuntur Moschi, & μοσσύνοικοι.

Noricũ apud Homerum.

Heneti apud Apollonium.

Addit autem commentator, μόσσυνοι sunt ligneæ casæ, & genti iam tunc feritatem insignem tribuit. Sed inter veteres non est alius, à quo iuuari possimus melius, quam Herodotus, qui accuratè in sua historia seriem & sedes præcipuarum gentium distinxit, & incipit narrationem suam ab eò fermè tempore, vbi historia sacra desinit. Sunt in Herodoto narrationes de Cimbris, quos dicit eiectos fuisse ex sedibus suis à Scytis nomadibus, & transijsse in Asiam minorem: Deinde tamen eosdem à Crœso fuisse reiectos.

Moschi apud Apollonium.

Cimmeriorum historia apud Herodotum.

Inter Persas numerat Germanos, eosq; dicit fuisse agricolas, postea Daios, Sacas. Nomen Germani aliqui existimarunt esse vocem Romanam, & inquit Strabo, eos sic à Romanis fuisse appellatos, quod prorsus essent fratres Gallorum, hoc est, feri & agrestes. Verum illud fuisse in vsu, longè antequam populi ad Rhenum Romanis innotuerunt, tum hæc Herodoti, tum etiam aliæ narrationes ostendunt.

Germani apud Herodotum.

Germani unde dicti.

Deriuant aliqui hoc ex sono nostræ linguæ, vt sit Hermenner, sicut Hermiones, aut Garmhan: sed concinnum est, quod tradidit Philippus, vocabulum esse ex ortu Hebræo, & significare miseros exules. Non autem istis gentibus cultum & linguam Hebræam fuisse ignotam, paulò pòst ostendemus. Dacij deinde sunt Dani, & aiunt vocem ipsam à sapientia vel scientia esse factam. Sacæ putantur esse Saxones, & vocabulum significat Sacerdotem, seu vatem: vnde sunt nomina Saga, item nostrum Segen. Addit autẽ Herodotus, Sacas à Persis habitos fuisse pro Scytis. Quia istæ gentes ad mare Caspium sedes suas habuerunt, vbi crebro factæ sunt mutationes.

Daij apud Herodotum.

Sacarum apud Herodotum etymologia & sedes.

Præterea nominat Mysos & Paphlagonas, quos facit vicinos Phrygum & Lydorum, sicut etiam cæteri. Inter Paphlagones verò, versus Colchidẽ, statuit Lygios, qui meo iudicio sunt Silesij veteres.

Mysi & Paphlagones apud Herodotum.

Dicit

Dicit etiam, Medos olim appellatos fuisse Arios, hæsisse postea hanc vocem in illis populis, qui etiam non procul à mari Caspio habitarunt, & fuerunt vicini Bactrianorum, Sogdianorum & Carmanorum, quæ gentes adhuc hodie aduersus Turcos fortissimè præliantur. Describit arma & habitum eiusmodi Ariorum, qualis adhuc hodie fermè est nobilitatis Polonicæ. Supra autem dictum est, Arios fuisse incolas Poloniæ maioris.

Arij apud Herodotum habitarunt ad mare Caspium.

Ariorum habitus.

Sarmatæ apud Herodotum.

Sauromatas vel Sarmatas Herodotus numerat inter Scytas. Mentionem etiam facit Getarum, qui iam ea ætate habitabant prope Thraciam, ad Tauricam Chersonesum, & vicinis in locis. Memorabile autem est, quod dicit, audiuisse se à Thracibus, hoc est, à Gotthis, ad ripam Aquilonarem Istri vsq; ad Henetos Adriaticos habitare gentem quandam prævalidam, quæ nominatur Syginæ: vocabulum autem lingua Lygiorum significare mercatorem. Longius vero ad Arctum esse solitudines incultas, vbi ingentia examina apum viuant. Hoc tamen ipsi verisimile non videtur. Quia existimat illud enorme frigus huic præsertim insecto exangui futurum intolerabile. Sed res ipsa ostendit, apes, animal ad laborem natum, maximè delectari illa dierum Solsticialium in regionibus Arctois longitudine, inq; ijs degere agminibus frequentissimis, neq; tamen in illis suis cauernulis à frigore enecari.

Sygimæ apud Herodotum.

Arctoæ gentes distinctæ apud Herodotum.

Cimbri sunt Germani apud Herodotum.

Cimbri & Heneti habuerũt promiscuas sedes.

Scytæ fuerunt diuersi à Cimbris.

Moschi & Paphlagones apud Xenophontem.

Thraciæ regnum apud Thucydidem.

Moschi & Mossynæci collocantur in illud littus Euxini, sicut apud Apollonium, & alibi: Ita apud Herodotum fermè triplex classis reperitur gentium, quarum in plaga Arctoa apud Tacitum, & alios fit mentio. Aliæ sunt Cimbricæ, quæ comprehendunt omnes populos Germanicos, aliæ Henetæ, quæ tamen & olim in Asia, & postea in Europa promiscuas sedes habuerunt cum Teutonico populo; aliæ Scyticæ.

Xenophon in historia reditus Græcorum post interfectum Cyrum iuniorem, in eodem littore Euxini nominat Moschos & Mossynæcos, & vituperat eos propter crudelitatem & barbariem. Mentionem etiam facit in eodem littore Paphlagonum. Thucydides in sua historia grauissima tantum meminit Getarum, qui tamen ex Asia ad ripam Istri migrauerant prope Thraces & Odrysios, vbi regnum condiderant, cuius tantam ait fuisse potentiam, vt Rex Geticus quotannis ex reditibus ordinarijs acceperit ad 24000. Coronatorum.

Arctoæ gentes habitarunt in oriente.

Posteaquam igitur plerosq; ex populis Arctois inuenimus olim in Asia ad orientem suas habuisse sedes, restat inuestigemus, quæ fuerit prima illorum origo, & qua ratione eos in hæc loca ad Boream migrasse existimemus. Si quis vero nostram hanc diligentiam tanquam superstitiosam, & nimis dubiam ridebit aut aspernabitur, illi respondebimus, quod apud Platonem Socrates in sua apologia ad iudices opponit: ὰδὲ ἡμεῖς ἐκ δρυὸς ἢ πέτρης πεφύκαμεν, ἀλλ' ἐξ ἀνθρώπων: Neq; vero nos ex quercu aut scopulis, sed ex hominibus

Arctoarum gentium origo ex libris sacris.

nibus nati sumus. Quare nos etiam maiores nostros inquirere, & ad primos generis humani propagatores respicere æquum est.

Etsi vero in appellationibus nepotum Noæ, à quibus origo est populorum, dissimiles sunt ratiocinationes, quarum aliquæ ex libris Propheticis habent certitudinem, aliquæ probabili nituntur coniectura: tamen multa ex illis iudicari possunt.

Cimmerij sunt à Gomer.

A filio Iaphet, Gomer, orti sunt Cymmerij, qui postea dicti sunt Cimbri, & ipsum vocabulum significat finitorem. Fuit prima sedes Cimbrorum in littore Euxini Aquilonari, à Colchide vsq; ad paludem Mæotidem, vbi fuit Bosphorus Cimmerius: & sunt qui affirmant, etiam hodie in Colchide vsum linguæ Teutonicæ nondum desijsse. Illi Cimmerij tandem aucta hominum in mundo frequentia vrgebantur à Scytis, qui à Ponto ad Aquilonem incertis vagabantur sedibus ad Caucasum vsq;: & video à veteribus Scytas illos nominatos νόμαδας. Putantur vero orti esse à Magog filio Iaphet, vocabulum significat de tecto, hoc est, populum vagabundum, cui in plaustris sunt culinæ, cubilia & stabula, ab his orti sunt populi Turcici & Tartari.

Scytæ à Magog.

Arij fuerunt Medi ulteriores.

A Madai sunt Medi, quod ideo indico, quia Arij, qui numerantur à Tacito inter Lygios, scribuntur fuisse Medi, & Strabo perspicuè ait, eos habitasse ad littus maris Caspij. Gentem græcam à Iauan, quem ipsi nominant Iouem, habere originem certum est.

Græci sunt à Iauan vel Ioue.

A Mesech sunt Moschi, vox est ab extendendis arcubus. Omnes scriptores huic genti asscribunt crudelitatem & feritatem magnam, & nota est querela Psalmi: Heu mihi quod exulo in Mesech & Cedar, id est, inter Moschos & Arabes. Nam cum distantia longissima non sit à Cappadocia, vbi olim fuit sedes Moschorum, in Syriam, potuit ea gens nota esse Iudæis, & significatum est, Ecclesiam vltimis mundi temporibus afflictum iri à Moschis, & Turcis, qui ab Arabibus attracti sunt.

Moschi à Mesech.

Psalmi querela de Moschis & Turcis.

Ex filijs deinde Gomer est Ascanes, vnde fermè omnes Hebræi genitos esse scribunt Tuiscones, id est, Teutones. Etymologia vocabuli religiosa est, Significat enim custodem, vel sacerdotem ignis. Fuit autem cultus ignis apud vetustatem fermè primus, ortus à sacrificijs patrum, quæ incendebantur cœlitus, vnde, cum lychni accensi ab illo igne asseruarentur, posteritas ritum illum mutauit in superstitionem, & idolum, quod constanter retinuerunt Persæ.

Ascanij fuerũt religiosi.

Ignis sacri cultus unde cœperit.

Ascania vero, vt supra ex Homero retulimus, fuit propè Phrygiam & Paphlagoniam in Asia minori. Est & alius inter filios Gomer, Riphat, vnde ortos esse scribunt populos Septentrionales, habitantes ad montes Riphæos, & appellati sunt alio nomine Sarmatæ. Memoria vero dignum est, quod scribit Iosephus, Riphæos esse Paphlagonas & Henetos. Consentit enim cum Ptolemæo, qui dicit, maximam partem Sarmatarum esse Henetos.

Riphæi à Riphat, & sunt Sarmatæ.

Riphæi fuerunt Heneti.

Ex

Ex Asia igitur in regiones illas Arctoas Russiæ & Moscorum progressi sunt.

Elysij sunt ab Elysa filio Iauan.

Inter filios Iauan est Elisa, à quo sunt ex testimonio multorum Aeoles in Asia minori. Valde autem cognatum est hoc nomen Elysijs & Lygijs, & Lygij ab Herodoto in eandem Asiam minorem non longè à Paphlagonia collocantur. Inde igitur gentem nostram deduco.

Elysa fuit doctor pietatis.

Pia verò isthæc est appellatio, quia significat salutem Domini, fortassis quia & ipse Elisa fuit doctor monstrans suis nepotibus salutem, & bona cœlestia. Vltimo loco inter filios Sem est Gether,

Gotthi sunt à Gether.

à quo deducuntur Getæ vel Gotthi. Vocabulum significat militem. Etiam Gotthi sedes suas olim in Asia habuerunt. Mysos fuisse ex posteritate Lydorum, scribit Herodotus: Quod si verum est,

Mysi fuerunt Lydij.

Mysi sunt à Ludim filio Mizraim, à quo sunt orti Aegyptij.

Hæ sunt fermè appellationes nostrorum populorum, quæ reperiuntur apud veteres. Nam de nominibus recentioribus postea dicemus. Habitarunt igitur in Asia minori, ante tempora Persica,

Arctoarum gentium ueteres sedes.

simul Mysi, Ascanij, Lygij & Heneti. Et rursus paulò amplius ad Orientem & Aquilonem ad mare Caspium vsq;, & in aliqua parte Armeniæ Moschi, Cimbri, Germani, Dacij, Sacæ, Arij, Syebi, & vltra hos Scytæ.

Arctoarum gentium triplex lingua, Teutonica, Heneta & ab his diuersa Schytica.

Constat autem harum gentium fuisse distinctas linguas, & de Scytis quidem certum est, eos sermone, moribus & omni viuendi ratione à populis his mitioribus, & humanioribus fuisse segregatos. Recitat Strabo, veteres scripsisse, olim in illo littore Asiæ minoris fuisse vsum duplicis linguæ, quarum altera fuit Paphlagonica vel Heneta, altera proculdubio Cimbrica vel Teutonica. Ideo etiam postea Antiochus Hierax, reliquias de exercitu Celtarum & Germanorum, qui duce Brenno Græciam & Asiam inuaserant, deduxit in veteres sedes Henetorum, tanquam ad Gentes cognatas moribus & lingua, & dicta est terra illa Galatia.

Arctoarum gentium migrationes ex oriente in Europam.

Sicut igitur à principio promiscuas habuerunt sedes: ita simul etiam gentes hæ coniunctæ ex suis sedibus antiquis commigrarunt. Etsi verò de tempore istarum migrationum non constat, nec vno anno ista acciderunt, tamen consentaneum est, circa initium Monarchiæ Persicæ, post captum Crœsum, magna agmina istorum populorum Asiam reliquisse, cum ductores Cyri crudeliter grassarentur, & fierent initia sæuæ tyrannidis.

Strabo de migrationibus Henetorum.

Narrat historia, tantam fuisse illorum bellorum asperitatem, vt magna hominum multitudo, viri cum vxoribus, & paruis natis in naues conscenderent, & sese sponte nauibus mersis in aquis suffocarent, vt manus irati militis effugerent. Strabo scribit, bis diuersis temporibus Henetos sedes nouas quæsiuisse: primum quidem duce Antenore transijsse eos ad littus maris Adriatici: secundo vero euocatos eos fuisse à Cimbris, cum quibus se coniunxerint,

& in

& in Europam fuerint transgressi: quæ narratio vero maximè est consentanea.

Nam cum Cimbri in illo littore commodissime possent per nauigationes & itinera terrestria situm regionum Borealium explorare, credibile est populos illos, lingua & moribus cognatos, & oppressos noua tyrannide bellorum, fuisse edoctos de spaciosissimis illis campis ad Aquilonem, qui aut erant deserti, aut sine vllis sedibus fixis percurrebantur à Scythis.

Testatur similiter Diodorus Siculus, gentes progressas ex Paphlagonia & Media, latissima spacia ad Septrentionem occupasse repulsis Scythis, eosdem deinde Scythas, vbi limites imperij Persici nudatos præsidijs istarum gentium inuasissent, vicisse & interfecisse Cyrum. *Diodorus Siculus de migrationibus populorum.*

Crebra autem tunc acciderunt multorum populorum in Asia exilia. Nam & magna agmina ex Ionia nauigationibus in oram maris Gallici delata sunt, vbi conditis vrbibus, & præsertim Massilia, in illud littus, eruditionem & sapientiam græcam importarunt. Eadem ætate, teste Stephano, ex Tharso, vrbe & portu Ciliciæ, magni cœtus ex iisdem nostris Lygijs, secuti Iones, littora maris Gallici versus Italiam compleuerunt, & tam regioni, quam mari suum nomen indiderunt: qui populi quidem toto vitæ ordine diu à vicinis fuerunt diuersi. Credibile vero est, inuitatos eos fuisse à Tyrrhenis, qui aliquanto ante collecti ex Lydijs in Italia confederant. *Stephanus de migrationibus Lygiorum.*

Sub illam igitur ætatem gentes Henetæ, Ascaniæ, Lygiæ ex Asia minore commotæ, Cimbros secutæ sunt, cum quibus, ex cognatione linguæ & morum, coniunxerunt se multi populi ad mare Caspium, Germani, Arij, Dalj, Sacæ, & alij, quos Ptolemæus numerat. *Gothicæ uel Cimbricæ gentes uicerunt Scythas.*

Apparet enim ingentia horum fuisse agmina, non solum quod amplissimas regiones compleuerunt, verum etiam quod gentem Scythicam, quæ multitudine & robore tunc inprimis antecellebat, vicerunt & repulerunt. Paulatim tamen, vt credo, plures populi, cognitis successibus priorum, & amplitudine locorum, secuti sunt: sicut nunc videmus subinde colonias ex Hispanijs, & vicinis insulis, in orbem recens inuentum, emitti: progressiones etiam illas non subito in remotissima loca, sed paulatim factas esse opinabile est. Ideo primum ad Tauricam chersonesum, ad paludem Mæotidem, & ad ostia multorum fluminum, quæ ibi sese in Euxinum infundunt, confederunt: vnde & ibi mansit appellatio Bosphori Cimmerij, & certum est, in illa vicinia diu habitasse gentem Gotthicam. *Cimbrorum prima profectio ad Tauricam Chersonesum.*

Fuit in Taurica chersoneso celebris vrbs, quam scriptores multi non rectè nominarunt Theodosiam, cum apud Demosthe- *Theudasia urbs Tauricæ Chersonesi.*

nem vocetur Teudasia, id est, Deutschhausen/quam ætate auorum tenuerunt Genuenses, donec immanis ille tyrannus Mahometus, qui Constantinopolin cœpit, etiam hos populos deuorauit. Sunt tamen qui constanter affirmant, adhuc hodie reliquias gentis Gothicæ supereſſe, quæ nostra vtantur lingua, & recitare solebat D. Philippus sermonem D. Pirchameri Noribergensis, qui narrauit, mercatores Noribergenses, nauigaturos cum Venetis in Cretam & Cyprum, tempestate in littus maris Aegæi, non procul à Bosphoro Thratio, eiectos: ibi cum ignari hominum & locorum, oberrarent, conspectum fuisse ab illis adolescentem, qui currum ducebat, & auditum fuisse procul ipsius cantum: cum autem accederet propius, agnouisse se eum verba Germanica sonare. Tum verò pauidi, rati spectro aliquo se terreri, serò tandem eum compellant sua lingua, cuias esset. Ille, manu ostensis vicinis montibus, respondit, non procul inde suam abesse patriam, in eaq; habitare suam gentem, quæ esset Gotthica, nec in illa valle sese rerum necessariarum copia egere, salem tantummodo aliunde peti, quem inclinante Autumno, antequam per hybernos menses itinera niuibus intercluduntur, soleant importare.

Historia de reliquijs Gotthorũ in Taurica Chersoneso.

Illi ipsi etiam veteres Germani ex Transsyluania, quos aliqui fabulosè fingunt eò traductos à Carolo magno, cum is in loca ea nunquam peruenerit, reliquiæ Gotthorum sunt, qui sub regno Macedonum, & antè latè in totis illis regionibus dominabantur, vt supra ex Thucydide annotauimus: & Rex Getarum Lysimachum vnum ex celeberrimis Alexandri ductoribus cepit, & honorificè eum donatum domum remisit. Tandem illæ ipsæ gentes Gotthicæ & Henetæ, latius progressæ, Pannoniam, & Germaniæ etiam partem compleuerunt: Oppressi sunt deinde ab Hunnis & ab Attila.

Getarum rex Lysimachum captum dimisit.

Gotthi in Pannonia oppressi sunt ab Hunnis & Attila Scytha.

Vir præstans pietate erga Deum & patriam, Philippus commemorabat, cogitare se, gentes illas Asiaticas ductores itinerum habuisse Israëlitas. Nam post dispersionem decem tribuum, plurimi Israëlitæ in Asiam minorem migrarunt, & his gentibus, de quibus locuti sumus, se immiscuerunt, quod singulari Dei consilio & bonitate accidit, vt hoc modo multi etiam ex Ethnicis de vera agnitione Dei erudirentur.

Israëlitæ fuerunt ductores Cimbrorum.

Ideo Herdotus scribit, in Colchide, vbi olim Cimbri habitarunt, se reperisse Circumcisionem: & omnino etiam ante natum Christum, in Germania frequentes inter nostros homines, quos diligebant præ alijs populis, habitarunt Iudæi. Sciunt etiam illi, quibus nota est vrbs Veneta & Italia, Iudæos, eò vel ex Media, Turcia & Constantinopoli accedentes, callere nostram linguam Germanicam, eaq; familiariter vti. Apud plerosq; ex vetustissimis scriptoribus multa fabulosè dicuntur de gentibus Hyperboreis, quibus tamen nullam certam possunt assignare sedem: loca enim Occidentalia maximè incognita fuerunt veteribus Græcis.

Iudæi fuerunt mixti Germanis.

Hyperborei sunt Germani.

Prædi-

Prædicant autem omnes insignem eorum pietatem, religionem, & in omni genere virtutem planè diuinam: & narrant, quotannis eos decimas, & munera sua misisse in Delum, quæ dicunt eò esse perlata ex mari Adriatico: ibi autem verisimile est munera ea, partim ab Israëlitis, partim à pijs hominibus, quos liber Actorum nominat viros religiosos, ex Germania Hierosolymam, secundum mandatum legis, missa esse.

Hyperborei habitarunt ad Istrum.

Hanc coniecturam à vero non esse alienam inde constat, quod apud Pindarum fontes Istri constituuntur esse apud Hyperboreos, qui dicuntur in ripa illa habitare. Mirum est autem, cum celebre nomen apud Poëtas sit campi Elysij, non inquisitum esse, quæ sit origo illius appellationis.

Elysij Campi sunt nominati nouæ sedes Germanorum.

Non est dubium, Poëtas voluisse nominare regionem beatam: sicut posteriores scripserunt de Insulis fortunatis in Oceano Atlantico, ita fortassis illa vetustas ex sermone patrum & maiorum audiuit, pias & religiosas illas gentes Ascanios & Elysios, qui fuerunt custodes, & propagatores pietatis & religionis, secessisse in longinquas regiones, quasi in alium mundum, fugientes tyrannidem & bella, vbi in vita quieta & beata Deo seruiant: vnde postea mentio Hyperboreorum & Elysiorum à Poëtis obseruata est.

Lygij habuerunt peculiarem cultum.

Scribit etiam Tacitus, inter Naharuallos populos Lygiorum, esse lucum consecratum religioni, nec coli ibi simulacra, sed sacerdotem præsidentem, ornatu penè muliebri concionari de duobus dijs, quos aliqui dicunt esse Castorem & Pollucem. Planè similia de Hyperboreis commemorat Diodorus, citans veterem scriptorem Hecatæum. Referunt autem isti mutila, & quæ ex incerta tantum fama acceperunt. Persas non admisisse simulacra in cultibus suis autor est Herodotus, quod ipsum acceptum à Iudæis gentes illæ retinuerunt. Ideo inquit Tacitus, potius illum cultum fuisse religiosum fœdus, ad quædam exercitia pietatis & virtutum institutum, qualis nimirum fuit lex Mosaica. Habitus etiam sacerdotis, quem describit, non multum dissimilis est ab ornatu Pontificis Iudaici.

Hyperborei apud Hecatæum.

Persæ non coluerunt simulacra.

Sacerdotis Lygij habitus peculiaris.

Fortassis etiam illi ipsi duo fratres, quos veneratæ sunt illæ gentes, fuerunt Moyses & Aaron, præcipui populi Israëlitici doctores. Sed nos coniecturas recitamus, quas, si cui probabiles videntur, retineat: sin minus, explodat sanè, neq; enim in hoc, vt ille dicebat, vertitur salus Græciæ. Hoc tamen homini prudenti facile persuaserim, populos hos non modo cultum & vestitum orientalium gentium, quod scriptores testantur, sed etiam religionem eandem, in hæc loca, importasse, sicut annales Polonici narrant, sub Vladislao Iagellone, ante annos 200. vbi Lithuani primum fidem Christi profiteri cœperunt, præcipuum in illis locis fuisse

Germani religionem populorum Orientalium importarunt in hæc loca.

cultum sacri ignis. Et certum est, has gentes, quæ ab initio fuerunt meliores & simpliciores, non fuisse cito inquinatas illa mirifica & portentosa Idolomania, quam excogitauit vafricies Græca, & ostentatio Italica: etsi deinde posteritas paulatim fuit oblita vetustæ pietatis, & simul cum humanitate ciuili etiam veterem religionem exuit, deprauata & effera facta istis continuis migrationibus, bellis, asperitate cœli, & consuetudine vicinorum barbarorum.

Maiorum nostrorum exilia & ærũnæ.

Cogitandum vero est pijs mentibus in istis tot & tam longinquis profectionibus, quæ non potuerunt fieri sine grauissimis ærumnis & incommodis, de primo generis humani exilio, & de singulorum calamitatibus in hoc mundo vbi extorres vagamur: vt expectare discamus reditum ad veram & beatam patriam in cœlis, cuius monstrator est Filius Dei, custos Ecclesiæ suæ, cui in domo Patris sui parauit mansiones æternas & fœlices.

Germani & Heneti promiscue habitarunt.

Qua ratione singulæ prouinciæ inter gentes istas sint distributæ, non recenseo, sed remitto lectorem ad Chronicon D. Peuceri, mihi satis est exploraſſe Silesiam, quam occuparunt Lygij, qui fuerunt Sueui, id est, Germani vel Gotthi. Omnino autem consentaneum est etiam antiquissimis temporibus, præsertim in his finibus vetustæ Sarmatiæ, promiscuas sedes fuisse Germanorum & Henetorum: sicut passim eius rei extant documenta. Vsitatum est, vt sæpe vicina loca easdem habeant appellationes, sed alter lingua Teutonica, alter Heneta.

Strabonis testimonium de promiscua habitatione Germanorum & Henetorum.

Ita scribit Strabo, Tracibus & Getis permistam esse gentem Gallicam Lygiriscos, quam ego puto esse Henetos & Lygios: Imperium tamen ante tempora Gotthica fuit penes Germanos, id est, Lygios, & valde probabilis opinio est illorum qui existimant, illos pupulos, qui constabant ex Germanis vel Gotthis & Henetis, obedientibus tamen Germanis, dictos esse Vandalos. Scribit Dion, libro 55. Albim oriri in montibus Vandalicis. Procopius dicit Vandalos esse gentem Gotthicam, & nostra lingua tamen ita appellat Henetos. Ergo mixtos fuisse hos populos oportet. Nec differunt significatione hæc vocabula, Heneti, Venedi, Vandali, Galli, Vallen, Galatæ, Celtæ, quia omnia sunt à vagando, & ipsum nomen Heneti significat νόμους δες.

Vandali sunt Germani & Heneti mixti.

Henetorum appellationes.

Apud Plinium quasi opponuntur inter se Vindelici, qui & ipsi sunt Vandali, vel Vinden, & Ingeuones: ibi aliqui arbitrantur Ingeuones significare agricolas & indigenas, Vandalos vero mercatores, qui propter commertia suscipiunt profectiones: Agricolas autem & indigenas illos alio nomine dictos esse Francos.

Ingeuones Plinij.

Sigynæ sunt Vandali.

Fermè hæc opinio congruit ad Herodotum, qui scribit, à ripa Istri ad Adriam vsq; habitare Sigynas populos, posteros Medorum, eosq; vti habitu Medico, vocabulum autem ipsum lingua Lygiorum

giorum significare mercatorem. Non potuit Herodotus digito tangere loca ista, quæ Græcis non erant explorata: sed voluit procul dubio designare Vandalos, & credo etymon nominis esse Germanicum, à proficiscendo. Et præterea ista narratio Herodoti sit nobis testimonio, gentes nostras ex Oriente huc commigrasse. Constet igitur, Silesiam olim fuisse sedem, partim Quadorum, partim Elysiorum, & aliqua ex parte Manimorum.

Silesiæ veteris Incolæ.

Quale sit Etymon appellationis Quadorum ego non inuenio: si quis putet esse dictionem Henetam, ab audacia & feritate factam, non repugno. De Lygijs & Elysijs dixi meam sententiam. Manimi videntur per Apharesin dicti ab Almanis, quod est ab Alanis. Vandali, cum inuaderent Galliam, & Hispanias, dicuntur secum traxisse Alanos & Sueuos, quæ gentes proculdubio ex his locis se commouerunt.

Quadi unde dicti.

Manimi ab Almanis.

Etymon vocabuli Philippus putabat esse hebræorum Elan, id est, iuuenis. Norhualli apud Tacitum, sunt Vandali Boreales, Norduallen. Quare & hæc appellatio sententiam nostram de Vandalis confirmat. Arios fuisse Medos, ex Strabone & Herodoto ostensum est. Vtrum Heluecones sint ex nostro idiomate auxiliatores, non affirmo.

Alani dicti ab Elan. Norhualli Boreales Vandali.

Eutropius libro sexto inquit, Heluetios, cum quibus dimicauit Cæsar, esse Quados: hæc opinio si vera est, illæ ipsæ gentes Helueticæ ex his regionibus, quæ nunc sunt regni Poloniæ, eò sunt progressæ, ea, vt credibile est, ætate, vbi tota hæc gens Sueuica colonias emisit in Rhetiam, Vindeliciam & alias prouincias vltra Rhenum. Nec hodie mores & ingenia Heluetiorum aliena sunt à natura Silesiaca.

Heluetij sunt Quadi.

Heluetij ex Heluiconibus sunt.

De Sarmatis, qui vltra Lygios ad Aquilonem habitarunt, facilis est ratio. Græci eos nominant Sauromatas, & vocabulum significat ducem altitudinis, quia versus cardinem terra videtur assurgere in altitudinem, aut quia populi illi existimati sunt habitare ad montes Riphæos, vnde & Riphæi sunt appellati. Ex testimonio vero Iosephi & Ptolemæi, fuerunt magna ex parte Heneti, probabile tamen est, in illa plaga Arctoa fuisse illis permixtos Scytas, sed tales, qui leges Henetorum acceperant & illis parebant.

In latissimis igitur campis versus polum, vbi nunc est Russia, cum vicinis prouincijs, quæ fortassis amplius 400. milliaribus complectuntur, sedes habuerunt Heneti Septentrionales. Moschi vel Mossineci, quorum appellatio in illis locis hæsit, his fuerunt mixti, teste Tacito, aliqui Teutonici, & passim etiam Scytæ: sed ita, vt imperium esset penes Henetos, qui tamen in illis locis nominati sunt Sarmatæ, & postea Moschi. Appellatio autem Henetorum mansit penes Henetos Australes, qui primum dicti sunt Venedi, illis accesserunt noui coloni ex Sarmatia, qui vniuersum illud littus compleuerunt, superatis etiam & pulsis Gothis veteribus incolis.

Henetorum alij Septentrionales alij Australes.

Ibi nunc sunt Prouinciæ Illyricæ Seruia, Albania, Rascia & aliæ: & tanta est autoritas linguæ Sclauonicæ, vt ipsius in aula Turcica maior vsus sit, quam sermonis patrij.

Græci non distinxerũt inter Scytas & Henetos.

Græci quidam ignari harum rerum non distinxerunt inter Henetos vel Sarmatas & Scythas. Ideo narrationes de iustitia Scytharum, & historia Zamolxis, qui fuit auditor Pythagoræ, & Scholasticus Aegyptius, item Anacharsis, proculdubio pertinent ad Henetos: & memoria dignum est, Henetos, præsertim australes, à Strabone & alijs vetustis scriptoribus, sæpe nominari Gallos, id est, Vandalos, atq; ita lingua Gallica illis significat linguam Henetam vel Vandalicam.

Heneti sunt nominati Galli.

Sclauus dicitur à nobilitate.

Nomen Sclauorum quando cæperit dubitatur: certum tamen est, non esse vetustissimum. Suidas dicit, Sclauos esse gentem vltra Istrum. Illis quibus lingua Heneta nota est, dubium non est, vocabulum esse factum à nobilitate & celebritate gentis, quæ hac appellatione sese voluit distinguere à Scytis vel Tartaris.

MORES ET RES GESTÆ VETERUM Lygiorum & Elysiorum ex historijs Græcis & Romanis.

ENumeratis veteribus ciuibus Silesiæ, inquirendæ essent historiæ illius antiquitatis. Verum, cum nullus adhuc exiguus fuerit vsus literarum & scriptionis apud nostros maiores, ex monumentis patrijs nihil cognoscere possumus. Germanis credo aut græcos, aut potius hebræos characteres fuisse vsitatos: sed eos, præsertim in tantis, & perpetuis illis mutationibus, ad sacra, non verò ad annotationes rerum gestarum adhibuerunt. Latina vero lingua illis planè fuit ignota. Et si quæ etiam scripta essent, illa iam dudum millies interijssent.

Germanorum ueterum Religio.

De religione veterum Germanorum nostras indicauimus coniecturas, videlicet, inter illas idolatrias, & superstitiones simul interspersas fuisse reliquias gentis Israëliticæ, & cum illis aliquos ex nostris consensisse: sicut proculdubio ab initio non fuit ea gentium harum barbaries, quæ postea inoleuit. Disciplinæ honestas commendata est etiam à scriptoribus Romanis, & illud testimonium ab hoste prolatum, maioris est ponderis.

Tacitus laudauit disciplinam ueterum Germanorum.

Est hæc vox Taciti: Plus ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges. Significat enim nostros maiores natura, educatione & consuetudine à sceleribus abhorruisse, quæ alibi nec legum doctrina, nec pœnarum seueritate prohiberi possunt, quamuis & illam antiquitatem in puniendis sceleribus fuisse asperiorem certum est.

Æschylus laudat Scytas uel Henetos.

Etiam Aeschylus Scythas, id est, Henetos, nominat Ἑνέτους, & de Saxonibus scribitur, quod etiam ante acceptam fidem Christi, adulteros

ulteros mares & fœminas viuentes cremauerint. De rebus gestis veterum Teutonum non plus scimus, quàm sumitur ex historijs hostium ipsorum præcipuè Romanorum.

Historia Romana primum celebrat direptionem Romæ factam anno vrbis 365. à Celtis. Appellati sunt autem Celtæ non solum illi, qui incolebant regnum, quod nunc nominatur Gallia, sed etiam ipsi Germani, sicut aliquoties scribit Suidas, Germanos ad ripam Rheni habitantes, nominari Celtas, existimant autem eruditi, vocabulum esse idem quod Galata, Galli & Vallen. In ea vero expeditione fuerunt plures & diuersæ gentes, & procul dubio etiam multi ex nostris. Senas in Italia aiunt esse conditas à Senonibus, qui fuerunt vicini Elysiorum. Nominatur dux eorum Brennus, à cuius nomine Brennopyrgum in Senonibus plerique deducunt.

Roma capta à Gallis.

Sena Italiæ condita à Senonibus.

Etsi verò ad extremum exitus fuit funestus Gallis: tamen eos satis iustam causam belli in Romanos habuisse apparet: Neque etiam victoria crudelissime fuissent vsi, si non irritati fuissent à Romanis. Post annos deinde 108. narratur alia expeditio Celtarum, facta duce Brenno in Græciam, ibi magna se multitudo per Pannoniam in Macedoniam infudit: & quamuis multum acceperunt detrimenti: tamen superstites fuerunt reliquiæ, quibus sedes in Asia minori ad fluuium Halyn, vbi olim veterum Henetorum fuit patria, datæ sunt, ad eos scripsit D. Paulus: & appareret tunc etiam gentem eam fuisse pronam in superstitiones, & nimis credulam, ideo appellat eos ἀνεήτους.

Brenni expeditio in Græciam.

Annis sexaginta post hanc expeditionem, celebratur aliud bellum Celticum in Italia, vbi Marcellus consul interfecit ducem Celticum Viridomarum, & retulit Romam spolia opima. Deinde post annos 113. describitur bellum Cimbricum, quod fuit crudelissimum, & durauit per quinquennium. Scribit Plutarchus, irruisse in Italiam 300000. Cimbrorum & Teutonum militum: traxisse autem illos secum turbam mulierum & puerorum infinitam, fuisse sermonem, exercitum illum collectum esse inde à palude Mæotide ad Rhenum vsque. Ergo & nostri homines fuerunt intermixti.

Celticum bellum in Italia.

Cimbricum bellum.

Initia fuerunt læta Cimbris, complentibus omnia horribili laniena & vastatione. Trucidarunt in aditu Alpium 8000. homines ex Romanorum exercitu. Sed tandem fatali casu bis victi, & crudelissima strage ad internecionem deleti sunt à Mario, cui mulier Iudaica Martha in suo exercitu victoriam prædixerat. Dies vltimi & truculentissimi prælij fuit 29. Iulij, quo interfecti sunt homines 120000. capti 60000.

Cimbrorum uel Germanorum miserabilis strages.

Tanta autem fuit sæuicia aut immanitas victorum, vt viri fugientes ex acie seipsos mactarent in castris, matres iugulatis liberis seipsas interimerent, & cum arbores deessent, inuenti sunt, qui collo se ad cornua boum alligauerunt, à quibus raptati & necati sunt. Conspecta est in castris infœlix mater pendens ex præalto carpento, cui ex vtroq; pede parui nati strangulati funibus pendebant. Acciderunt hæc anno ab vrbe condita 652. ante natum Christum fermè centesimo.

Hæc nostrorum maiorum tristia cum vxoribus & paruis natis exilia, & tragicos etiam interitus legentes, cogitemus de ærumnis generis humani, & de ira Dei aduersus peccata, qui in his populis etiam idolatriam & crudelitatem puniuit.

Sueui progressi uersus occidentem.

Neque vero solum externa bella à maioribus nostris gesta sunt: verum domi etiam fuerunt mutationes, & migrationes tristes. Gens nostra Sueuica circa hæc ipsa, vt arbitror, tempora, cum mota suis sedibus non proficisceretur vniuersa in Italiam, aut inde esset repulsa, Rhetiam & Vindeliciam inuasit: &, si Eutropio credimus, Quadi etiam suos Heluecones in illa iuga Alpium, vbi nunc sunt Heluetij, collocarunt: Bellis deinde Iulij Cæsaris, non solum multæ gentes afflictæ sunt, sed etiam Heluetiorum & aliorum virtus inclaruit. Recitat autem in sua historia, etiam Marcomannos adiunctis sibi Arijs, Sueuis & alijs, sub Ariouisto rege in Galliam aduersus Cæsarem militatum transijsse.

Sueui militarunt contra Iulium Cæsarem.

Tempore Augusti, cum pleraq; pars orbis terrarum esset pacata, & circa illos ipsos annos, quibus Christus adolescentulus in Iudæa cum matre & Ioseph ad festiuitates vsitatas Hierosolymam proficiscebatur, in Germania fuerunt horribiles motus, cum Drusus Germanicus, Augusti priuignus, vniuersam Germaniam ad Albim vsq; concuteret. Verum is non multo post ad Moguntiam ex vulnere mortuus est, & anno ætatis Christi vndecimo, tres legiones Romanæ à Principe iuuene, & præstanti virtute Harminio, trucidatæ sunt, interfecto Quintilio Varo. Post quam cladem Romæ maxima fuit consternatio, quia Augustus metuebat, Harminium rectà progressurum in Italiam. Et quidem Drusum viuentem, & in medio cursu victoriarum hortatus erat, ne transcenderet Albim, neq; gentes illas bellicosissimas irritaret.

Harminius uicit Quintilium Varum.

Fuit vero in exercitu Harminij robur militiæ Germanicæ, quia potentissimis gentibus ad Albim & Hercyniam syluam dominabatur, & in communi periculo multi ex vicinis eum secuti sunt. Tandem artificijs Romanorum Boij & Sueui, id est, isti nostri populi concitati sunt in Harminium, ex quibus dissensionibus ciuilibus magnæ acceptæ sunt clades. Nam scribit Strabo, vxorem, filium trimum, & socerum Harminij Romæ ductos esse in Triumpho. Ipse tamen fuit victor, & cum anno duodecimo post victoriam Quintilianam floreret potentia & autoritate, domi

Sueui oppugnarunt Harminium.

Harminij uxor & filij Romæ ducti sunt in Triumpho.

domi ex insidijs à suis cognatis, qui conducti erant à Tiberio, interfectus est.

Harminius domi necatur à suis.

Ex ruina Harminij deinde creuit potentia regni Marcomannici, cuius autor fuisse putatur Maroboducus, qui adolescens Romæ vixit, & reuersus in patriam amplum regnum Marcomannorum, & Quadorum condidit. Scribit Strabo eum domuisse magnam gentem Luios, qui sunt Lygij: præterea populos Sueuicos ad ipsum vsq; mare Balticum: & transtulisse regiam suam in Bohemiam (ita enim legendum est apud Strabonem Βοίεμον) in quam multos ex Marcomannis collocauit. Manifestum est autem, magnam fuisse illius regni potentiam, cùm prouinciæ, quæ nunc incipiunt à Morauia cum parte Australi ipsius Bohemiæ, vniuersa Polonia, Silesia, Marchia & Pomerania ad mare vsq;, essent cõiunctæ. Rex iste cum patriam sæpe magna cum gloria defendisset, & acerrimè resisteret Romanis, discordia domestica regno pulsus est, & fugisse scribitur ad hostes suos Romanos, atq; ita Rauennæ in exilio, penè sicut Themistocles, Coriolanus, Alcibiades, & multi alij consenuit, & inglorius extinctus est. Talia sunt ludibria fortunæ humanæ, & tamen illi ipsi euentus gubernantur à Deo, puniente superbiam humanam, & mutante regna propter peccata.

Maroboducus autor regni Marcomannici.

Neq; tamen amisso illo rege potentia Marcomannorum extincta est. Domitiani ætate legio Romana cum duce interfecta est in Sarmatia, hoc est, in his ipsis locis. Nominat Tacitus & aliud genus regium Tudri, qui Tudrus fortassis est, qui Antoninorum tempore Romanos fortiter est adortus.

Coniunxerat sibi fœdere rex Marcomannorum omnes vicinas gentes, ipsamq; etiam Sarmatiam, &, vt scribit Iulius Capitolinus, vsq; ad Scythas. Numerat enim inter socios, populos Arctoos, Bastarnas, Peucinos, Ostrogotthos, Roxolanos. Hæc conspiratio tantum attulit Romanis terrorem, vt vterq; Imperator. Lucius & M. Antoninus Philosophus, in Germaniam profectionem instituerent, & ait Eutropius, non fuisse lenius bellum, quam fuerunt Punica. In ipso autem apparatu belli, qui fuit eò difficilior, quod magna pars militum atroci pestilentia illius temporis esset consumpta, Aquilegiæ Lucius Cæsar extinctus est Apoplexia, ibi cum M. Antoninus cadauer eius Romam reueheret, bellum extractum est, & vires hostium interea auctæ: Peracto tamen funere, Imperator validissimas copias euocauit ad hoc bellum, vbi & Galenus, vt esset custos valetudinis Imperatoris, exercitum iussus est sequi, verum ipse apud Cæsarem placidum & facilem impetrauit, vt in studijs suis, & scriptionibus librorum in vrbe relinqueretur.

Tudrus rex bellum gerit cum Romanis.

Totum autẽ biennium in bello illo consumpsit Antoninus, etsi ducebat secum exercitũ robore & multitudine præstantem. Et cum sæpe asperrima fierent prælia, accessit tanta siccitas, vt milites & equi siti perirent. Ibi in exercitu Romano scribitur precibus legionis cuiusdam

Legio Christiana precibus suis impetrauit pluuiã.

cuiusdam Christianæ impetrata esse larga pluuia, & terribilia fulmina in Quados ceciderunt. Parta demum victoria Imperator huic legioni dedit nomen κεραυνόβολος, id est, fulminatrix, & decreta facta contra Christianos aboleuit. Multitudini captæ ex Marcomannis dedit Antoninus sedes in Italia.

Acciderunt hæc circa annum Christi 170. Nec tamen quieuerunt isti populi, sed subinde aucti nouis auxilijs, Pannoniam & vicina loca inuaserunt: & tantam virtutem, & vires Quadorum & Marcomannorum fuisse dicit Tacitus, vt ad suam ætatem vsq; reges ex gente ipsorum retinuerint, & sæpius pecunia quam armis à Romanis placarentur.

Quadi non cesserunt Romanis.

In historia Decij deinde sub annum Christi 250. narrantur bella Romanorum cum Gothis. Sub istam ætatem condiderunt imperium suum Gotthi, cum quibus proculdubio plerique Gotthi à Pannonia ad littus Balthicum vsq; sese coniunxerunt. Sicut Tacitus Gotthinos ad Austrum & Orientem, & rursus Gotthones ad Aquilonem facit vicinos Lygiorum. In illo bello perierunt Decius pater & filius, Deo puniente tyrannidem & sæuitiam in Christianos.

Gotthicum Regnum.

Iulius Capitolinus & Herodianus narrant, etiam Maximum ante Decium parasse bellum in Sarmatas, verum in ipso apparatu eum esse interfectum. Sicut autem ab vna parte commouebant se validissima cum potentia Gotthi: ita ab altera parte Marcomanni & Quadi, adiunctis sibi auxilijs populorum Henetorum, assiduè in Romanos bella moliebantur. Aureliani ætate circa annum Domini 274. populi regni Marcomannici instar rapidi torrentis in ipsam Italiam penetrarunt, & capto Mediolano multisq; alijs vrbibus, terrorem similem Cimbrico vel Celtico Romanis incusserunt. Sed Aurelianus Imperator bellicosissimus & fœlix tribus magnis prælijs ad Placentiam & Ticinum eos vicit, & deleuit, cum prius tamen magnas clades accepisset. Neq; post hunc Imperatorem finis fuit bellorum, quæ excitarunt populi Germanici & Heneti, Alemanni, Franci, Marcomanni, Gotthi, Saxones, donec Imperium Romanum ab ipsis euersum est. Et quidem ab initio apparuit, hanc gentem, quam nunquam edomuerunt Romani, fatalem futuram huic Monarchiæ: sicut olim Græcia fatalis fuit regno Persico, & nostro Turci. Repressi tamen sunt aliquot annos populi nostri virtute Imperatorum, Constantini, Iouiniani & aliorum.

Marcomanni gesserunt bellum ingens cum Aureliano Cæsare.

Germania fuit fatalis imperio Romano.

Valentiniano deinde res fuit cum Saxonibus circa annum Christi 370. illis repulsis mouit bellum in Quados, qui inuaserant Pannonias, & accessit ad Brigionem, aut ad Brigotium oppidum Quadorum, teste Paulo Diacono, qui scripsit paralipomena Eutropij. Ibi cum incensus ira vehementius cum legatis Quadorum contenderet, vena ipsi in pectore rupta est, vnde post paucos dies peri-

Quadi oppugnarunt Valentinianum.

Brigotium oppidum Quadorum.

peripneumonia extinctus est. Vtrum illa vrbs sit nostra Brega in Silesia superiori non affirmabo, sonus tamen & situs affinia sunt.

Circa hanc ætatem, extincta stirpe & autoritate regum Marcomannorum, videntur cœpisse initia potentiæ Vandalicæ in his nostris regionibus, quæ gens procul dubio conflata fuit ex Germanis & Henetis. Quia cum Teutonum vel Suevorum vires tot expeditionibus, & cladibus valde essent attritæ, & subinde magnæ cateruæ, populis quærentibus nouas sedes, hinc inde se coniungerent, ex vicina Sarmatia in has regiones noui migrarunt coloni, qui ipsis Germanis sunt interspersi. Sed iam tunc cœperunt inimicitiæ inter Gotthos & Vandalos. *Vandalici regni initia.*

Gotthi sub Valente, pulsis præsidijs Romanis, Pannoniam occuparunt. Deinde à præfectis filiorum Theodosij attracti sunt isti populi in Italiam, à Ruffino Gotthi, à Stillicone Vandali. Gothi tandem anno Christi 414. sub Honorio, duce Alarico Romã 26. die Augusti teste Cedreno ceperũt. Vandali peruagati Galliam, in Hispaniam irruerunt: sed inde pulsi sunt à Gotthis, & ab ipsis Romanis præsidibus, euocati in Aphricã, ibi Gensericus rex immanem sæuitiam in pios exercuit: quia Vandali, sicut isti populi omnes, culpa Cæsarum Græcorum, qui tales ipsis miserant doctores, contaminati erãt furoribus Arrianis: & dum obsiderent Hipponem, in vrbe mortuus est Augustinus, consumtus ingenti animi dolore, propter ruinas & calamitates Ecclesiæ, anno ætatis 76. anno Christi 430. Gensericus postea regnum Vandalicum in Aphrica cõstituit, ex quo est adortus Italiam, & Romam anno Christi 459. captam spoliauit. *Roma capta à Gotthis & Vandalis.*

Durauit autem regnum Vandalorum in Aphrica annos 95. desijt sub Iustiniano, vltimo rege victo & capto à Bellisario. Sub eodem Iustiniano anno Christi 546. tertio Roma à Totila rege Gothico capta & destructa est. Sed has historias recitare integras non est nostri instituti: satis est nos inquirere nostræ gentis mutationes. Quæ fuerit fortuna Lygiorum, qui domi in suis sedibus manserant, etiam significat historia.

Tempore Valentiniani tertij, circa annum Christi 434. Attila Hunnos ex Scythia Orientali in Pannoniam adduxit, quorum fuit multitudo, & truculentia maxima: & non solum Gotthos sibi subiecit, verũ etiam populos, quicunq; Carpatho erant vicini, domuit: & perspicuè dicitur in historia, seruisse ipsi Ardaricum regem Gepidarum, qui nunc sunt Sepusij, orti & ipsi à Gotthis, deinde Marcomannos, Sueuos, Quados. Iste motus Attilæ irruentis, non minima causa fuit, cur Gotthi & Vandali facilius sese passi sunt in Italiam & Galliam vocari. *Attila regnauit in Silesia.*

Vandali impares Gotthis miserunt ad Attilam oratum, vt ipsis veniret auxilio in Hispanias contra Gotthos. Ibi ille Tyrannus planè Stygius contraxit ex omnibus populis sibi seruientibus quin- *Attilæ Scutia.*

quies

quies centena millia hominum, infudit se in Germaniam & Galliam vbi omnia tanta rabie immanitatis compleuit, vt ad eius famam tanquam infernalem spirantis flammam, totus orbis expaueſceret.

Aetius Romanus, usus auxilio Henetorũ & Gotthorũ, fudit Attilam.

Occurrit ipsi tamen ad Tolosam Galliæ vrbem, Aëtius dux Romanus peritus & fœlix, qui optimo consilio adiunxerat sibi Gotthos & Francos: imò narrat historia scripta ea ætate, omnes populos ad Aquilonem, inter quos fuerunt etiam Sarmatæ, id est, Heneti, vicini Attilæ, ad exercitum Aëtij, tanquam ad restinguendum commune incendium, cõcurrisse: & tandem ita atrox prælium commissum est, quale fortasis aliud in genere humano non fuit, cæsa sunt centum octoginta millia hominum, & magni torrentes sanguinis, raptantes secum cadauera, fluxerunt.

Theodoricus rex Gotthorum interfectus.

Etsi victoria penè fuit ambigua, cum ex partibus Aëtij cecidisset Theodoricus rex Gotthorum, tamen Attila campo cessit, & reliquias sui exercitus reduxit in Pannoniam. Aëtius suo quodam consilio noluit vrgere victoriam, quod tamen postea perdidit Italiam.

Non autem hæc subito acciderunt. Nam cum Attila in vastatione Germaniæ & Galliæ consumsisset annos penè sex, primum anno Christi 455. ad Tolosam cæsus est. Rediens in Pannoniam collegit omnes copias, tanquam alter Phaëton, minitans orbi terrarum faces & cineres. Inuasit igitur Italiam, cepit aliquot potentes vrbes, & cum Romam esset petiturus, mirabili Dei consilio â Leone Episcopo vrbis, & senatoribus legatis exoratur, vt vrbi parcat. Rursus igitur domum rediit, & meditabatur bellum in Sarmatas & Germanos. Sed cum illi noua nupta adduceretur, in conuiuio repentè sanguinem vomens extinctus est, correptus procul dubio Apoplexia forti, quæ eum eueſtigio strangulauit.

Attila inuasit Italiam.

Attila extinguitur.

Attilæ filij uicti sunt à Gothis.

Hunni & Auari occupant Pannoniam.

Ita subito liberatus est mundus grauissimo terrore circa annum Christi 459. Post eius mortem, cum ipse tantum fecisset vastationes, nec vllam formam regni constituisset, filij ipsius victi, necati, & ex Pannonia pulsi sunt, quam Gotthi recuperarunt, & retinuerunt annos centum. Deinde rursus ab Hunnis confirmatis auxilijs Auarorum victi sunt. Inde est appellatio Hungarorum, ab Hunnis & Auaris.

Sarmatici regni initium post mortem Attilæ.

Mortuo Attila, & attritis gentium nostrarum viribus, tot migrationibus & cladibus, credo non multo post cœpisse Sarmatas Lygijs, & vicinis prouincijs dominari, cum quidem in Germania nulla esset alia potentia, quæ illos impediret. Nam Franci, Saxones, Sueui, & plerique alij, iam in Italiam & Galliam migrauerant: ipsi autem Sarmatæ aucti auxilijs vicinorum Roxolanorum & aliorum, sedes desertas Lygiorum & aliorum Sueuorum occupa-

runt.

runt. Inter Gotthos tamen & hos populos iam fuit inimicitia. Nam & Theodoricus rex, quem nominant Veronenſem, loca vltra Carpathum depopulatus eſt.

Eadem verò ætate Longobardi, ex ſuis ſedibus progreſsi, occuparunt Noricum & Pannoniæ partem: quod ita accidiſſe puto, quia gentes illæ Germanicæ & Sueuicæ, reſpuentes imperium Sarmatarum, vltrò patriam reliquerunt: quæ fuit, teſte Ptolemæo, ad medium Albis, circa Magdeburgum. Sicut autem in alijs migrationibus plures fuerunt populi coniuncti, etſi appellatio penes illos manſit, qui fuerunt autores & duces: ita tunc Senones, & procul dubio, multi ex Lygijs, Longobardis ſe adiunxerunt.

Longobardi fugerunt regnum Sarmatarum.

Manſerunt in illa ora Pannoniæ annos quadraginta duos: Tandem anno Chriſti 568. tranſgreſsi in Italiam, inde depulerunt Gotthos, & conſtituerunt in ea regnum, quod durauit annos 204. & deletum eſt à Carolo magno.

Longobardorum regnum in Italia.

IMPERIVM SCLAVORVM IN Sileſia, quod ſub idolomania Ethnica durauit annos ferme 500.

REcitauimus hiſtoriam veterum Lygiorum, qualem ex ſcriptis antiquorum excerpere, & probabili coniectura aſſequi potuimus: nunc autem nouum ſeculum & nouum regnum ordimur. Primum autem, cum tam triſtes caſus noſtræ gentis in tam terribilibus migrationibus & cladibus legimus, ſubeat animum noſtrum cogitatio de miſerijs generis humani, & de ira Dei delentis totas gentes propter peccata: & ſimul filio Dei, monſtratori patriæ magis beatæ & ſtabilis, nos commendemus, & ſperemus eum Eccleſiæ ſuæ præparaſſe ſedem quietam & fauſtam, quæ erit ſine ærumnis in domo patris ſui, vbi ſunt multæ manſiones.

Poſt interitum igitur Attilæ, deſertis ſedibus non ſolum veterum Lygiorum, verum etiam vicinorum Germanorum, Senonum, Hermundurorum, Marcomannorum, Boiorum, commouit ſe gens Sarmatica ex illis amplisſimis regionibus, quæ nunc habent nomen Ruſsiæ vel Moſchouiæ, ab ipſo mari glaciali vſq; ad paludem Mæotidem, & has terras occupauit, reliquijs incolarum coactis, vt ipſorum acciperent Imperium. Supra autem de origine gentis huius diximus, quam exiſtimamus eſſe Henetam, & diſtinguendam à barbarie Scythica vel Tartarica.

Sarmatæ ſunt egreſsi ex Moſcouia in Poloniam & Sileſiam.

Hæc opinio, quæ nititur coniecturis probabilibus, procul dubio eſt accipienda. Itaq; mirum eſt, inueniri inter ipſos ſcriptores Polonos, eoſq; primi nominis, qui malunt gentem ſuam Sclauonicam

Sarmatæ fuerunt Heneti non Scythæ.

nicam ex Scythis à Caucaſo educere, quam eam honeſta origine antiquitatis ornare.

Conſtat ex indicatione veterum Geographorum, Sarmatas hæc ipſa loca inhabitaſſe, quæ nunc ſunt Moſcouia. Perſpicuè vero dicitur ab antiquis, maximam partem Sarmatarum eſſe Henetos. Sedes vero Henetorum veterum monſtrantur in Aſia à vetuſtis ſcriptoribus: addunt etiam multi, eos cum Cimbris ad Arctum migraſſe. Quæ igitur eſt ratio, ea reuocandi in dubium? Si quem mouet nouitas appellationis Sclauorum, vt ideo exiſtimet gentem etiam eſſe nouam, is cogitet, valde vſitatum eſſe, vt populi mutatis ſedibus, etiam vel à loco, vel ab euentu aliquo noua nomina quærant: ſicut ipſa Italia, Gallia & Germania ſæpe mutarunt appellationes. Ita cum gens Sarmatica, id eſt, Heneta in hac parte Europæ nouum regnum conſtitueret, etiam recentia vocabula quæſita ſunt, quibus ſeſe à Scythis, & ab ipſis Moſchis diſcernerent.

Sarmatæ ſe nominarunt Sclauos.

Omnes ſcriptores Polonici narrant, gentem Sclauonicam duos habuiſſe ductores, eoſq; fratres Lechum & Zechum. Lechi agmen compleuit ſedes veterum Lygiorum & Quadorum: & potitus eſt his locis ſine bello, quia & fermè tunc ea erant deſerta, & ſi quæ erant reliquiæ veterum incolarum, illi fortaſſe ipſi Sclauos accerſiuerunt metu vicinorum.

Lechus & Zechus ductores Sclauorum.

Zechus occupauit amœnam illam vallem inter montes Sudetes, cedentibus ipſi Marcomannis & Hermunduris: eamq; ſeruato veteri nomine, appellauit Bohemiam. Immiſit etiam nouos colonos in regionem veterum Marcomannorum, quos nominauit Morauos, aut à flumine aut ex antiqua appellatione, & ſimiliter alios in illum tractum, qui eſt inter Albim & Salam, qui dicti ſunt Sorabi, quod ipſum nomen eſt à Sarmatis: vnde etiam eſt Sorauia oppidum Sileſiæ. Aliud deinde agmen magnam partem littoris Balthici inuaſit, illi Vindi, Veneti vel Heneti ſunt nominati, quorum ſedes ad ipſum vſq; Sueuum fluuium, & ditionem Brandeburgenſem pertinuerunt. Ita poſt exhauſtas vires Germaniæ creuit potentia Henetorum.

Zechus occupauit Bohemiam.

Heneti occupant ueteres ſedes Germanorum.

De appellatione Poloniæ, quæ genti Sclauicæ, propagatæ in has noſtras regiones, attributa eſt, etiam ipſi autores patrij non conſentiunt: deriuant aliqui vocem à planicie, alij à ductore gentis. Mihi veriſimilia protuliſſe videtur vir omnibus vitæ ornamentis clariſsimus D. Sigiſmundus ab Herberſtein, qui in hiſtoria ſua Moſcouitica, ex annalibus Moſchorum tradidit, olim ad nobilem vrbem Kiouiam, vbi eſt confluens Neparis & Boryſthenis, non longè à ripa paludis Mæotidis, habitaſſe populos Ruthenicos, qui dicebantur Poleni, id eſt, Campeſtres. Inde igitur proculdubio commota eſt maxima multitudo Sarmatica, quæ in noſtra loca migrauit. Et credibile eſt nomen illud vetuſtum eſſe. Nam ampliſ-

Poloni dicti à camporum planitie.

ſima illa

sima illa gens Sarmatica, olim etiam vocabulis diuersis fuit distincta, quæ secum deinde in has regiones importarunt.

Existimo verò Polonos dictos esse respectu aliorum, qui dicebantur Riphæi, hoc est, montani, quod propius mundi cardinem, aut ad montes habitarunt, cum ipsi Poloni incolerent agros vicinos Euxino & Austro. Ex Riphæis vero veteribus multi secuti sunt Zechum in Bohemiam, qui, vt opinabile est, suam appellationem istis montibus impresserunt. Nam altissima iuga Sudetum, quæ Silesiam attingunt, adhuc hodie nominantur montes Riphæi vel Gigantæi.

Riphæi montes Silesiæ à populis Riphæis.

De rebus gestis Henetorum ab initio, pauca aut nulla extant monumenta, sed post receptam Christi doctrinam, quædam ex veteri sermone maiorum annotata fuerunt. Ego in hoc breui scripto non texam integram historiam regni Poloniæ, cum hoc à meo consilio & argumento sit alienum. Exponam vero breuiter tempora præcipuarum mutationum in hoc regno, cui tunc Silesia fuit subiecta: & ostendam eorum congruentiam cum historijs Germanicis. Copiosius autem describam ea, quæ propriè pertinent ad Silesiam.

Imperium Lechi existimatur fuisse placidum & quietum, nec traditur, quos habuerit filios superstites, aut quam diu illi regnauerint. Dicuntur eo tempore condita quædam oppida & arces in Polonia, structura non multum magnifica, vt Gnesna, quæ fuit sedes Principis, & dicitur significare nidum. Post interitum stirpis Lechi in Polonia fuit Aristocratia, Prouincijs diuisis inter septem Principes, quos ipsi sua lingua Veiuodas, scriptores Latini Palatinos nominarunt: cuius dignitatis simulacra adhuc hodie in Polonia conspiciuntur.

Lechi regnum Placidum.

Gnesna urbs Poloniæ condita à Lecho.

Aristocratia in Polonia.

Abrogato rursus statu Aristocratico, delatum est regnum ad quendam Cracum, quem multi ineptè nominant Grachum, & affingunt fabulas de Romana origine: ille condidit vrbem, in veteri sede Quadorum, Cracouiam. Mortuo patre Craco & filio Leseo, regnasse dicunt apud Polonos puellam Vendam, filiam Craci, viraginem animosam, quæ fortiter defendit patriam aduersus vicinos, & ferme eodem tempore Bohemica historia narrat de puella Valasca, quæ Bohemiam septennium cum suis virginibus obtinuit. Historiæ sunt similes veteribus narrationibus de Amazonibus.

Palatini Poloniæ.

Cracus rex condidit Cracouiam.

Venda filia Craci uirago.

Fuit illi bellum cum vicinis Germanis, qui haud dubiè fuerunt Franci & Saxones. Nam illi scribuntur repressisse Sarmatas. Causa belli narratur, quod dux Teutonicus petiuerit coniugium Vendæ, & cum ea Principatum quoq;. Hunni deinde confirmati accessione Auarorum, qui ex Prouincia Iura, vltra Moscouiam sita, se commouerant, & Gothis rursus regnum Pannoniæ, post cen-

Hunni adoriuntur Poloniam.

teſimum annum fermè ab exceſſu Attilæ, eripuerant, adorti ſunt etiam vicinam Poloniam, quæ, cum eo tempore eſſet ſine certo Principe, ſcribitur eſſe defenſa à quodam Premislao, qui deinde factus eſt Princeps.

Carolus Magnus repreßit Polonos.

Poſtea recenſentur duo Lechi, pater & filius, quibus interceſsit bellum cum Carolo Magno, quod incidit in annum Chriſti 786. aut circiter: & excitatum eſt hac occaſione, quod Poloni, aut auiditate prædæ, aut metu potentiæ Hungaricæ, coniunxerunt ſe cum Hungaris aduerſus Germanos, eos repreſsit Carolus, & ex Pannonia ſuperiori eiecit, erecta contra eos Marchia orientali, quæ deinde nominata eſt Auſtria. Polonos etiam Carolus terruit, & ad petitionem pacis adegit, qui Aquiſgrani per legatos reconciliati ſunt Carolo ea conditione, vt perſpicuè teſtantur ſcriptores illius ſeculi, Eginhartus & alij, vt Imperatori ſoluerent tributum.

Carolus erexit Marchias contra Polonos.

Carolo Magno Poloni fuerunt tributarij.

Idem Carolus, ad arcendos Polonos à Germania, muniuit Brandeburgum anno 789. collocatis eò colonis ex Alſatia, quos tamen Poloni non multo poſt mortuo Carolo eiecerunt. Nam filij huius Leſci, quos habuit plures, veteres ſedes Longobardorum, Senonum & vicinorum inter ſe partiti ſunt, & excitatis multis munitionibus ſeſe aduerſus Germanos defenderunt. Cum illis tamen populis Henetis, Polonis & Bohemis, aſsidua bella geſſiſſe ſcribitur Ludouicus Caroli filius, circa annum Domini 830. Anno Domini 823. Francofurti iſte Ludouicus Principes Henetos, ad ſe accerſitos, pacauit.

Pompilius Princeps Polonorum diſcerptus à muribus.

Polonica hiſtoria deinde commemorat, duos Pompilios Principes, patrem quidem virum non malum: ſed filium ſceleratum, qui cupiditate regnandi patruos Principes veneno ſuſtulit, & deinde memorabili Dei iudicio à muribus & gliribus ſcribitur eſſe diſcerptus cum coniuge & liberis. Referatur igitur & hic euentus inter exempla pœnarum diuinarum, propter tragica peccata hominum.

Piaſtus ciuis Cruſuicenſis autor ſtirpis regiæ in Polonia.

Deinde euectus eſt ad regnum quidam honeſtus & mediocris fortunæ ciuis Cruſuicenſis Piaſtus, qui celebratur ob beneficentiam & hoſpitalitatem. Ab hoc ciue, præſtanti pietate & beneficentia deſcendunt longo ordine reges Poloniæ: & illis extinctis, ex ea familia adhuc ſuperſtites ſunt Inclyti Principes Lignicenſes & Brigenſes. Fuit hoc circa annum Domini 870. Ludouicus Balbus Cæſar Principem quendam Sclauicum ſub idem tempus bello vicit, & excæcauit.

Poſt Piaſtum collocatur Semouitus cuius gubernatio fuit fœlix. Recuperauit aliquot ex Prouincijs amiſſis diſcordia Principum: & multa ademit Morauis. Arnolphus Cæſar circa annum Chriſti 888. Morauos domuit: & Sclauos in limitibus coëgit ad ſeruandam pacem. Poſt hunc numeratur Leſcus Quartus filius Semouiti,

Semouiti, qui fuit amans quietis & pacis. Illi succesſit Semomyslus, qui & ipſe contentus ſuis finibus quieuit.

Sub his duobus Principibus circa annum Chriſti 910. & proximi hunc ſequentes, Principes Sclauici, qui tenebant tunc bonam Marchiæ Brandeburgenſis & Miſniæ partem, & his adiuncti Bohemi crudeliſsimè vaſtarunt vicinam Germaniam, ſed ſub annum 920. ab Henrico Aucupe grauiter cæſi ſunt, & pleriq; ex illis deuicti & domiti. Principem Bohemicum captum coëgit, vt fieret tributarius Romani imperij. Cepit Brandeburgum, & alia loca anno 927. & vt Germaniam muniret aliquo ſtabili præſidio, in limitibus conſtituit Marchias, Brandeburgenſem, Miſnenſem, & Luſaticam, quibus præfecit viros nobiles, præſtantes robore animi & vſu militiæ, qui deinde multos annos aſperrima bella geſſerunt cum Polonis & Henetis vario ſucceſſu.

Henricus Auceps repreßit Sclauos.

Henricus Auceps conſtituit multas Marchias contra Sclauos.

Quàm igitur tunc Sileſia illis continuis bellicis excurſionibus fuerit afflicta, & exhauſta, facile poteſt æſtimari. Semomyslo naſcitur vnicus filius, iſq́ue cœcus, Mieslaus, qui poſt ſeptimum ætatis annum ex miraculo viſum recepiſſe ſcribitur, quod fuit omen ſignificans, ſub eo Principe veram lucem Chriſti populos Sarmaticos accepturos.

Mieslaus cœcus recipit uiſum.

Hactenus annales Polonici recitant hiſtoriam valde perplexam & mancam. Sed ab hoc tempore, quo Chriſtiana doctrina huic genti innotuit, & ab exteris hominibus doctis cum religione ſimul literæ, & aliqua ſtudiorum initia illata ſunt, etiam monumenta publica meliori cura conſcripta ſunt, & ea, quæ memoria hominum adhuc extabant, repetita.

Nunc igitur Principes & Reges Polonorum ſuo ordine nominabimus, & ea quæ Sileſiæ acciderunt explicatè referemus.

MIESLAVS PRIMVS PRINCEPS
Chriſtianus in gente Sarmatica.

SErò doctrinam filij Dei amplexa eſt gens Sclauonica. Quia & natura prona eſt in ſuperſtitiones, & quia propter continua bella, eáque immania, non patuit aditus doctoribus Euangelij in hæc loca. Contra vero in Germania ſuperiori cito ſemina Euangelij ſparſa ſunt. Quia in Germaniam penetrabant Romani exercitus, & conſtituebantur ibi coloniæ Romanæ, in quas, pietate hominum nobilium, vocabantur Apoſtolorum diſcipuli, qui ipſi quoq; in his locis, vbi maior erat modeſtia morum, libentius viuebant, quam in Græcia vel Aſia, quæ erant horribili turpitudine contaminatæ.

Sclaui ſero acceperunt religionem Chriſtianam.

Legimus igitur, Dionyſium Areopagitam veniſſe Luteciam, Lazarum reſuſcitatum ex morte Maſſiliam, Maternum audito-

Apostolorum discipuli docuerunt in Germania.

rem Petri Argentoratum, Crescentem Moguntiam, Clementem Metim, Lucium Cyrenæum, qui fuit filius Simonis Cyrenæi illius, qui Christum iuuit in gestanda cruce, Augustam Tiberiam, quæ nunc est Ratispona, Marcum Pauli Comitem, ad vrbem Passau.

Ecclesiæ Germicæ laudatæ ab Irenæo.

Ab his igitur iam tunc vox doctrinæ in illo populo propagata est, & citat Irenæus honorificè testimonia Ecclesiarum Germanicarum: Vlteriores autem gentes, Gotthicæ, Vandalicæ, & deinde Longobardicæ, culpa Imperatorum Græcorum infectæ sunt labe dogmatis Arriani, quod ipsi deinde immani cum sæuitia defenderunt, grauissimè afflictis pijs, qui retinebant veritatem in hoc articulo: ita vt verè existimari possit, tyrannidem & rabiem istam irritasse iram Dei, & fatales pœnas attraxisse in hos populos, qui plericq; miserabiliter trucidati & deleti sunt.

Gotthicæ & Vandalicæ gentes fuerunt punitæ propter furores Arianorum.

Carolus Magnus religionem Christianam propagauit in Saxoniam.

Gentem Saxonicam ad verum cultum Dei flexit Carolus Magnus, qui in quodam diplomate affirmat, bellum se gessisse, vt gens Saxonica in posterum, non sibi, sed Deo seruiat. Inter gentes Henetas, nationes Illyricæ & vicinæ, primæ Christianam doctrinam acceperunt, quod accidisse scribitur sub annum Christi 860. illisq; concessum est, vt in templis vterentur lingua populari: cum in senatu Pontificis inter deliberationes de hoc negotio, subito, vt dicunt, audita esset vox: Omnis Spiritus laudet Dominum, quamuis, vt aliqui ex vetustioribus recitant, & credibile est, hoc testimonium tunc ab ipsis legatis Cyrillo Episcopo & alijs citatum sit. Morauos deinde erudijt Methodius, curante hoc Arnolpho Imperatore: neq; multo post Bohemi quoq; ad Ecclesiam accesserunt, docente eos eodem Methodio, qui tunc erat exul.

Illyricæ gētes primæ inter Henetas acceperunt doctrinam Christi.

Moraui & Bohemi inserti Ecclesiæ.

Fuisse hoc circa annum Christi 895. constat, & in historia Aeneæ Syluij errorem esse centum annorum, quem ego suspicor à typographo commissum. In Prouincias etiam Poloniæ paulò pòst emanabat notitia Euangelij, & passim instituebantur congressus in syluis, & locis solis, ob metum magistratus, tandem cum in aula quoq; religio illucescceret, Princeps persuasus à suis, appetijt nuptias filiæ Ducis Bohemorum Boleslai (qui iugulauit postea fratrem Venceslaum, quem Bohemi inter sanctos numerant) puellæ Dambronicæ, quod nomen fuit etiam auiæ paternæ, fœminæ sceleratæ. Cum his nuptijs Mieslaus simul religionem Christianam suscepit, accepto sacro Baptismate Gnesnæ. Fuit hoc anno 965.

Mieslaus & Polonia accipiunt fidem Christi.

Egidius Cardinalis Tusculanus constituit Ecclesias in Polonia.

Statim posteaquam hoc Romam delatum est, Pontifex Iohannes 13. misit in Poloniam Egidium Cardinalem Tusculanum, qui hinc inde in Regno constituit Episcopatus, vt nominant, & Ecclesijs præfecit homines Italos & Germanos, qui facerent initium

religio-

religionis,& populum erudirent. Ex edicto itaq; regio,simulachra idolatrica vbiq; in Polonia publicè confracta & exusta sunt, die septimo Martij, is fuit eo anno dies Dominicus quartus in quadragesima,quem nominant,Lætare Hierusalem.Horum Encæniorum memoria diu conseruata est in hac gente,& eo Dominico die gesta sunt simulacra terribilia, similia spectris, in perticis, eáque tandem in cœnum deturbata, qui mos adhuc hodie à pueris & puellis in Silesia repræsentatur, & nominatur dies ille Dominica mortis. Quia etiam malos genios solebat colere,& placare vetustas Ethnica, ne nocerent.

Encænia Poloniæ & Silesiæ.

Qualis autem tunc fuerit forma, vel status religionis,ostendunt historiæ illorum temporum: Plurimum creuerant superstitiones sub Ludouico pio Imperatore Caroli filio,& paulatim confirmati sunt multi tetri abusus, sed tamen Monarchia Pontificia nondum fuit ad supremum culmen euecta. Ideoq; illa ipsa collegia Canonicorum olim fuerunt scholæ,in quibus adolescentia erudiebatur in doctrina cœlesti,in bonis artibus, & simul habebat exercitia precationum & lectionum in templis: illis collegijs Episcopus, tanquam præcipuus rector & inspector doctrinæ & disciplinæ Ecclesiasticæ, præerat: sicut circa illam ætatem Otto secundus, filius præstantissimi Imperatoris Ottonis primi, adolescens didicit literas & Ecclesiæ doctrinam in collegio Hildeshemensi,& publicè vna cum suis æqualibus in templo precatus est, & cecinit.

Religionis status sub Mieslao primo principe Christiano.

Collegia Canonicorũ fuerunt scholæ.

Tales scholæ tunc etiam in Polonia constitutæ sunt,quæ etsi sua habuerunt iam contagia: tamen non fuerunt illi abusus intolerabiles, quos excogitauit ætas posterior. Ideo & sacerdotes tunc habuerunt vxores, & nondum instituta illa theatrica circumgestatione panis, minus erat idolatrici cultus in missis: neq; homines ita ad statuas sese prouoluebant: nondum etiam noua illa examina Monachorum nata erant: etsi,vt dixi, paulatim lux veræ doctrinæ extinguebatur, quæ fermè tota conticuit centesimo anno post hanc ætatem, vbi Pontifex Romanus, oppressis Imperatoribus Romanis,ad se omnem potestatem traduxit.

Sacerdotes fuerunt mariti.

Magna autem liberalitate Principis, constituta sunt nouem collegia in Polonia, ex quibus Gnesnensi præfecerunt Archiepiscopum: qui esset præcipuus gubernator ministerij in toto regno: addunt quidam, eandem dignitatem atributam etiam Cracouiensi, sed quam multo post amiserit. Inter cætera collegia fuit etiam Smogrense, quod deinde successu temporis Bicinam, tandem Vratislauiam translatum est. Est autem Smogra ignobilis pagus in parte Aquilonari Viadri, milliaribus fermè decem distans à Vratislauia: vnde æstimari potest, Silesiam tunc nondum

Episcopatus nouem constituti in Polonia.

Smogrensis Episcopatus.

dum habuisse vrbes frequentes, & ipsum collegium non fuisse simile Episcopatui Vratislauiensi, qualis nunc est.

Godefridus primus Episcopus Smogrensis.

Fuit autem primus Episcopus Smogrensis Godefridus Romanus vir doctus & pius, qui rexit Ecclesiam annos septendecim inter magnas ærumnas & labores, cum populus adhuc mordicus quasdam opiniones & ritus idolatricos retineret, & nobilitas, sicut narrat historia, barbaricam exerceret crudelitatem. Beneficentia tamen Principis, etiam istis doctoribus locuples constitutus est victus. Nam attributæ sunt Episcopis in omnibus Prouincijs decimæ ex omnibus frugibus agrorum. Quod ipsum sicut in illa vastitate regionis nondum excultæ fuit necessarium: ita sequenti ætate multas peperit offensiones in Silesia, Episcopo ius suum defendente, Principibus verò & ordinibus volentibus excutere illud onus nimis, vt visum est, graue.

Decimæ sunt concessæ Episcopis in Polonia.

Ritus obseruatus à nobilitate in templis.

Inter alia scribitur in historia, nobilitatem, vt testaretur studium suum in defendenda & propaganda religione recens accepta, anno Christi 979. fecisse publicum decretum, vt Sacerdote inchoante recitationem Euangelij ad aram, omnes nobiles gladios aliqua ex parte nudarent, eosq; choro respondente vsitato cantu, tandem reconderent.

Hungaria accepit religionem Christianam.

Eadem ætate Hungaria etiam fidem Christi amplexa est, & Stephano regi ipsorum imposita corona, quam Mieslaus etiam petiuit à Romano Pontifice, sed reiectus fuit ad Imperatorem Ottonem Tertium, cuius maxima fuit autoritas etiam in Italia, à quo deinde filius Mieslai titulum regium impetrauit.

Periodi fatales Regnorũ.

Hic autem cogitandum est, cum ex consentienti testimonio historiæ totius mundi, fatalis Periodus regnorum, post quam graues solent incidere mutationes, sit quingentorum annorum, quid tribus his regnis Hungarico, Polonico & Gallico, in quo tunc etiam noua familia Hugonis Capeti, Caroli Magni stirpe excussa, cœpit regnare, circumacta hac periodo sit expectandum: & notum est qualis iam facies publici status in his regnis conspiciatur. Deum igitur precemur, faciat vt possimus effugere ventura mala, & stare in conspectu Filij hominis.

Vrbanus Episcopus Smogrensis.

Mortuo Godefrido Episcopo Smogrensi successit Vrbanus etiam Romanus, qui accersitis viris doctis, & adducta supellectile vtilium librorum, studia literarum in Silesia excitauit. Fuit hoc anno Christi 983. Anno deinde 987. gens Moscouitica vel Ruthenica didicit & accepit ritus religionis Græcæ, qui legatis missis ad explorationem & inspectionem Ceremoniarum Ecclesiasticarum, melius placuerant quam Latini: sicut vsitatum est homines neglecta doctrina delabi ad externa spectacula.

Moschi inseruntur Ecclesijs Græcorũ.

Tantum

Tantum autem postea gens illa addidit superstitionum, vt ipsi Græci eos nunc vix pro suis agnoscant. Cum apud ipsos, teste viro grauissimo & nobilissimo Sigismundo ab Herberstein, nunquam populus publica explicatione doctrinæ, & concionibus eruditur: Caput pietatis collocatur in quibusdam superstitiosis obseruationibus, & cultu statuarum: & quia sunt oppressi tyrannide horribili, opiniones sui Principis etiam in religione solent habere pro lege immutabili: propemodum sicut Athenienses degeneres olim fecerunt decretum, quicquid visum esset regi, illud esse pium & iustum. Tueatur nos Filius Dei ab impietate & crudelitate Mesech & Cedar.

Gubernatio vero Mieslai alioqui fuit tranquilla. Scribitur duo tantum gessisse bella. Ruthenicum, quo deinde sæpe Poloni implicati sunt, & Bohemicum: vt collocaret in ducatum, patruum filium Boleslai pupillum, quem aliqui proceres aspernabantur, Ornasse dicitur Prouincias extructis aliquot vrbibus & arcibus: inter quas etiam numeratur Vratislauia, cuius instaurationem omnino in hæc tempora puto incidere; sicut etiam Glogouiæ: Sed de his infra dicetur.

Mieslai primi bella & mors.

Vratislauiæ & Glogouiæ urbium Silesiæ exordia.

Anno 987. horribilis fuit fames in Polonia, & in toto mundo, propter magnam sterilitatem. Decessit Mieslaus Anno 999. Reliquit superstites Boleslaum filium, & nepotem Mieslaum.

BOLESLAVS PRIMVS DICTVS
Acer, primus Poloniæ Rex.

NAtus est anno Christi 967. ex muliere Bohemica, quæ fuit neptis S. Venceslai ex fratre, vt supra dictum est. Fuit Princeps sapiens, iustus & fœlix, & verè suæ gentis Augustus. Impetrauit ab Imperatore Ottone tertio nomen regium. Imposita est ipsi corona Gnesnæ ab ipso Cæsare. Scriptores Poloni referunt, Ottonem ex voto profectum Gnesnam, vt inuiseret sepulchrum Adalbrti, interfecti propter doctrinam à Prutenis, & describunt pompam plusquam Persicam, qua dicunt exceptum & tractatum fuisse Cæsarem à suo Rege.

Otto tertius Imperator proficiscitur Gnesnam.

Ista procul dubio vanitate veterum historicorum conficta sunt. Neq; enim Otto Imperator potens & fœlix, ob hanc causam tam longum iter ingressus esse putari debet: cum ea ætate nondum in frequenti vsu essent illæ peregrinationes, & Martyr ille recens parum esset notus Germanis. Deinde neq; tunc potuit esse ille fastus, & ostentatio purpuræ & auri in Polonia: cum regnum adhuc esset nouum, parum excultum vrbibus, atq; ideo minime opulentum, ita vt ipsi scriptores non arbitrentur, tunc vsum fuisse numismatis aurei vel argentei in Polonia.

Sed

Sed credibile est Boleslaum, vt exemplo Hungariæ, suas Prouincias in certam formam regni redigeret, quod ad hæredes suos posset transmittere, appetiuisse nomen regium à Cæsare, & Ottonem etiam pacis & quietis publicæ causa, vt tandem illa longa bella inter Sclauos, & Principes Imperij, præsertim Marchiones, finiret, non grauatim hoc iter suscepisse. Neq; dubium est, exquisitos illi fuisse habitos honores pro ratione ætatis illius, vbi nondum valde regnauit luxus. Imperator hospiti suo Boleslao regi donasse scribitur vnum ex clauis, quibus Christus dicitur confixus esse in cruce, & lanceam D. Mauricij.

Otto tertius ornauit Boleslaum I. dignitate regia.

Obseruandum vero est, quod plærisq; ex scriptoribus Germanicis, propinqui etiam illi ætati, narrant, regnum Poloniæ tunc esse factum tributarium Imperio: illudq; non modo vero consentaneum est, verum etiam in sequentibus narrationibus subinde repetitur. Historia Polonica hoc constanter negat, etsi hæc societas, & subiectio imperio tunc florente, cuiq; aliæ gentes nobilissimæ parebant, regno huic nihil esset ignominiosa.

Regnum Poloniæ fit tributarium imperio Romano.

Optandum erat ab omnibus prudentibus, Ecclesiæ, patriæq; amantibus, talem esse regnorum in Europa coniunctionem, vt emineret aliquis insigni autoritate, & potentia munitus, qui esset Dux publici consilij, & murus contra incursiones barbararum gentium, quæ & huic & alijs regnis minantur excidia.

Tales olim fuerunt Cyrus, Augustus, Constantinus, Carolus Magnus, sub quibus Monarchiæ constitutæ sunt armis & legibus: in ista vero sæculi nostri dissipatione, odijs & dissidijs Europæ, fatales impendent interitus.

Vt firmior esset concordia tunc inita, Otto neptem suam ex sorore Mechtilde filiam Erenfridi Comitis Palatini ad Rhenum Rixam, despondit Mieslao filio Boleslai, puero duodecim annorum, quæ eodem anno in Poloniam missa est, ibiq; educata. Inter scriptores exigua est dissensio de tempore. Nam Poloni scribunt, Ottonem Gnesnæ fuisse anno 1001. Deinde fuisse eum superstitem annos duos, quibus ordinem & ἀξίωμα, Principum Electorum in Germania instituit: voluntq; eum veneno extinctum esse, anno 1003. Historia autem Germanica nominat annum 1001. mortis Ottonis. Sed diuersitas hæc leuis & parui momenti est.

Rixa neptis Ottonis tertij despondetur Mieslao filio Boleslai.

Adalbertus vero ille, Polonorum numen, fuit Episcopus Pragensis, præstans pietate & virtute: Is cum Bohemiam, propter gentis impietatem, reliquisset, profectus est in Italiam, deinde passim in Hungaria & Polonia Ecclesias recens nascentes inspexit; tandem Prussiam, adhuc tunc idolatricam, adijt, eam de Christo erudire cœpit, & ibi à populo barbaro interficitur, anno 997. Cadauer eius emit à Prutenis Boleslaus, & Gnesnæ sepelijt. Dies

Adalbertus Episcopus Pragensis & Martyr.

mortis

mortis eius, qui est 23. Aprilis, toti Poloniæ est festus, præcipuè verò Gnesnensibus, vbi celebres tunc sunt nondinæ.

Inter bella Boleslai primum nominatur Bohemicum, de quo dissimiles sunt narrationes, aliæ Polonorum, aliæ Bohemorum: & accusatur Aeneas Syluius, quod fuerit Polonis iniquior. Graues clades tamen Boleslaum tunc intulisse Bohemiæ constat: adeoq; genti imperasse tributum. Scribitur autem, Bohemos irritasse Polonos, cum extremam oram Silesiæ ad montes Sudetes essent depopulati. Ita sub hanc ætatem factum est initium bellorum inter gentes Henetas, Polonicam & Bohemicam, quod multis annis post subinde solitum est recrudescere, eoq; grauissime sæpe concussa & afflicta est Silesia, quæ propter vicinitatem | fuit exposita primis periculis.

Boleslai primi bella.

Bohemica & Polonica bella inchoantur sub Boleslao primo.

Anno 1008. conuertit se Boleslaus ad bellum Russicum vel Moscouiticum, quod fuit difficile, & tamen faustum Boleslao. Nam multis magnis prælijs Moschos vicit, & vsq; ad Borysthenem progressus est, occupata vrbe Kiouia, vbi olim fuit Polonorum patria. In eo bello tanta fuit virtus ipsius Boleslai, vt Moschi appellauerint ipsum acrem. Tertium bellum Poloni nominant Saxonicum, quod inchoatum est anno 1012. & durauit vltra quinquennium.

Boleslaus primus uicit Moschos.

Scribunt Poloni causam Boleslaum hanc habuisse, quod gentes Sarmaticæ, dictæ Heneti & Vendæ, in littore Balthico & ad Albim fluuium passim à Germanis essent oppressi & domiti. Volunt autem, regem suum impunè peruagatum esse vniuersam Germaniam Septentrionalem ad ipsam vsq; Cimbricam Chersonesum, & ad ripam Salæ trophæa & limites ipsum fixisse. Verum ex consensu historicorum, qui illi sæculo fuerunt viciniores, intelligi potest, Boleslaum repudiata pace, quam cum Ottone iniuerat sub Henrici Bauari imperio, quem initio ciuilia arma, & deinde bella Italica exercuerunt, inprimis vicinas Marchias, Lusaticam & Misnensem, cum exercitu percurrisse: occupasse etiam vrbes Budissinam & Misenam, vt Henetis seu Vandalis, quos in suam potestatem Marchiones redegerant, esset præsidio.

Boleslaus primus uastauit Germaniam.

Boleslaus primus occupauit Budissinam & Misenam urbes.

Etsi autem ad Cimbricam vsq; Chersonesum eum victorem peruasisse nostri scriptores non commemorant, & vix credibile sit, robur penè vniuersæ Germaniæ illi tam facile fuisse cessurum, quod Carolum Magnum totos triginta annos represit: tamen Vandalicam gentem, quæ à ripa Albis ad Salam vsq; habitabat, eum aliquot annos coniunctam cum regno Poloniæ retinuisse, consentaneum est.

Historiæ nostræ narrant, tantam fuisse tunc Vandalorum crudelitatem, vt etiam odio nominis Germanici doctrina Christi abiecta, redierint ad veteres idolomanias: & Episcopatus Magdeburgen-

Vandalorum crudelitas in proprias Ecclesias.

burgenſem, Mersburgenſem, Miſnenſem, conſtitutos ab Ottone primo, armis diruerent, Epiſcopis trucidatis: quod ſine dubio fiducia auxiliorum Polonicorum factum eſt. Sed Henricus Bauarus, ſedatis motibus inteſtinis, arma conuertit in Principem Bohemicum, qui ſpreta autoritate Cæſaris ſeſe tributarium Polonorum effecerat, & intra paucos annos, vt referunt noſtræ hiſtoriæ, non modo Bohemum ad officium compulit, verumetiam Vandalos domuit, Epiſcopatus & templa diruta inſtaurauit, & Boleslaum ad ſeruanda vetera pacta adegit. Hoc tamen ego crediderim, non inſigni aliqua clade, ſed tranſactione cum Imperatore eum redijſſe in gratiam.

Prußiæ ueteris incolæ.

Pacem Germanicam excepit bellum Pruſſicum. Habitabant vero in Pruſsia olim populi, & ibi adhuc ſunt reliquiæ illorum, qui lingua Henetæ vel Sclauonicæ planè diſſimili vtebantur, ſicut & in locis aliquot Liuoniæ, cui erant intermixta vocabula latina.

De origine gentis illius, neminem probabilius quid afferre vidi, quam D. Peucerum virum Clariſs: qui putat eos in illas regiones Arctoas, deſertas tunc à Sclauis, qui ſeſe in Germaniam & Poloniam infuderant, migraſſe ex Valachia, & fuiſſe olim colonos Italicos collocatos in Valachiam ab Imperatoribus Græcis, vt arcerent Sclauos ab imperio Conſtantinopolitano, ſed ſuperatos tandem multitudine & vi Sclauorum, patriam reliquiſſe.

Etſi autem poſteritas inter barbaros, vt ille inquit, barbara facta eſt: tamen aliquos mores gentis Italicæ veteris in quotidiano vſu balneorum, in ritu funerum, in cremandis cadaueribus ſuorum, retinuerit. Huic genti, quæ & tunc, & multo poſt mordicus ſua retinebat idola, intulit bellum Boleslaus euentu ſatis fœlici.

Boleslaus primus uicit Boruſſos.

Nam aliqui ex Boruſſis tributum illi promiſerunt. Verum ante ingreſſum nobilitatis & ordinis Teutonici, nullus fuit finis bellorum & tumultuum.

Boleslai primi Iuſticia & pietas.

VItimum bellum denuo ipſi interceſsit cum Moſchis, quod tamen cito vna victoria, eaq; inſigni finijt. Domi fuit iuſtus & induſtrius in vniuerſa gubernatione, & inprimis commendatur pietas ipſius erga tenuiores, quibus præſidio erat contra crudelitatem nobilitatis, adeo vt, ſi ipſi eſſent imperiti, ſuo ſumptu curaret illis patronos, qui cauſam ipſorum proponerent: & ſæpe tam reum quam actorem inopes, vſque ad finem litis ſumptu ſuo in aula aleret.

Recitatur dictum eius memorabile, malle ſeſe ſola gallina veſci, & interea æquale ius omnibus dicere, quàm inter magnas delitias vitæ conniuere ad ſcelera potentum. Laudatur etiam in primis ſtudium eius erga religionem, & munificentia in Eccleſias. Diſtinxit etiam prouincias regni, diſtributis oneribus militaribus,

vt in

vt in subitis casibus Reipub: facilis & certa esset collectio exercitus, quæ ratio adhuc regno illi salutaris est, & in limitibus, ad arcendas incursiones hostium, erexit arces & munitiones. Denique talis fuit Boleslaus, vt certum sit eum annumerandum præcipuis generis humani Principibus, qui à Deo ad constitutionem Ecclesiarum & regnorum excitati sunt. Meritò igitur retinenda est eius memoria, tanquam Principis armati à Deo sapientia, virtute & fœlicitate in rebus gerendis.

Boleslaus primus fuit heroicus Rex.

Habitus eius depingitur, quod fuerit temperamenti quodammodo medij inter biliosum & sanguineum. Ideo fuit animosus & promtus ad magna facinora sine crudelitate, & in pace modestus & humanus. Decessit anno 1025. proximo post mortem Henrici Bauari, anno ætatis 58. Ante mortem instituit sibi successorem Mieslaum filium, cui moriens Rempub: & Ecclesiam diligenter commendauit, illiq́ue futuras calamitates & clades regni prædixit.

Narrat Dugloſſus, Cometam eo anno fulsisse, qui existimatus sit fuisse nuncius mortis regiæ. Sepultus est Posnaniæ, magnumq́ue sui desiderium populis suis reliquit.

Cometa apparuit.

MIESLAVS SECVNDVS.

Hic multum fuit dissimilis patri, imbecillis corpore & animo, adeo vt ante mortem parum mente constaret. Rexit eum Regina Coniunx, mulier sapiens, quæ cum ex consideratione potentiæ Germanicæ, & amore suæ gentis hortatrix esset viro, ne opponeret sese Imperatori, venit in odium apud Polonos. Quiescente igitur Mieslao, cum etiam alioqui infœlix esset præliator, Bohemi recuperarunt Morauiam, & præsidia Polonica ex suo regno eiecerunt. Imperator etiam Conradus Saliquus, vir acer & prudens, Henetos in locis Germaniæ imperio coniunxit. Creuerunt inde Duces Mechelburgenses, Respublica Lubecensis & alij.

Mieslaus secundus imbecillis Rex.

Narrant etiam Poloni, Marchionem Brandeburgensem, tunc planè repudiato imperio Polonorum, factum esse Imperij Principem: quod si verum est, non video quomodo potuerit ab Ottone tertio, Marchio Brandeburgensis inter electores cooptari. Pomeraniam tamen Mieslaus armis retinuit in sua obedientia. Moritur 1034. sepultus Posnaniæ. Coronationi Mieslai interfuit Clemens Episcopus Smogrensis, iste repurgauit Silesiam ab omnibus idolatrijs Ethnicis. Fuit homo Romanus, mortuus anno 1027. successorem habuit Lucillium Italum, qui inhonestos mores sui Sacerdotij seuerè castigauit.

Heneti traducti in potestatem Principum Germanicorum.

Clemens Episcopus Smogrensis.

CASIMIRVS MONACHVS.

MOrtuo Mieslao, cum filius propter ætatem teneriorem, nondum aptus esset ad gubernationem, regnum commendatum est Rixæ reginæ: Sed ea iam tunc inuisa erat Polonis & creuit deinde odium in ipsam. Etsi autem historia Polonica eam accusat propter auaritiam, tamen annales alij valde vetusti manuscripti laudant eius pietatem & iusticiam: scribunt autem eam in se concitasse odia gentis, quod exemplo Boleslai soceri, coherceret nimiam licentiam nobilitatis, quæ partim adhuc implicata idolatricis cultibus, partim ex feritate morum, grassabatur in Ecclesias, exercebat tyrannidem in subditos, & aspernabatur autoritatem reginæ.

Rixa regina Vidua una cum filio Casimiro profiscitur in exilium.

In ista ἀναρχίᾳ cum mulier prudens & sancta, sicut ipsi fatentur Poloni, insidijs & manifesta vi se peti videret, profecta est in exilium ad Conradum Cæsarem in Germaniam, cui vt ius suum in Poloniam seruaret integrum, transmisit vtrumq; diadema Regis & Reginæ: asportauit etiam nobilem thesaurum ex Polonia pro viatico & alimento. Filium adolescentem, aut tunc statim, sicut credibile est, secum abduxit, aut, vt aliqui volunt, eum ex Hungaria, quo secesserat, accersiuit, eum deinde, cum prius domi autoritate patris adhibitus esset ad studia, misit Lutetiam in scholam, qui inspecta etiam Italia, semper sua persona dissimulata, tandem ingressus est religionem Monachorum ordinis Diui Benedicti, vbi in literis, & exercitijs pietatis exul vitam suam transigere decreuerat.

Casimirus ingreditur monasterium.

Polonia duriter fuit afflicta exulante Casimiro.

Interea Polonos secuta est Nemesis. Regnum intestinis seditionibus, & externis bellis penè funditus perditum est. Nam cum nullus finis esset tyrannidis, nobilitas etiam ipsa inter se latrocinia exerceret, orta est seditio multitudinis rusticæ, quæ passim crudelem in modum grassata est, & iam reuocabantur veteres idolatrici cultus. Moschi etiam ab vna parte Poloniam latissimè sunt depopulati. Quidam Maslaus occupauit Masouiam, eamque de suo nomine dixit.

Bohemi atrociter uastant Poloniam.

Ab altera vero parte Bisetislaus Bohemorum Princeps, vltus veteres iniurias, cum exercitu infesto Silesiam & Poloniam inuasit: Cepit, sicut dicitur, nominatim Vratislauiam, &, vt scribit Syluius, Cracouiam: deinde Posnaniam, atq; etiam sedem Regiam Gnesnam, quam vnà cum templo beneficentia Principum Polonorum ornato & ditato spoliauit, & inde auexit corpus S. Adalberti: etsi Poloni præ se ferant, Bohemos Gaudentij cadauer ex errore, pro Adalberto abripuisse, penè sicut apud Herodotum Rex Aegyptius decepisse dicitur Cambysen. Itaq; nunc etiam ea res in dubio est, & vtriq; suum Adalbertum ostendunt.

Hæc

Hæc acciderunt anno Christi 1038. Nec reliquisset Poloniam Bohemus, nisi Conradus Imperator, exoratus precibus Reginæ Rixæ exulis, quæ populi sui, quamuis ingrati, mouebatur interitu, eum vi & armis retraxisset, quod bellum inchoatum à patre Conrado, qui anno proximo pòst decesit, filius Henricus Tertius, teste Syluio, est prosecutus: is tandem capta Praga metropoli Regni, Principem ad pacem adegit.

Bohemi retrahuntur ex Polonia à Cæsare Conrado.

Rixa exul seruauit regnum Poloniæ.

Adjcit Syluius, tunc ex sententia Imperatoris Silesiam fuisse relictam Bisetislao, aut Prædislao, vt alij eum nominant, ita vt quotannis Prouinciæ huius nomine tributum Imperio Romano penderet, quod fuit auri triginta, argenti 150. librarum. Hoc si ita accidit, necesse est Silesiam paulò post à Casimiro esse recuperatam, & haud scio, an non postea hoc prætextu Iohannes Rex Bohemiæ, Silesiam à Polonis repetiuerit. Litigatum est etiam Romæ coram Pontifice de ornamentis templorum, sed nullo cum successu.

Silesia traditur Bohemis ab Imperatore.

Interea reliquiæ ex nobilitate Polonica serò peccata sua intellexerunt, & inierunt consilium de reuocando Casimiro, & cum à matre cognouissent, eum in Gallia Cluniaci esse Monachum, profecti eò inuenerunt eum mutato nomine dici Carolum, & iam sacris initiatum. Multa tentarunt, vt iuuenem placarent, tandem etiam impetrarunt à Romano Pontifice, vt eum solueret religione. Sed Pontifex Polonis grauem, & penè ridiculam multam imposuit.

Casimirus ex Monasterio reuocatur ad regnum.

Ἐπιτίμια imposita Polonis à Romano Pontifice.

Ex populo enim singuli iussi sunt soluere quotannis Pontifici nummulum vnum, vt inde in æde D. Petri Romæ perpetua aleretur lucerna, quamuis historici vetustiores affirmant, initio datos esse ternos nummulos, & cribrum auenæ, si igitur ex ea pecunia, quæ fuit maxima, conflata fuit Romæ fax, oportet eam fuisse vastissimam. Pensionem hanc nominarunt nummum S. Petri, & inde scriptores Poloni sumunt argumentum, vbicunq; ille numeratus est, fuisse eas regiones ditionis Polonicæ.

Pontifex Romanus facit illi regnum Poloniæ tributarium.

Secundo, omnes Poloni viri iussi sunt radere caput exemplo Monachorum. Tertio iniunctum est nobilitati, vt in templis ex collo fasciam lineam suspenderent, quali vti solent Diaconi: vt ita meminissent, recuperasse Polonos regem, qui fuisset Monachus & Diaconus. Casimirus matrem non persuasit, vt rediret in Poloniam, cum fœmina sapiens metueret, ne veteres offensiones recrudescerent, filium iuuit pecunia, & ab Imperatore Henrico ipsi impetrauit diadema, & nomen Regium. Ipsa in Germania Magdeburgi, aut, vt alij volunt, Salfeldiæ vitam finijt.

Rixa moritur in Germania.

Casimirus renouatis cum Cæsare veteribus pactis, redijt in Poloniam anno 1041. Regnum fermè collapsum virtute sua restituit. Duxit in matrimonium Principis Ruthenici filiam, & hac

affinitate gentem eam ſibi conciliauit. Deinde auxilijs Germanicis recuperauit Maſouiam, & autorem defectionis, inſtructum auxilijs Pruſſicis, fudit & interfecit. Pacato regno ab hoſtibus, cœpit conſtituere Eccleſias, & Rempub. Scribunt illi à Bohemis ſub certis actionibus redditam eſſe Sileſiam, quam Caſimirus exornauit & muniuit.

Sileſia redditur Polonis.

Tunc igitur exeruit nomen ſuum Vratislauia, & in eam vrbem, auctam frequentia hominum & ædificijs, Caſimirus collegium Epiſcopi, quod paucos annos, propter clades bellicas, in oppidulo Bizina fuerat, tranſtulit anno 1052. illudq; pluribus reditibus donauit. Sum autem in ea ſententia, Vratislauiam culturam & nomen ſuum accepiſſe iſto interregni tempore, quando Bohemi Sileſiam obtinuerunt, etſi inſtauratio prius à Mieslao primo fuerat inchoata, vt quidem ſuo loco copioſius exponetur.

Vratislauia excolitur.

Vratislauia quando nomen acceperit.

Regebat tunc Eccleſiam hanc Hieronymus Romanus, qui ſepultus eſt Vratislauiæ in æde ſacra lignea & vili, dicata diuo Iohanni. Apparet verò, gentem noſtram ſingulari pietatis quodam affectu, complexum eſſe diuum Baptiſtam, quod ipſum à primis noſtris maioribus fuit acceptum.

Hieronymus Epiſcopus Vratislauienſis.

Nam in hiſtoria regum Longobardorum in Italia ſcribitur, tanta veneratione populum illum, qui in hac vicinia ſedes habuit, & ex Sileſia fuit collectus, proſecutum eſſe S. Baptiſtam, vt vulgo exiſtimatum ſit, eos vinci non potuiſſe, antequam cultum iſtum ſpernerent. Caſimirus etiam, vt gratus eſſet ſuis nutricijs, colonias Monachorum Benedicti in Poloniam deduxit, & ſodalicium vnum collocauit Leubuſium in Sileſiam ad Viadri ripam, vbi olim fuerat celebris cultus idoli Ethnici.

D. Iohannes Baptiſta religioſe cultus eſt à Sileſijs.

Leubuſienſis Cœnobij exordium.

In tota vita & gubernatione fuit iuſtus & clemens. Deceſſit anno 1058. reliquit ſuperſtites filios duos, Boleslaum & Vladislaum. Etiam huius mortem præceſſit Cometa.

Cometa uiſus eſt arderi.

BOLESLAVS SECVNDVS.

FVit vir acer & bellicoſus, beneficus tamen & liberalis in ſuos, & initia regni fuerunt glorioſa. Tria aſperrima bella geſsit, Bohemicum, Hungaricum & Moſcouiticum, ſatis fœlici cum ſucceſſu, & Bohemicum quidem finitum eſt per nuptias. nam ſororem ſuam collocauit nuptum Principi Bohemorum. Dicitur autem exercitus ipſius corruptus eſſe otio & voluptatibus in vrbe Kiouia, quæ propter vicinitatem græcas delitias vſurpabat.

Kiouiæ urbis delitiæ.

Interea dum nobilitas in ſeptimum annum abeſſet, mulieres domi conſueuerunt cum ſeruis, & ex illo prohibito concubitu plurimæ pepererunt. Nobiles mariti, re comperta, deſerto Rege recurre-

currerunt domum. Rex eos consecutus, animaduertit in desertores castrorum asperius, & infantibus mulierum abiectis, catulos vberibus earum admouit. Ipse etiam rapuit nobilis viri coniugem, eaq; est abusus. Accusatur præterea, quod in gubernatione fuerit negligens & sæuus.

Adulteria mulierum Polonicarum.

Etsi autem videtur esse prægrauatus odio sacerdotum, quod fuit magnum, tamen & hoc exemplum monstrat, quanta sit imbecillitas hominum, in quibus non modo valetudo, robur corporis, aut fortuna, sed etiam ipsa virtus, quæ animæ quoddam decus est, leui occasione mutatur & extinguitur. Iste est, qui iugulauit D. Stanislaum, & suæ genti conciliauit perpetuum patronum. Quamuis vero credibile est, Stanislaum, qui fuit Episcopus Cracouiensis, fuisse virum sanctum, eumq; pietatis zelo arsisse, tamen in ipsius historia recitantur fabulæ plenæ impietatis & ineptiarum.

Boleslaus Secundus iugulauit D. Stanislaum Episcopum.

Stanislai Episcopi Cracouiensis historia.

Dicitur obiurgasse Regem propter scelera, & hortatum esse ad vitæ emendationem, quod factum dignum est Episcopo Ecclesiæ. Cum autem hac libertate in se iram irritasset Regis, quæsita sunt artificia, quibus vicissim premeretur & excuteretur: sicut talia consilia Sinonia vsitata sunt in aulis. Subornati sunt igitur, qui criminarentur Stanislaum, quod inuasisset alienum prædium. Episcopus vocatus ad Regem, cum non posset emptionem suam aliter probare, venditorem suum, vt aiunt, qui ante triennium mortuus erat, resuscitatum ad Regem adduxit. Is cum satis excusasset Stanislaum ad Regem, & ab Episcopo tandem esset interrogatus, an optaret per aliquot annos esse superstes in vita, respondit, malle se, vt precibus Stanislai pœnæ purgatorij, quæ alioqui non futuræ essent amplius longæ, ipsi mitigarentur, vt paulò pòst in cœlum posset migrare, atq; ita exanimis in sepulchrum relatus est.

Apparet fabulam hanc fictam esse à sacerdotibus, producentibus venum suas indulgentias, & incendentibus purgatorium, quod ab initio constitutum est à Gregorio, moto à Spectris: etsi illæ narrationes magis verecundæ sunt, quam ista, quæ ascribit huic Episcopo miraculum, quod penè fuit glorioſius, quam resuscitatio Lazari, illudq; volunt esse editum propter retinendum vilem aliquem pagum. Sed vanitas facile se ipsam redarguit. Quia etiam peritis antiquitatis notum est, commentum hoc descriptum & in Poloniam traductum esse ex Heluetia, vbi in Monasterio Seccingensi plane simile in omnibus circumstantijs miraculum accidisse narratur factum à Frudelino Scoto sub annum Christi 500.

Fuit hoc anno 1074. post quinquennium idem Stanislaus Regem, nihil emendantem suam vitam, imitatus forte exemplum D. Ambrosij, publicè excommunicauit, & Cracouiæ cantum & actiones sacras sustulit. Ibi Rex iratus iussit eum trucidare ad aram, 8.

Maij. Cadauer dissectum in partes canibus obiectum est, quod dicunt tamen defensum à quatuor Aquilis, quæ alioqui in Polonia raro conspiciuntur, coaluisse.

Fuit hæc quidem sæuitia Regis iniusta, etsi & zelus Episcopi potuit excedere modum: tamen seditio, quæ contra ipsum furijs sacerdotum accensa est, non potest excusari. Nam cum sacerdotes querimoniam detulissent Romam ad Pontificem, ille totum Regnum fulmine suo ferijt, iussit claudere omnia templa, & tandem alienatis animis nobilium, & ordinum, ipsi Boleslao insidiæ struuntur, atq; ita infœlix Rex anno 1081. in spontaneum proficiscitur exilium, & in Hungaria paulò pòst egens & miser extinctus est.

Poloniæ regnum euersum est à Romano Pontifice.

Suadente demum Pontifice, & efficientibus hoc Sacerdotibus, ademptum est nomen regium Poloniæ, & ipsi sacerdotes ornamenta Regia clam ad se transtulerunt. Inde Polonia plurimis annis ciuilibus dissensionibus & cædibus in ea Principum multitudine & vilitate quassata & miserè debilitata est. Fuit autem is Pontifex Hildebrandus, qui etiam nostræ Germaniæ fuit fatalis, cum sub Henrico Quarto, maiestatem & potentiam Imperij Germanici suis consilijs insidiosis euerteret, & Monarchiam Romanam stabiliret. Numeretur igitur & hic Boleslaus inter exempla humanæ infirmitatis, & simus memores illius dicti, maximis hominibus maxima accidere mala. Obseruetur etiam, qui sint fructus regni Pontificij.

Boleslaus Secundus perijt exul.

Hildebrandus Pontifex Germaniæ & Poloniæ fuit fatalis pestis.

Refertur de hoc Boleslao elegans factum. Allata fuerat in aulam magna vis auri & argenti: stetit ibi quidam sacrificus inops, spectator, is admirans diuitias illas altùm cepit ingemiscere, audit hoc Rex, & quærit, quæ sit causa mœroris sui. Respondit ille, admirari sese opulentiam & beatitudinem Regiam, deplorare verò suam miseriam, cui nihil harum pulcherrimarum rerum domi sit. Rex liberalis, equidem faciam, inquit, vt & tu sis beatus, & iubet eum tantum auri & argenti accipere, quantum possit auferre suo pallio, illudq; cum videretur esse lacerum & infirmum, Rex curauit ipsi afferri recentius. Sacerdos, sicut natura hominum est auara, tantam molem in vestem illam infarsit, vt redituro domum, in via ex onere, cum nolet quid abijcere, ceruices fractæ esse dicantur. Rex cognito casu, cadauer & aurum, tanquam damnatum quid, in flumen abijci iussit.

Auaritiæ inexplebilis exemplum.

VLADISLAVS PRIMVS

Poloniæ ethnarcha.

PVlso fratre commendatur gubernatio fratri Vladislao, titulus tamen regis illi non tribuitur, repugnantibus Episcopis, qui tunc exemplo sui Pontificis, & Episcoporum Germaniæ, summam sibi in regno vendicabant autoritatem: nec placari poterant propter cædem Stanislai, nisi iniurias suas cum malo publicò vlciscerentur.

Ethnarchæ Poloniæ.

tur. Nam cum amplius ducentis annis nullus esset Rex in Polonia, & Principes ipsi inter se dissiderent, nec magna eorum esset autoritas, regnum miserabiliter à Scythis, Moschis & intestinis bellis fuit laceratum. Fuit autem consuetudo, vni ex Principibus tribuere summam autoritatem in regno, cui alij parerent: cum ipsi nominant Monarcham incommodè, nos eum Ethnarcham nuncupabimus.

Initium gubernationis Vladislai incidit in annum Christi 1082. Nupta fuit illi Iudith filia ducis Bohemiæ. Fuit Princeps bonus & quietus, qui bella sua in primis confecit per legatos, fermè sicut Iustinianus. Gessit diuturnum bellum, & vario cum euentu cum Prutenis & Pomeranis. Ira autem tunc creuerat superstitio, vt Princeps vota faceret pro suscipienda mascula prole D. Egidio in Gallia, ad cuius Monasterium missa est splendida legatio cum muneribus. Iam enim cura pietatis penè tota relegabatur ad monachos, vnde & paulò post diuersa examina monachorum prodierunt.

Cum in Pomerania bellum non satis esset prosperum, persuasum est Polonis, puniri milites diuinitus, quod tempore quadragesimæ soliti essent vesci lacticinijs. Mortua Regina etiam Bohemicum bellum suscitatum est, & sunt concitati Bohemi in Polonos ab Henrico Quarto Imperatore, qui anno 1086. Vratislao Principi Bohemorum, Moguntiæ in conuentu Imperij, tribuit nomen & dignitatem regiam, & simul adiudicauit illi Morauiam, tanquam Prouinciam regni, fecitq; illi potestatem, vt Silesiam, Lusatiam & totam Poloniam ad se traduceret: cuius concessionis causam nullam aliam reperio, quam quod Cæsar querebatur, Imperio non exolui pensiones constitutas & promissas recens suo Patri à Casimiro Monacho: deinde quod Vratislai fideli opera vtebatur in bello ciuili contra Saxones.

Vratislaus Bohemiæ Princeps ornatur dignitate regia, illiq; adiudicatur Silesia.

Narratur expressè, hanc partem Silesiæ, quæ nominatur inferior, tunc ex diuturna pace bene cultam crudeliter à Bohemis fuisse direptam & vastatam. Anno 1094. tamen translatum est bellum in Morauiam, ibiq; qua ratione sit sedatum, victoria, an verò, vt aliqui volunt, pretio, non satis constat. Nec multò post ciuilia bella exercuerunt Poloniam. Susceperat Vladislaus filium nothum, Sbigneum, animi, vt apparet, quidem generosi, sed turbulenti, nimisq; ambitiosi: sed eum, cum legitimum haberet ex Iuditha vxore Boleslaum bonæ indolis Principem, ablegarat in Saxoniam, vt ibi viueret in Monasterio. Interea in aula ex successu militiæ creuerat quidam Palatinus Cracouiensis, Secechus: is, sicut in rebus secundis homines raro manent modesti, abusus sua fortuna & gratia apud Principem, multos ex nobilitate & plebe iniustè afflixit: ita vt plurimi etiam potentes viri in voluntarium exilium in Bohemiam proficiscerentur. Exules tandem instigati à Bohemis, Sbigneum cum aliqua manu Germanorum, Monasterio eductum, ad se accersunt, atq; ipso duce petunt Silesiam.

Sbigneus mouet bellũ contra patrem.

Secechus superbus aulicus.

Solebant vero tunc Principes Poloni in Sileſiam collocare gubernatorem, qui ſedem ſuam habebat Vratislauiæ: is tunc erat quidam comes, quem nominant Magnum, illi intercedebant inimicitiæ cum Sececho. Sbigneus igitur cum exulibus accedens ad Vratislauiam nunciat gubernatori, ſe non venire vt hoſtem patris ſui, ſed vt frangerent tyrannidem Secechi, qui ſeſe & totum regnum per vim opprimeret, contra quem auxilia à Sileſijs peterent. Etiam ordinibus Prouinciæ grauis erat ſuperbum illius aulici regnum, ideo recipitur Sbigneus in arcem.

Vratislauia defendit exules contra Principem.

Vladislaus pater, miſſa legatione, mandat Vratislauienſibus, vt Sbigneum eijciant: ſed illi profitentur, nunquam ſeſe diſceſſiſſe à fide Principis, ſed orare tantum, vt exules, homines honeſtos, non ſinat ita crudeliter opprimi. Sed Princeps cum exercitu ad vrbem accedit: ibi cum populus, præeunte Epiſcopo Ziroslao, ipſi prodijſſet obuiam, & ſupplex veniam petijſſet, redijt cum illis in gratiam. Sbigneus autem metuens iram patris, iam in Pomeraniam fugerat, vbi tandem prælio victus & captus eſt à patre. Non multo poſt tamen Vladislaus bonus pater, exoratus precibus Archiepiſcopi, Sbigneum non ſolum recepit in gratiam, ſed eum etiam filio legitimo Boleslao, in adeunda hæreditate exæquauit. Iſti duo deinde filij Principis Vratislauiæ inierunt conſilium in Secechum,

Secechus ejicitur in exilium.

illiſq; annitentibus pellitur in exilium, amiſſa priſtina dignitate & loco.

Talis fuit exitus illius aulici, qualis apud Tiberium Seiani, & multorum aliorum, qui ſua fortuna & potentia abutuntur ad ὕβριν, & oppreſſionem infirmorum. Eadem ætate Bohemi rurſus aggreſſi ſunt Sileſiam, & ad Vratislauiam vſque proceſſerunt, tandem, vt haberent ſtabilem receptum, Camenzium arcem ad ripam Niſſæ, vbi poſtea Cœnobium conſtructum eſt, munierunt: illam tamen paucis annis poſt rex Bohemicus nepoti ſuo ex ſorore Boleslao, filio Vladislai, reſtituit.

Intulit etiam Moſchis bellum per filium Boleslaum, fœlici cum euentu: ſed fermè Polonis ſemper ſatis fuit, ſi Moſchos potuerunt arcere à ſuis finibus. Nam raro eos longius proſecuti ſunt. Moritur Vladislaus 1102. anno.

BOLESLAVS TERTIVS, DISTORTVS.

Boleslaus tertius fuit fœlix bellator.

NOn habuit Polonia Principem, qui fuerit acrior & fœlicior præliator, quàm iſte Boleslaus: & quidem, etſi naturæ bonitas & generoſitas magna fuit, videntur fuiſſe in ipſo impetus nimis calidi, cum paſſim omnes vicinos in ſe irritaret. Nec tamen

plurimis

plurimis & maximis victorijs aliud profecit, quam vt sua tueretur.

Adortus est initio Bohemos, & Morauiam fermè totam vastauit. Deinde instaurauit bellum Pomeranicum, & in hac historia primum fit mentio Glogouiæ. Narrat enim Dugloſſus, Boleslaum, vt Pomeranos deluderet, collegisse exercitum Glogouiæ, præ se ferens expeditionem Bohemicam, sed inde subitò mouit in Pomeraniam. Fuit ἐνψοχωδίνω, ita vt cum paucis familiaribus non dubitaret inuadere iustum exercitum Pomeranorum. *Glogouiæ urbis prima mentio.*

Cum prospiceret bellum Bohemicum futurum esse grauius, pleraque loca oportuna in Silesia munijt. Exordia igitur multorum oppidorum & arcium in hoc tempus incidunt. Non multò post immiscuit sese bello Hungarico. Henricus enim Quintus Imperator iustas causas irarum habebat aduersus Colomannum Regem Hungariæ, qui fratrem regno expulerat, & milites Christianos, qui ad Godefridum Bilioneum, Imperatorem expeditionis Asiaticæ contra Sarracenos & Turcos, per Hungariam iter faciebant, passus erat violari & deleri.

Regi Hungariæ misit auxilia Boleslaus, & dum in castris Cæsaris esset Princeps Bohemiæ Suantopultus ipse interea Bohemiam deprædatus est. In Hungaria nihil effectum est. Nam Rex cum Cæsare amicè transegit. Post hoc bellum Boleslaus fratrem Sbigneum, cui pater Masouiam, &, vt aliqui scribunt, Poloniam maiorem etiam dederat, insimulauit proditionis, eumq; ex regno excussit. Rursus igitur infœlix Sbigneus exulatum in Bohemiam concessit. *Sbigneus denuò exulat.*

Anno 1109. exarsit bellum Germanicum cum Cæsare Henrico Quinto. Illud cum describatur à scriptoribus Polonis mirabili cum splendore virtutis Polonicæ, recitabo primum historiam ex ipsorum Chronicis, deinde indicabo, quid de eo bello Germanici scriptores vicini illi seculo, atq; etiam vetusti annales Polonici annotauerint. *Boleslai tertij bellum cum Henrico quinto Cæsare.*

Irascebatur Henricus Cæsar Boleslao propter auxilia missa ab eo Regi Hungarico, & propter deuastatam Bohemiam, præterea Sbigneus exul assiduis precibus opem à Cæsare implorabat. Henricus collecto exercitu, quem sequebatur Suantopultus Bohemorum Princeps cum suis copijs, & Sbigneus cum exulibus, Silesiam, quæ tunc Poloniæ parebat, ingreditur. Libusium oppidum limitaneum cepit, & illud, pro fœlici belli auspicio donauit Archiepiscopo Magdeburgensi. Deinde accedens ad Viadrum adoritur Bythoniam, quæ habebat arcem tunc munitam, hodie vero illa diruta est, & oppidum in alium locum translatum, ea vero à præsidio Polonico fortiter defensa est, ita vt Imperator non sine clade castra indè mouerit. *Henrici Quinti Imperatoris expeditio in Poloniam.* *Libusium oppidum capitur ab Henrico Quinto.* *Bythonia frustra oppugnatur ab Henrico Quinto.*

Postea

Postea scribit Dugloſſus, Cæſarem in hac vicinia occupaſſe oppidum Recenum, quod diu ante in memoria hominum eſſe deſijt. Deinde adortus eſt Glogouiam. Fuit autem ipſi difficile ſuperare flumen Oderæ, cum ripam aduerſam ad vrbem Boleslai copiæ tuerentur. Cæſar tamen nouo vado inuento non procul ab vrbe, die S. Bartholemæi ante meridiem, dum populus aſtat miſſæ theatricæ, exercitum in alteram ripam traduxit, & multos ex agmine Boleslai incautos oppreſſit, magna tamen copiarum pars in vrbem euaſit. Deinde inſtituit oppugnationem vrbis Glogouiæ, quam tunc ſcribunt fuiſſe frequentem, ſed parum munitam, quod muri ex vetuſtate eſſent collapſi.

Glogouia oppugnatur ab Henrico Quinto.

Oppidani petierunt à Cæſare inducias quinq; dierum, vt Principi poſſent ſignificare de ſua conditione, & promiſerunt, ſi ipſis intra illud tempus præſto non eſſet, ſeſe dedituros vrbem, Et, Cæſare hoc poſtulante, præcipuorum ciuium & nobilium filios miſerunt in caſtra pro obſidibus. Interea ipſi reficiunt muros: Boleslaus nunciauit Glogouienſibus, fortiter agerent in defenſione patriæ, ſe ipſis affuturum in tempore: ſi tamen, quod adhuc expectaret auxilia Hungarica & Ruthenica, intra quintum diem non veniret, ne propterea Cæſarem reciperent: ſed potius liberorum obſidum necem excidio patriæ anteferrent: ſi ſecus facerent, ſe ipſos finito bello cum ſuis regno eiecturum.

Glogouia ſuſtinet impetus Henrici Quinti.

Obtemperarunt ciues ſuo principi: Cæſar iratus terribilem inſtituit oppugnationem: & tandem, vt obſeſſos acerrimè ſeſe defendentes flecteret, obſides ſenatorum & nobilium liberos machinis alligatos telis ſuorum obiecit. Non pepercerunt his ciues, ſed extrema quæq; ſubeuntes hoſtem reijciunt. Cæſar tandem ſuos reducit in caſtra, amiſſis multis fortibus viris: ex quibus nobiles Germani domum remiſſi ſunt, Bohemi vero in campis ad Glogouiam ſepulti. Ciuitas Glogouienſis propter hanc fidem & conſtantiam erga Polonos multis ſeculis poſt ſemper genti illi fuit cara.

Glogouia fuit cara Polonis.

Interea Boleslaus auctus acceſſione nouorum auxiliorum, ex diuerſis partibus ſeſe Cæſari oſtendit, & ſubitis incurſionibus ita eum retinuit, vt nunquam vniuerſum exercitum mœnibus vrbis poſſet admouere. Cogitauit etiam, quomodo Cæſari detraheret auxilia Bohemica, quæ ſciebat eſſe robur in exercitu. Suantopulto igitur ſubornat percuſſorem, qui ſub ſpecie transfugæ Principem in caſtris, & quidem in tentorio Cæſaris, haſta transfixum occidit die Septembris 21. Sicarius, conſcenſo equo fugit, & aliquot qui ipſum perſequebantur vulneratis, euaſit ad ſuum Principem. Bohemi territi morte ſui Ducis, & metu belli domeſtici, dilapſi ſunt, & vnà cum illis Sbigneus, qui erat inuiſus Imperatori, eò quod Poloni nihil ad ipſum ſeſe commouerent. Imperatori placuit relinquendam eſſe Glogouiam: prius tamen in caſtra veherunt legati Polonorum petentes pacem.

Suantopultus Princeps Bohemorum interficitur in tentorio Henrici.

Cæſar

Cæsar re deliberata, illis respondet, daturum se pacem Boleslao, si velit exoluere pensionem, quam deberet Imperio, & Sbigneo suum patrimonium reddere. Illi respondent, nunquam Polonos ignobilem toleraturos seruitutem, nec Sbigneo homini infido amplius habituros fidem. Cæsar multa locutus de potentia imperij, thesauros suos, magnam vim auri & argenti illis ostendit: vt viderent paratos esse neruos belli. Ibi vnus ex legatis, annulum aureum digito detractum ad reliquum cumulum auri adiecit, cum his verbis: Iungatur aurum auro. Cæsar nihil offensus ea proteruitate, etsi intelligeret, sese contemni, respondit nostra lingua, Habdanck/ quæ verba à Polonis diligenter obseruata sunt, & vniuersa familia deinde nobilitatis illius ita appellata est. Nominantur enim Habdanci.

Habdancorum nobilium familia in Polonia.

Cæsar discedens Gloglouia, deflexit Vratislauiam versus, eam etiam tentaturus. In itinere Boleslaus confirmatis auxilijs sociorum subinde carpebat extremum agmen Cæsaris, nec die nec nocte requiem illis concedens: tandem, cum exercitum Cæsaris multis paruis prælijs, discessione Bohemorum, & ex contagijs videret esse factum imbecilliorem, cum eo iusta acie non procul à Vratislauia conflixit.

Fuit acerrima pugna, & dubiò cum euentu, sed Silesij ex insidijs adorti mediam aciem Cæsaris, ordines turbarunt, & fecerunt inclinationem prælij, ita vt Cæsariani effusa fuga dilaberentur: Ipse etiam Cæsar abiectis ornamentis ægrè euasit. Parta victoria Polonorum cadauera sepulta sunt, sed Germanorum bestijs discerpenda relicta sunt.

Boleslaus tertius magno prælio vincit Henricum.

Post paucos igitur dies, cum numerosi greges canum eò vndique accurrerent, & tanta eorum esset rabies, vt viatores tutò locum illum prætergredi non possent: multi enim à canibus lacerabantur, in vtraq; lingua campus ille caninus dicitur, Hundsfeldt. Hæc referuntur in Chronicis Polonicis.

Canini campi denominatio.

Etsi autem nequaquam gloriæ nostrorum maiorum inuidemus: tamen in historia veritatem inquirere necesse est. Inuenio igitur dissentientes ab hac narratione Dugloſsi, non solum Germanicos scriptores, verum etiam annales vetustiores ipsorum Polonorum.

Atq; vt taceam cæteros, historicus grauis & prudens Abbas Vrspergensis, qui illam ætatem attigit, de his rebus talia scribit. Post hæc ad Polonos, gentem longinquam, mouit exercitum: multoque ibi atq; diutino desudans labore, diu negatum à terra illa tributi exegit debitum. Existimare igitur possumus, concurrisse causas belli plures, inter quas tamen hæc fuit præcipua, quod Poloni pensionem constitutam sub Ottone, & renouatam sub Casimiro Monacho negarent.

Historici Germani à Polonis dissentiunt.

Etsi

Etsi vero seriem vniuersi belli non describit Vrspergensis, tamen exitum tandem Cæsari fuisse fœlicem significat. Illius magnæ cladis ad Vratislauiam, quæ penè similis fuit Cannensi, nostri non meminerunt. Aliqui ex Germanis memoriæ prodiderunt, ipsum Boleslaum à Cæsare prælio superatum & captum esse. Verum, sicut hoc ex certis rationibus credibile non est, ita maximè verisimilis est narratio vetustorum annalium manuscriptorum, vbi traditur, Cæsarem ad Glogouiam accessisse, eamq; irrito conatu oppugnasse: mouisse etiam ad Vratislauiam, sed exercitum à quotidianis excursionibus Boleslai ita afflictum, vt Cæsar flecti se passus sit ad pacem, propositis conditionibus longè æquioribus, quàm initio belli tulerat. Ideo etiam Dugloſſus, & reliqui commemorant, Boleslaum anno sequenti ad Cæsarem Bambergam perfectum, ibiq; Cæsari esse reconciliatum, pace etiam per connubia sancita. Boleslao enim ipsi desponsata est Adelheidis filia Henrici Quarti, soror Cæsaris: Vladislao autem filio Boleslai adolescentulo promissa Christina filia Henrici Quinti.

Boleslaus tertius reconciliatur Cæsari.

Boleslaum reuersum à Cæsare, reperio aliquandiu commoratum esse Glogouiæ, quam vrbem quassatam priori bello restituit & ornauit. Hisce igitur annis nouam ætatem huius vrbis cœpisse iudico: eamq; in alteram ripam Australem translatam esse, in eáque paulò post erectum est Collegium Canonicorum, quod vrbi tamen non admodum fuit vtile. Sed hæc legi poterunt suo loco.

Glogouiæ restitutio.

Anno IIII. rursus exarsit bellum Bohemicum. Nam cum Boleslaus videret Cæsarem implicatum esse bello Italico contra Pontifices, ipse inuasit Bohemiam ex veteri odio gentis, eamq; latissimè deuastauit. Sed retraxit eum bellum Prutenicum: ad quod cum anno sequenti esset profectus, interea agmen quoddam prædabundum à Sbigneo emissum Silesiam afflixit, quod tamen virtute incolarum deletum est.

Vladislaus Bohemorum Princeps, fractus magnis cladibus, pacem fecit, annoq; proximè sequenti, sicut conuenerat in conditionibus pacis, Boleslaus fratrem Sbigneum reuocauit ab exilio. Reuersus vero est domum ad necem. Nam cum proceres aulici subinde occinerent Boleslao, Sbigneum nihil remittere de pristino ingenio, eumq; domi grauiorem hostem futurum, mandante Principe trucidatus est. Conflata ipsi dicitur esse hæc calamitas præcipuè à factione Secechi.

Sbigneus reuocatus ab exilio domi necatur à fratre.

Talia solent esse fiabella crudelitatis & scelerum in aulis, à quibus plus malorum, quàm ab ipsis Principibus oritur. Ideo in historia Romana recitatur dictum cuiusdam Maximi Tyrij, qui pronunciauit, meliorem esse Rempub: & propè tutiorem, in qua Princeps malus est, ea, in qua sunt amici Principis mali.

Maximi Tyrij apopthegma de aulis.

Ipse

Ipse Boleslaus ob admissum parricidium vehementer indoluit, neq; vnquam hoc conscientiæ vulnus ipsi satis coaluit, dum vixit. 1121. nuptiæ celebratæ sunt inter Vladislaum filium Boleslai natu maximum, natum ex muliere Ruthenica, & Christinam filiam Henrici Quinti magno cum splendore. 1124. Boleslao etiam negotij quid fuit in Dania.

Vladislaus Secundus ducit Christinam filiam Henrici Quinti.

Alebat in aula sua iuuenem egregij spiritus Petrum Duuinum Danum, qui autoritate & potentia in regno Danico creuerat. Illius precibus expugnatus Boleslaus, misit classem in Daniam, quæ inde auexit patrem Petri cum magnis opibus. Iste Petrus condidit Monasterium S. Vincentij in suburbijs Vratislauiensibus, in quod collocauit Monachos Præmonstratenses, vt nominant, quod successu temporis auctum est diuitijs ingentibus, & suum Abbatem, si non pietatis, saltem luxus præmonstratorem egregiè pauit. Illud metu belli Turcici, senatus Vratislauiensis demolitus est. Monumenta fundationis monasterij Vicentini edita sunt anno 1139. sub nomine filiorum Boleslai, cum pater recens decessisset. Neq; alia extant vetustiora in nostra hac regione. Anno 1125. decessit Henricus Quintus, cui successit Lotharius Saxo. Extremus actus vitæ Boleslai fuit lugubris.

Fundatio monasterij Vicentini Vratislauiæ.

Celebre dictum est Pindari, bonam conscientiam suauem esse nutriculam senectæ. Neque enim, quantumuis florens fortuna homini dulcis est, vbi conscientia est saucia. Contabuit verò Boleslaus mœstitia propter necem fratris Sbignei: nec vlla vera remedia in illa religionis caligine & corruptelis, anxiæ menti adhibebantur. Profudit opes suas liberalitate prodiga in collegia & monasteria, corpus suum macerabat vigilijs, inedia, laboribus seruilibus & sordidis, vestitu squallido & aspero. Tandem magna ex parte pedes & nudus quidem, habitu rustici hominis, ne agnosceretur, iuit in Galliam ad S. Egidium, quem coluerat pater, rursus magna pecunia effusa in Monachos & egentes. Fuit hoc 1129. Deinde anno sequenti 1130. pedestri itinere inuisit sepulchrum S. Stephani Regis in Hungaria. Tertio adijt reliquias S. Adelberti Gnesnæ, quæ tunc recens publicè erant propositæ multitudini. Boleslaus ad ornamenta ipsius contulit octoginta libras auri, & gemmas multas maximi pretij. Neque tamen sic sanari potuit saucius animus, ignarus veræ & viuificæ consolationis, quam monstrat vox Euangelij. Neque solum sapientiam & animi vigorem amittunt magni Principes, sed etiam fortunam, quod accidit Boleslao.

Boleslaus tertius extinguitur animi mœrore.

Anno 1133. proficiscitur ad bellum Hungaricum, vt reduceret in regnum patrium nepotes suos ex sorore, & cum metueret bellum Bohemicum, muniuit Vratislauiam præsidio, sed Bohemi irrumpentes in Silesiam, plures quam trecentos vicos & pagos exussserunt, abducta ingenti præda. Boleslaus reuersus, vastauit ali-

Silesia grauiter uastata à Bohemis.

quam partem Morauiæ. Bohemus, cum metueret se armis Polonorum futurum esse imparem, confugit ad Lotharium Cæsarem, is, vt testantur historiæ Germanicæ, minatus est bellum Boleslao, nisi & pensiones, quas à duodecim annis debebat imperio, exolueret, & Bohemiam relinqueret intactam.

Boleslaus tertius petit pacem à Lothario Cæsare.

Boleslaus iam senex, ideoq; minus animosus, & cum peteretur bello Moscouitico, ad Imperatorem profectus est Bambergam anno 1135. eum datis muneribus placauit, cum Bohemo pactus est inducias trium annorum, & paulò post etiam pacem fecit, quia accepit magnam cladem à Moschis, exercitu eius florentissimo propemodum deleto, ipse vix ægrè ab ignobili milite seruatus euasit. Effudit omnes suas opes in redemptionem captiuorum, neq; tamen illæ satis fuerunt.

Moschi profligant Polonos.

Palatino Cracouiensi, qui fugæ autor fuit, reuersus domum, misit pellem leporis, colum & fusum, vt exprobraret ipsi timiditatem & animum muliebrem: Ille ex mœrore voluntario suspendio vitam finiisse dicitur. Cum igitur ad priores dolores etiam iste accederet, Boleslaus ex melancholia mente errare cœpit. Respuebat congressus & colloquia hominum, in solis locis seipsum excruciabat: perinde vt de illo dicitur: Campis errabat Elæis, Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans: Tandem lenta tabe consumtus est, posteaquam lecto totum annum fuisset affixus, adeptus finem vitæ, qualis contigit Bellerophonti, Aiaci, Herculi, & multis alijs præstantibus viris. Est enim hoc πάθος heroicum, quod nos etiam monet: nec eximiam sapientiam, nec florentem fortunam hominum sine Deo esse diuturnam.

Melancholiæ morbus est πάθος heroicum.

Boleslaus tertius sæpißime acie conflixit.

Decessit anno 1139. cum Lotharius eum proximo anno ante anteceſſisset. Quanta fuerit huius Principis virtus & gloria, inde æstimetur, quod scribitur, quadragies septies eum iusta acie conflixisse, & semper fuisse victorem. Vixit annos 53. imperauit triginta sex. Temperamenti fuit medij inter sanguineum & melancholicum, penè sicut Alexander magnus. Ideo similis ferè in ipso fuit ad præliandum ardor, & periculorum mortisq; contemtus.

Reliquit superstites filios quinque: Vladislaum, cui attribuit ditionem Cracouiensem & Silesiam, cum summa autoritate, vt esset ethnarcha: Boleslao Crispo assignauit Masouiam & vicinas oras: Mieslao Poloniam maiorem: Henrico puero oram Lubliniensem: præterijt autem filium infantem Casimirum, natum paucis mensibus ante suum excessum: rogatus causam, respondit, currum

Boleslai tertij vaticinium de fortuna suorum filiorum.

gestari à quatuor rotis, sed suum Casimirum in medio currus sessurum, & tandem ad istum summam rerum peruenturum. Aetate huius Principis, Anno 1131. Sobieslaus Princeps Bohemorum, qui Lusatiæ magnam partem occupauerat, instauraui & munivit celebrem vrbem Gorlicium, quæ prius sæpe fuerat vastata.

VLA-

VLADISLAVS SECVNDVS
ethnarcha Princeps Sileſiæ.

SVcceſſit patri ex teſtamento anno 1140. Fuit Princeps, vt apparet, non malus, ſed qui nec ingenio nec robore animi valebat. Initio ſtatim Bohemi vaſtarunt Sileſiam, atq; ita patria noſtra, inter perpetua bella horum duorum regnorum, fuit infœliciſſima, quæ ſemper primos ictus excipiebat. Bellum tamen hoc tunc cito deſijt, Principe Bohemorum mortuo.

Anno proximo poſt, cœpit diſſidium inteſtinum inter fratres, culpam huius rei Poloni transferunt in Chriſtinam vxorem Vladislai, filiam Henrici Quinti, cui tribuunt faſtum intolerabilem, ambitionem, auaritiam, & inprimis contemptum gentis Polonicæ. Fuit quidem fœmina nobiliſſima, cuius Proauus, Auus & Pater imperauerant, & ipſe Conradus Cæſar, qui fuit natus ex ſorore Henrici Quinti, propinquo gradu cognationis eam attingebat. Hæc tanta claritas fortaſſis muliebri animo auxit ſpiritus: ſed fuit certè ſuperbia & contumacia nobilitatis Polonicæ flagitioſa, quæ & ipſam, & Cæſarem quoq; faſtidiebat, & Vladislai patientia & credulitate abutebatur.

Chriſtina coniunx Vladislai accuſatur tanquam fax belli ciuilis.

Scribitur ex conſilio Chriſtinæ diſputatum eſſe in conuentu Polonico: eſſe è Republica, vt Prouinciæ parerent vni Principi: nam in illa diſſipatione & dilaceratione Regni nihil poſſe geri ſalutare. Proceres regni monuerunt Vladislaum, vt ſeruaret ordinem inſtitutum à Patre: inter quos præcipuè liberas voces emittebat Petrus Danus, cuius ſupra fecimus mentionem: is, cum antea in odio eſſet apud Dominam propter iocum quendam ſcurrilem, tunc etiam Principis animo ab ipſo abalienato, creata eſt illi calamitas ex gynecæo Principis. Hiſtoria digna eſt quæ obſeruetur.

Ioci nigri & ſcurrilis exemplum.

Fuerat Petrus comitatus Principem ad venationes, vbi cum nox eos in ſyluis oppreſſiſſet, in ceſpite parcè cœnati ſunt, & deinde ſuper vile ſtragulum ſeſe proiecerunt. Ibi Princeps per iocum appellans Petrum, inquit: Amice, tua vxor hac nocte cum Abbate Scrinenſi longè melius cubat. Petrus, in quo fuit faſtus magnus, vt Principem rurſus morderet, reſpondit: Fortaſſis Domine & tua cum Dobieſſo mollius quieſcit. Erat autem Dobieſſus nobilis Germanus, quem Poloni oderant, & vulgo ſpargebant, parum honeſtam illi cum Domina eſſe familiaritatem. Hoc ſcomma petulantius valdè vulnerauit pectus Principis, ad quem prius rumores huius rei erant delati: tunc quidem tacuit, ſed cum coniugi ſollicitudinem ſuam exponeret, illa, ſicut par eſt, graues in Petrum concepit iras.

Ex occaſione autem huius diſſenſionis, cum minus carus etiam eſſet Principi; coniunx maritum Principem perſuaſit, vt eum ex

Petrus Danus miserabiliter mutilatur.

vrbe Vratislauiensi, vbi filiæ suæ celebrabat nuptias, rapi curaret: cui deinde linguam & oculos execuit. Accidit hoc anno 1144. Fuit post hanc calamitatem superstes quinquennium, & cum mortuus esset, sepultus est Vratislauiæ in monasterio S. Vincentij: Lapidi sunt inscripti isti rythmi: Hic situs est Petrus, Maria coniuge fretus, Marmore splendente, patre Vuilhelmo peragente. Caluaria Petri adhuc conspecta est, cum cœnobium, anno 1529. euerteretur. Etsi pœna fuit asperior, tamen exemplum est dicti illius: ἀχαλίνων στομάτων τέλος δυσχία: & ipse Petrus dicitur fuisse autor malarum rerum apud Principes Polonorum: ideo, cum Romam adijsset ad expianda sua scelera, & iniunctum illi esset, vt septem templa construeret, ipse ædificauit septuaginta septem, inter quæ Vratislauiæ fuerunt hæc: Monasterium S. Vincentij, & S. Mariæ in arena: Item templa ad S. Michaëlem, & S. Martinum: & tamen post illas ἐθελοθρησκείας, & satisfactiones fictas, Deus illi imposuit alia πατήματα seueriora: sicut scriptum est: Verebar omnia opera mea. Scio enim, quod non parcis delinquenti. Ista vero calamitas Petri irritauit Polonorum animos in Christinam quàm maximè, & non desierunt nobiles inter fratres ferere lites, donec res erupit in manifestum bellum.

Petri Dani mors & mores.

Vladislaus Secundus diris deuouetur ab Archiepiscopo.

Obsedit Vladislaus fratres in vrbe Posnanensi anno 1145. ibi Archiepiscopus Gnesnensis ex vrbe profectus est in castra Principis, & publicè est eum execratus, abiens etiam carpento suo euertit tentorium Principis: quod omen significauit euersionem regni. Ipse Princeps mira patientia omnia tulit, nec dixit nec fecit in Episcopum aliquid inclementius: quod signum est bonitatis naturæ in ipso.

Tandem, cum sui negligenter custodirent castra, & omnia circum ipsum plena essent proditionum & insidiarum, obsessi eruperunt, & exercitum internecione deleuerunt. Ipse Vladislaus desertus ab omnibus suis, profectus est in Germaniam ad Conradum, petiturus ab ipso auxilia. Poloni Christinam coniugem Vladislai dominam ipsorum cum paruis liberis, nulla habita ratione sexus & ætatis, eiecerunt. Sic siniſtro quodam fato, connubia Principum Polonorum cum Cæsaribus Germanicis sæpe fuerunt infœlicia.

Christina cum paruis liberis eijcitur in exilium.

BOLESLAVS QVARTVS CRISPVS.

Conradus Cæsar minatur bellum Polonis.

CReatus est Ethnarcha pulso fratre anno 1146. Fuit Princeps bonus & fortis, sed, vt apparet, tenax offensionum, & vafer. Magno studio apud ipsum contendebat Conradus Sueuus Cæsar, vt restitueret fratrem cum coniuge & liberis, sed frustra. Ideo

anno

anno 1147 Conradus Polonis minatus est bellum, sed cum Poloni, præsertim distracti in plures Dominos, vrgerentur bello Moscouitico, promiserunt se futuros esse in potestate Cæsaris, & parituros iuri.

Cæsar, persuadente S. Bernhardo, profectus est in Asiam: vnde tamen re non bene gesta rediit, vno prælio non magno fudit copias Turcicas, sed perfidia Græcorum, optima consilia retardata sunt. Anno 1148. electus est in Episcopum Vratislauiensem nobilis Polonus Valtherus, is, cum Silesia ea ætate subinde excoleretur, etiam suum collegium emendauit: templum Cathedrale ex lapide construxit, & instituit ritus in Ceremonijs & vestitu, quas attulisse dicitur Lugduno ex Gallia. Multa vero necessitudo nostræ genti cum Gallia olim intercessit: quia Luteciæ & alibi, opera Caroli magni, & successorum, studia erant excitata, & erant meliora quàm in Italia.

Valtherus Episcopus Vratislauiensis.

Anno 1149. Conradus Cæsar conatus est reducere Vladislaum exulem. Boleslaus vir callidus excursionibus repentinis intercluſit Cæsari comeatum, & tandem cum ad Viadrum, qui tunc valde aqua intumuerat, castra haberet, venit ad Cæsarem cum fratribus: vbi cùm denuò causam se æquo iudicio Cæsaris permissurum sponderet, Cæsar, qui erat ingenio non solum placido, verum etiam simplici, promisit illi pacem, & reduxit exercitum, neq; tamen à Boleslao conditiones impletæ sunt.

Hoc loco & illud annotare volui, magno consensu historicorum traditum esse, anno Christi 1151. adhuc superstitem fuisse in Gallia virum nobilem, qui fuerat armiger Caroli magni, & nominabatur Iohannes de temporibus. Vixit annos 372. Anno 1152 paulò ante mortem Conradi, Vladislaus impetrauit à Cæsare exiguas copias militum, quibus adortus est Silesiam, & vexauit præcipuè oram Vratislauiensem, construxit etiam duas arces in Silesia Niemicum & Grodisium, quas etsi præsidio muniuerat, tamen à Boleslao occupatæ sunt.

Iohannes de Temporibus armiger Caroli Magni uixit annos 372.

Eadem ætate Principes Germaniæ, populos Sclauorum in Misnia & ad littus Balthicum, valde afflixerunt & deleuerunt: tum quod essent immorigeri suis Principibus, tum odio gentis Polonicæ, quæ videbatur crudeliter agere cum genero, filia & nepotibus Henrici Quinti: In locum illorum accersiuerunt nouos colonos ex Saxonia & Belgico.

Successerat Conrado Fridericus Barbarossa, vir acer & impatiens iniuriarum, & amantissimus patriæ. Is primis annis Imperij sui pacauit intestinos motus Germaniæ: deinde ingressus est Italiam, in qua tunc motus Mediolanensium, potius autoritate quam armis compescuit: neque, vt falso à parasitis Pontificijs deformatur, Italiam turbauit aut iniurius fuit Pontificibus.

Cum autem reuersus esset in Germaniam, & conuentum Principum conuocasset Herbipolin, Vladislaus exul, quem tunc alebant reditus aliqui donati ipsi à Conrado, cum tribus filijs adolescentulis, supplex factus est Imperatori, & petiuit opem contra iniurias Polonorum. Fridericum, sua sponte, sicut fuit in eo animus excelsus, incensum hortabantur Principes Germani, ne Imperij & propinquorum suorum miserias negligeret.

Friderici Barbarossæ expeditio in Polonos.

Etsi igitur stulti motus Mediolanensium eum reuocabant in Italiam: tamen prius bellum in Polonos decreuit. Missis vero legatis in Poloniam, iubebat vt aut Vladislaum cum filijs restituerent, Imperio soluerent tributum, aut expectarent bellum. Ipse, cum Poloni in sententia persisterent, hyemem in apparatu belli consumsit.

Anno proximo 1158. cum magno & firmo exercitu, quem etiam sequebantur Bohemi, in fines Poloniæ progressus est. Boleslaus etiam in illo diuturno metu belli Germanici magnas contraxerat copias, & habebat auxilia vicinarnm gentium valida: tamen ratus sese imparem futurum robori Germanico, Silesiam vltra Viadrum miserabiliter exussit: vt ita hosti copiam comeatuum præcideret: Conflagrarunt tunc Bythonia, Glogouia, & alia bona oppida, incensa à suis.

Fridericus Viadrum 22. Augusti nemine prohibente transit, vagatur impunè in agris Posnanensibus & Vratislauiensibus: neque Boleslaus, qui interdum ex insidijs sese ostendebant, Cæsari audebat se opponere. Exercitum quidem Cæsaris ex malo victu, & inopia rerum necessariarum, inuasit morbus contagiosus, præsertim dissentericus: ipse tamen, vt vir heroicus, nihil de ardore suo remittebat. Ibi Principes fratres metuentes suis Prouincijs, impetrata potestate adeundi Cæsarem per Bohemum, profecti sunt in castra Cæsaris, & supplices ad genua ipsius prostrati, veniam & pacem petierunt.

Fridericus Barbarossa receipit in gratiam Principes Poloniæ supplices.

Fridericus, vt consuleret honori Imperij, coëgit Boleslaum primum iuramento sese purgare, quòd non ad contumeliam Imperij, sed alijs de causis fratrem eiecisset. Deinde Fridericus, sicut generosi animi sunt placabiles, & quia eum reuocabat Italia, largitus est Boleslao pacem his conditionibus.

Restituat fratrem, & de damnis ipsi illatis, respondeat iure & legibus Magdeburgi: Imperatori mulctæ nomine soluat 2000. libras argenti: Principibus, qui Cæsari militarunt, libras 1000: Aulicis ipsius 200. Coniugi vero Cæsaris 20. libras auri: Postremo, Imperatori, proficiscenti ad bellum Italicum, suo sumtu mittat in auxilium trecentos equites. His conditionibus, quamuis durissimis, transegit Boleslaus, adductus metu extremorum malorum: Fidem tamen deinde in eo fuisse desideratam multi scribunt.

Vt autem firmior esset pax, Mieslao Principi Poloniæ maioris, Boleslai fratri, desponsata est Adelheidis neptis Cæsaris ex sorore.

Anno

Anno 1159. Vladislaus post exilium tredecim annorum, reditum in patriam parauit, sed in ipso apparatu, seu morbo seu veneno à fratribus dato, vt aliqui scribunt, extinguitur: sepultus est Aldeburgi, vbi etiam Christina vxor consenuit, quæ nunquam amplius Poloniam appetiuit.

Vladislaus Secundus moritur in exilio cum coniuge.

Vladislaus reliquit tres filios superstites: Boleslaum, qui dictus est Procerus: Mieslaum, & Conradum, cui tribuerunt cognomen à gracilitate crurum, eum pater curauit educari in studijs ab Abbate Fuldensi: Quia erat valetudine imbecilli. Mortuo patre, Principes Poloni, nepotes orphanos, etiam contra pacta, non receperunt: ideo Boleslaus, qui erat iuuenis egregius, secutus est Cæsarem ad bellum Italicum, & in obsidione Mediolanensi, ex prouocatione dimicauit cum equite Longobardo, staturæ & roboris vastissimi, quem superatum occidit.

Vladislai Secundi filij.

Boleslaus Procerus dimicat ex prouocatione.

Eo in bello etiam Fridericus salutauit Vladislaum, Bohemorum Principem, Regem, cum nomen hoc, à sexaginta annis vsq; Principes Bohemi non vsurpassent: loco Aquilæ nigræ, attribuit ipsi pro insigni album Leonem cum cauda bifurcata. Fridericus igitur, capto & tandem deleto Mediolano, reuersus in Germaniam anno 1163. Principibus Poloniæ serio mandauit, vt secundum pacta, nepotibus patrimonium suum redderent.

Bohemiæ Princeps usurpat nomen Regium.

Cum autem Cæsar grauissimo bello implicaretur, fraude & scelere Alexandri Pontificis, ita vt filij Vladislai ab eo non possent sperare opem, transegerunt cum patruis, vt omissa Polonia minori, contenti essent ea prouincia, quæ Silesiæ nomine censebatur.

Facta est igitur diuisio Silesiæ inter Principes adolescentes hoc modo: Boleslao Procero assignata est Regio Vratislauiensis, cum illa vicinia, quæ fermè est vmbilicus Silesiæ: Ducatus autem Silesiæ superioris, versus Morauiam & Cracouiam, vt Ratiborien-sem, Opolien-sem, Teschinen-sem obtinuit Mieslaus: Partem Silesiæ inferioris vicinam Poloniæ maiori, & Marchiæ, accepit Conradus, qui sedem suam fixit Glogouiæ. De Lusatia vtraq; certatum est vario euentu. Manserunt oppida quædam in potestate Principum Silesiæ, aliam partem transtulerunt ad se Marchiones Misnenses, & deinde totam eam occuparunt Bohemi.

Vladislai filij partiuntur inter se Silesiam.

Lusatia sæpe mutauit dominos.

Ab hac igitur stirpe Regia Polonorum descendunt Principes Silesiæ, quorum adhuc aliqui sunt superstites, vt suo loco dicemus, & Silesia prius afflicta & exhausta perpetuis vastationibus bellicis hoc tempore cœpit respirare & coli.

Quidam ex scriptoribus Polonicis referunt, non multo ante hanc ætatem fuisse natum nomen Silesiæ, & fingunt huic Etymon, quod dicti sint Silesij, quasi Slezaci, id est, conuenæ: quia à Sbigneo notho primum, deinde ab his Principibus ducti sint varij & dissimiles populi in hanc regionem, Saxones, Bohemi & alij. Verum cum multa repugnent, ego non assentior: sed simpliciter

puto, repetitam esse veterem appellationem Lygiorum & Elysiorum. Nam etsi veteres Lygij oppressi sunt à Sclauis, qui Imperium & linguam suam in hæc loca propagarunt: tamen consentaneum est, mansisse aliqua vetera nomina, quæ postea in vsum reuocata sunt. Colonos ex Germania Principes hos, qui materna origine erant Germani, & cum Germanis multis vinculis amicitiæ coniuncti, huc deduxisse certum est: Et extructæ sunt paulatim vrbes, lingua & moribus Germanorum introductis. Posteaquam verò Silesia à regno Poloniæ auulsa est, sermo etiam Sclauicus penè ex toto vnà extinctus est.

Silesia accepit colonos ex Germania.

Iniecerat Boleslaus nepotibus quasi compedes. Retinuerat enim sibi munitiones quasdam in Silesia oportunas: vt, vbi opus esset, eos continere posset in officio. Aegrè tulit hoc Boleslaus Procerus, quod tamen esset imbecillior, & instaret bellum Prutenicum, dissimulauit hoc.

Silesij & Poloni profligantur à Borussis.

Silesij igitur, coniuncti cum Polonis, mouerunt bellum in Prutenos, qui aspernabantur Imperium Polonorum, & simul religionem Christianam proiecerant. Sed exitus belli fuit funestus. Nam anno 1167. flos roboris Polonici à Prutenis trucidatus est, interfecto Duce Henrico Lublinensi, fratre Boleslai, cuius auus maternus fuit Henricus Quartus Imperator. Regio ipsius attributa est Casimiro, qui fuit natu minimus inter filios Boleslai distorti.

Boleslaus Crispus uenit in odium apud suam gentem.

Post biennium Principes Silesij pararunt bellum in Boleslaum Ethnarcham, propter veteres & recentes iniurias. Boleslaus Crispus, qui venerat in odium nobilitatis & populi, intercessione sacerdotum confecit cum illis pacem, præsidijs suis ex tota Silesia deductis. Nec multò post nobilitas Cracouiensis conata est Boleslaum Crispum deturbare ex imperio, & dignitatem transferre in Casimirum, cuius tamen modestia tanta fuit, vt conspirationi illorum nollet assentiri.

Anno deinde 1175. Boleslaus decessit, reliquit superstitem vnicum filium Lescum, qui est nominatus Albus: eique tutorem præfecit Casimirum fratrem.

MIESLAVS SENEX
Ethnarcha.

NOn magna fuit autoritas & potentia Principum Poloniæ, in illa regni distractione: ideò de illis multa dicere non est opus. Fuit hic Mieslaus natu maximus inter fratres, ideo dignitas gubernationis ipsi est commendata. Erat autem Princeps Poloniæ maioris & Pomeraniæ. Rexit hoc tempore Poloniam annos quatuor. Quod autem diceretur esse asper & immitis, conspiratione Episcoporum & nobilium ipsi adimitur gubernatio.

Accidit

Accidit hoc anno 1177. quo Barbaroſſa, nouo & tyrannico exemplo, Pontifici Venetijs coactus eſt fieri ſupplex. Boleslaus Sileſius fuit occupatus in excolenda & ornanda Sileſia. Anno 1175. in monaſterium Leubenſe, quo Caſimirus olim collocauerat Benedictinos, adduxit ex cœnobio Portenſi Ciſtercienſes: Quia amabat ordinem illum propter matrem, quæ in Porta fuit ſepulta. Boleslaus etiam, vt referunt annales, munijt & amplificauit Lignicium & Lubenam.

Fridericus Barbaroſſa conculcatur à Pontifice.

Leubenſe monaſterium accipit uarios Monachos.

Lignicium & Lubena inſtaurantur.

Poteſt igitur exiſtimari, oppida illa multò ante fuiſſe condita: neque alienum eſſe à veritate, nomen à veteribus Lygijs eſſe deductum. Mortuo etiam Conrado Glogouienſi, inferior Sileſia peruenit ad Boleslaum. Caſimirus Polonicus expleuit vaticinium patris Boleslai: renunciatus eſt enim ethnarcha Poloniæ. Fuit Princeps beneficus & humanus. Mieslaus ſenex, cum ſeſe munijſſet affinitate Principum Germanorum, molitus eſt bellum in fratrem: ſed nihil impetrauit à generis Germanis. Otto etiam filius ademit illi magnam Poloniæ maioris partem. Sub hoc Principe magna pars Pomeraniæ occupata eſt à Marchionibus Brandeburgenſibus: vnde poſtea ſunt orti Duces Pomeraniæ, ſubditi Imperio.

Conradus primus Glogouienſis moritur.

Pomerania uenit in poteſtatem Marchionum Brandeburgenſium.

Anno 1179. orta eſt diſſenſio inter fratres Principes Sileſiæ, Boleslaum Procerum & Mieslaum Ratiborienſem, qui, vt credibile eſt, iraſcebatur fratri, quod ad ſe traduxiſſet Sileſiam inferiorem mortuo Conrado. Occupata tunc eſſe ſcribitur Vratislauia à Mieslao: verum Caſimirus ethnarcha maturè diſſidia inter ipſos ſedauit: Et Mieslao, vt quieſceret, partem in territorio Cracouienſi attribuit.

Caſimirus deinde emendauit ſtatum Reipub: Polonicæ, & conſtitutis iuſtis & honeſtis legibus, ſuſtulit barbaricos mores nobilium, qui rapiebant ex alieno, & ſæuiebant in agricolas, & bona ſacra. Has leges confirmauit Alexander Pontifex, & egit Polonis gratiam, quod ſub Friderico Cæſare, ſemper ipſum agnouiſſent pro Papa.

Caſimirus Ethnarcha condit leges in Polonia.

Fuerunt deinde varij motus in Polonia: Mieslaus auxilijs Pomeranorum occupauit Poloniam maiorem, ſuperato filio Ottone: Cum quo tamen deinde pacem fecit. Idem Mieslaus à nobilitate Poloniæ minoris, quæ ægre ferebat, à Caſimiro coherceri licentiam ipſorum, reuocatur ad gubernationem, ſed tamen paulò pòſt rurſus ceſſit Caſimiro.

Anno deinde 1192. Principes Sileſiæ vnà cum Caſimiro iuerunt ad bellum Prutenicum, & fœlicitèr rem geſſerunt. Biennio poſt moritur Caſimirus Princeps pius & iuſtus. Talis fuit gubernatio illius temporis in Polonia, vt ſimilis eſſet anarchiæ, & ſternebatur paulatim via ad irruptiones Tartaricas, quæ gens paulò pòſt, ſicut accipiter ranam & murem præliantes inter ſeſe, deglutiuit. . . .

Præteriti

Præteriti sunt, non solum Principes Silesiæ, qui adhuc erant in odio apud nobilitatem, verum etiam Mieslaus: & hoc fuit poëma Episcopi Cracouiensis Fulconis, qui euexit Lescum Album, filium Boleslai Crispi, vt ipse consilia gubernationis regeret. Secutum est igitur ciuile bellum. Mieslaum senem iuuabant Silesij: sed is, non expectatis auxilijs Silesiorum, conflixit cum ductoribus Lesci, non procul à Cracouia.

Lescus Albus oppugnatur à Silesijs.

In eo prælio vincitur, filius ipsius Boleslaus necatur, ipse accepit vulnus. Re iam perdita superueniunt Silesij, quos ducebant Mieslaus Ratiborienſis, & Iaroslaus filius Boleslai proceri, illi instaurant prælium & Polonos pellunt. Non tamen longius procedunt, cum viderent sese deseri à Mieslao sene & suis: ita post victoriam Cadmæam vtraq; pars quiescit.

Anno 1197. memorabilis mutatio accidit in Ecclesijs harum regionum. Cardinalis enim Capuanus Petrus, missus à Pontifice Cælestino tertio, venit in Poloniam, & ex mandato Pontificio sanxit legem cœlibatus inter Sacerdotes in Polonia, diremit multa coniugia, & maritis vxores ademit: quæ tyrannis, non potuit fieri sine dolore multorum piorum hominum. In Bohemia legatus ille penè fuisset discerptus. Ita fermè centesimo anno, postquam Hildebrandus Pontifex Germanis iugum cœlibatus imposuit, coniugia Sacerdotum in Polonia prohibita fuut. Nec ego de isto vulnere Ecclesiæ disputabo longius: sed cogitetur, quod impuritas illa, quæ hanc prohibitionem secuta est, fatales mutationes Europæ attraxerit, sicut scriptum est: Omnis anima, quæ fecerit abominationes has, delebitur. Neque etiam pij in parte aduersa suis morbis & vitijs blandiri possunt.

Cœlibatus Sacerdotum cœpit in Polonia.

Hisce annis in Silesia Iaroslaus filius patrem Boleslaum est persecutus. Odefat is nouercam, & accusabat patrem, quòd æquior esset filijs ex ea natis, quàm ipsi: Adiutus igitur à patruo Mileslao, duce Ratiborienſi, ita afflixit patrem, vt cogeretur ipsi cedere Vratislauia. Tandem patri est reconciliatus: qui ipsi tribuit territorium Nissense. Iste Iaroslaus anno 1198. electus est in Episcopum Vratislauiensem, & odio patris & fratris, patrimonium suum Nissam cum vicinis oppidis Ecclesiæ donauit. Sed propter ingratitudinem erga patrem dedit pœnas. Mortuus est anno 1201. 23. Ianuarij, sepultus Vratislauiæ.

Boleslaus Procerus oppugnatur à filio Episcopo.

Boleslaus Procerus decessit eodem anno, 6. Decembris, sepultus est in monasterio Leubensi. Dominatus est in Silesia annos 33. Habuit duas vxores, quarum prior fuit mulier Moscouitica Venceslaua, ex qua suscepit Iaroslaum Episcopum, & Boleslaum, qui mortuus est adolescens: præterea filiam Otiliam. Duxit deinde Adelheidem, quæ fuit soror coniugis Conradi Sueui. Ea peperit ipsi Henricum, qui nominatur Barbatus: Conradum, mortuum in adolescentia: Iohannem, qui educatus est apud auiam, & mortuus in

Boleslai Proceri mors & Epitaphium.

Boleslai Proceri liberi.

tuus in pueritia, sepelitur in porta, & Adelheidem nuptam Diopoldo Marchioni Morauiæ.

Extinctis autem quatuor filijs ipso viuente, reliquit superstitem vnicum filium, & hæredem Henricum Barbatum. Hic Princeps præstans pietate & virtute, dignus est, vt grata memoria ipsius conseruetur. Fuit enim ὁσιώτατος Silesiæ, quam ornauit legibus & vrbibus. Sepulchro Boleslai sunt inscripti tales versiculi:

Dux Boleslaus honor patriæ, virtute deinceps
Cui par nullus erit per regna Polonica princeps:
Conditur hoc loculo, locus à quo conditus iste
Dæmonis ara prius tua transit in atria Christe.

HENRICVS BARBATVS PRINceps Silesiæ, postea etiam Poloniæ ethnarcha.

MOrtuo patre adeptus est vniuersam Silesiam, excepta illa ora, quæ attingit Poloniam & Morauiam. Nam eam tenebant filij Mieslai. Coniugem habuit, fœminam sanctitate & bonitate vitæ præstantem, Heduigin, filiam ducis Meraniæ Carinthiæ & Istriæ. Soror Heduigis fuit Gerdrudis nupta Regi Hungariæ Andreæ, quæ peperit Elizabetham Thuringiacam: & præterea Belam, qui patri in regno successit, ex quo nata est Cunegundis, vxor Boleslai Pudici in Polonia: & ita in vna familia tres fœminæ, Heduigis, Elizabetha & Cunegundis, sunt inter sanctos numeratæ. Sed de stirpe hac postea plura dicemus.

Henricus exemplo patris studuit patriæ addere culturam: ad quam rem assiduè ipsi fuit hortatrix Heduigis coniunx, quæ, cùm esset orta ex nobili stirpe Germanica, passim magnæ familiæ ex Germania in hanc regionem commigrarunt. Anno 1203. cœpit ædificare celebre collegium virginum, Trebnicij. Laboratum est in hac ædificatione totos annos sedecim: ordo est Cistercienſis. Monasterium conditum est sub honore D. Bartholemæi, & virgines huc translatæ sunt ex cœnobio Bambergensi, vbi frater Heduigis erat Episcopus.

Trebnicense monasterium extruitur.

Locus iste electus est ex voto Principis, qui ibi periculosè cum equo in voraginem cœnosam fuerat collapsus. Nomen dicunt esse factum ex euentu. Nam cum Princeps structura iam perfecta interrogaret virgines, ecquid peterent amplius: nullius rei sese virgines responderunt egere, subiecit Princeps: Nominetur igitur Trebniz, id est, nullius rei egens. Attributi sunt Monasterio huic reditus pro alendis mille hominibus ex bonis dotalicijs S. Heduigis: & dicuntur insumta in ædificationem, & alios vsus, 40000. Ioachimicorum, vt nunc numeramus, quæ summa tunc grandis fuit.

Trebnicensis cœnobij appellatio.

Toto

Toto tempore ædificationis homines malefici, damnati ad mortem, missi sunt huc ex tota Prouincia, vt labore scelera sua expiarent. Interea dum Princeps & Domina occupati sunt in ornanda sua Prouincia, graues calamitates domesticæ eos oppresserunt.

Gerdrudis Reginæ Hungaricæ interitus.

Anno enim 1213. in Hungaria Gerdrudis Regina, soror S. Heduigis, miserabiliter à Barone quodam Hungarico interfecta est. Accidit hoc 28. Septembris: & sunt de ea cæde dissimiles narrationes. Aliqui enim scribunt, fratrem Reginæ, qui sibi sumebat multum licentiæ, stuprasse illius Baronis coniugem, & ad hoc scelus habuisse adiutricem sororem Reginam. Aliqui autem narrant, Hungaros struxisse insidias vitæ Regis & Reginæ, quòd putarentur nimium euehere Germanos, præteritis Hungaris.

Calix ministerialis in Ecclesia Vratislauiensi.

Illa Gerdrudis Ecclesiæ Vratislauiensi donauit auream coronam, qua ipsa fuerat ornata: eam collegium conflauit, & fieri inde curauit calicem, ad usus sacros, ex quo populus sanguinem Christi hauriebat in sancta cœna, quales passim in Germania ante ætatem synodi Constantiensis in vsu fuerunt, & sunt illa ætate nominati ministeriales. Eodem anno exarsit luctuosum bellum ciuile inter filios Henrici Barbati, Conradum & Henricum.

Susceperat quidem ex coniuge Heduige tres filios, Boleslaum, Conradum & Henricum. Illis, cum essent adolescentes, pater, qui hortante coniuge Heduige ad exercitia pietatis sese conferebat, distribuerat Prouincias, vt ipso viuente assuefierent ad officia gubernationis.

Boleslaum collocauerat in extremam oram Silesiæ inferioris, in ditionem Libusensem, quæ longè excurrebat in eam partem, quæ nunc est Marchia, & Lusatia inferior. Sed Boleslaus Princeps prodigus & negligens, magnam partem oræ illius Marchioni Brandeburgensi in perpetuum vendidit, & ipse paulò post cœlebs desecessit, vt quidem Duglossus retulit. Conrado, qui patri carior erat, attribuerat aliquam partem Silesiæ inferioris, Crosnam, Saganum, & Lusatiam superiorem: illicq; nupserat filia ducis Saxoniæ. Reliquam autem Silesiam assignabat Henrico, quem diligebat mater. Conradus erat ingenio turbulento, & oderat nobilitatem Germanicam, quæ erat apud fratrem & matrem, denunciauit fratri bellum, quod in hæreditate ab ipso esset defraudatus.

Henrici Barbati filij excitant ciuile bellum.

Augebant autem ipsi animum auxilia Polonorum, cum quibus sese solebat coniungere. Parentes cum magna sollicitudine & lacrymis conati sunt eum placare: sed cum viderent eum incitari suis furijs, pater secessit Glogouiam, mater vero Nimpsecum. Fratres collectis copijs prœliati sunt inter Lignicium & Goltpergam ad pagum, qui hodie etiam nominatur Ecclesia Ruffa. Ibi, post

dimica-

dimicationem atrocem, victoria manſit penes Henricum, cum Germanorum eſſet virtus in ea pugna eximia.

Conradus, amiſſo exercitu, fugit Glogouiam, vt pater ipſum contra fratrem tueretur. Ibi, cum poſt paucos dies in ſyluas Bythomienſes ad venationes eſſet profectus, memorabili Dei iudicio, punientis inobedientiam liberorum, propè pagum Tarnau ex equo prolapſus eſt, & ceruicibus fractis occubuit. Cadauer relatum eſt Trebnicium, & ibi à ſorore Agnete, quæ fratrem tenerrimè amabat, ſepultum eſt. Mater Heduigis dicitur præuidiſſe ipſius interitum. Hoc vulnere domeſtico accepto, Henricus Barbatus ipſe cœpit rurſus onerâ gubernationis ſubire.

Conradus filius Henrici Barbati extinguitur lapſu.

Anno 1217. Henricus Princeps ſapiens, & æſtimator prudens virium Polonicarum, quæ in illa Principum multitudine, & diſcordia erant imbecilles, Conrado Principi Maſouienſi, qui valdè premebatur bello Prutenico, autor fuit, vt accerſeret ordinem equeſtrem Teutonicorum, qui ſe nominant Marianos. Is ante annos viginti ſeptem in Palæſtina cœperat, cum adhuc Hieroſolyma expugnata à Godefrido Bilioneo in poteſtate Chriſtianorum eſſet, & latè iam in Germaniam erat propagatus, fauente ipſis Friderico ſecundo Cæſare.

Profitebantur ſtudium amplificandi religionem Chriſtianam, & propagandi limites Imperij. Quibus in rebus multos annos vtiliter Europæ ſeruierunt. Conſilia autem Prutenica, primum vndecimo anno poſt, euentum ſuum acceperunt, Polonis iam tum ab iſtis vicinis ſibi metuentibus.

Memorabilis etiam eſt hic annus propter tyrannidem Archiepiſcopi Gneſnenſis, qui primùm hoc tempore multis ſacerdotibus vxores, quas etiam poſt edictum Pontificium, editum ante annos viginti, retinebant, eripuit, & coëgit eos abiurare coniugium. Adeo recens eſt ille impurus cœlibatus in his Prouincijs.

Cœlibatus Sacerdotum denuo ſtabilitur.

Anno 1221. & triennio proximò poſt dicitur in omnibus his regionibus fæuiſſe fames & peſtilentia atrociſſima. Eodem tempore quidam Nicolaus, homo nobilis, qui fuit Canonicus Vratislauienſis & Cancellarius Henrici Barbati, imitatus pietatem ſui Principis, & multorum aliorum, qui tunc quaſi certabant inter ſeſe in condendis Monaſterijs, prædia ſua, quæ habebat ditiſſima, legauit ad cultum diuinum, & extruxit cœnobium amplum, quod de nomine ſui Principis appellauit Henrichouium. Tandem cum ſibi nondum ſatisfaceret, ipſe etiam religionem illam, quæ eſt Ciſtercienſium, ingreſſus eſt. Annotarunt alij, iſtum Nicolaum quarto anno poſt in vita ſua ſacerdotali non vero monaſtica, emigraſſe, ſed in talibus non eſt res magni momenti ἀνεμώλια βάζειν.

Monaſterium Henrichouienſe exigitur.

Anno etiam 1220. tres nobiles fratres Comites de Virbna, Stephanus, Andreas & Franciſcus erexerunt locuples Monaſte-

Virbnenſes domini condunt monaſterium Suidniciæ.

rium Suidniciæ, quod nominatum eſt S. Mariæ. Hæc familia deinde aliqua ex parte migrauit in Poloniam maiorem, quæ tunc etiam parebat Principibus Sileſiæ: & ſunt inde hodie ſuperſtites nobiles Domini de Riſsina, quorum domicilium non procul abeſt à Fraunſtadio, viri præſtantes virtute & humanitate.

Anno 1222. vniuerſa Polonia & Sileſia, indicta magna expeditione, fecit periculum, an poſſent Prutenos perdomare: repreſſi ſunt illi quidem, ſed vinci non potuerunt. Fruſtra etiam euocati ſunt milites Liuonienſes: nam & illi robori huius gentis, quod fuit eximium, & non indignum origine Romana, fuerunt impares.

Anno 1225. penè erupiſſet bellum ciuile inter Sileſiam & Poloniam, ſed illud tamen adhuc in herba ſublatum eſt. Leſcus albus retinuerat dignitatem Ethnarchiæ, & cum ea ditionem Cracouienſem. Is, quamuis fuit Princeps modeſtus & bonus: tamen non potuit vitare offenſiones aliquorum, & accuſabatur, quod in quoſdam nobiles fuiſſet aſperior. Ideo pars aduerſa accerſebat Henricum Sileſium, cui alioqui ea dignitas tanquam Principi natu maximo deberetur.

Henricus Barbatus parcit publicæ tranquillitati.

Henricum Principem iuſtum & pium, non mouit alia cauſa, quàm vtilitas Reipublicæ, cui inter illos motus bellicos, & metum Tartarorum, qui iam tunc deuictis Moſchis, incumbebant Poloniæ, opus eſſet Principe potenti, & armato excellenti autoritate, qui poſſet opponi Prutenis, Tartaris & alijs barbaris gentibus. Ideo, quamuis multum diſſuadente S. Heduige, paſſus eſt ſe pertrahi in hanc ſententiam, & collecto exercitu profectus eſt in Poloniam occupaturus Cracouiam. Verum, cum animaduerteret, Leſcum carum eſſe Epiſcopis, & multis honeſtis hominibus, abiectis armis cum ipſo citò tranſegit, & Cracouiam ingreſſus, à Leſco amicè habitus, domum rediit.

Henricus Barbatus diuinitus tegitur.

Tanta enim fuit virtus huius Principis, vt pietatem, etiam optimis occaſionibus amplificandæ ſuæ potentiæ anteferret. Biennio poſt accidit caſus plane tragicus in Polonia. Miſerat in Pomeraniam gubernatorem Leſcus Suantopultum, is, florens opibus & gratia populari, volebat ſe nominari Principem Pomeraniæ: Et iuuabat eum Vladislaus Dux Poloniæ maioris, gener ipſius. Leſcus, re deliberata cum Henrico Sileſio, quem amabat vt patrem, ſtatuit eum publico conuentu Principum Poloniæ, tanquam ſeditioſum, opprimere ſine armis, cum magna eſſet potentia Suantopulti.

Indicitur igitur conuentus totius regni, in villa quadam Poloniæ Maioris, Gauſana, & vocatur eò Suantopultus: ſed ipſe iam præmonitus de ſuo periculo, viciſſim ſtruebat inſidias vitæ Principum omnium, vt deleta ſtirpe regia, dominatum totius regni inuaderet. Atque ita decimoquarto die Nouembr. adiutus à genero,

Princi-

Principes, Leſcum & Henricum, qui tunc balneum ingreſſi erant, cum armatis adoritur.

Leſcus, hortantibus & ſubleuantibus eum ſuis in equum nudus exilijt & fugit: ſed Suantopultus eum tanquam verum hoſtem perſequens, quamuis acerrimè ſeſe defendentem, obtruncauit. Interea Henrico, qui ex ætate iam grauis erat, & ad fugam ineptus, immiſſi ſunt percuſſores in balneum: Quo iam ex vulneribus collapſo, obiecit ſeſe gladijs hoſtium quidam Germanus peregrinus de Viſenburg, qui transfixus gladio, demum ſeſe proiecit in Henricum: Ibi ſicarij, cum vtrumq; exanimem putarent, diſceſſerunt. Henricus autem ſe colligens, clam lectica Vratislauiam delatus eſt, & poſteritatem Viſenburgij ad magnas opes & honores euexit.

Ita diuinitus bonus iſte Princeps, ex media morte retractus & ſeruatus eſt, virtute ſui miniſtri: ſicut Alexander à Clyto ad Granicum: & recens ad Peſtum Hungariæ à viro nobili Princeps Mauritius. Suantopultus, cum Princeps diſtineretur alijs bellis multis, poſſeſſionem Pomeraniæ retinuit.

Vidua Leſci, mater Boleslai Pudici, & nobilitas Cracouienſis accerſiuit Henricum Barbatum, vt tutorio nomine Rempub: & ditionem Cracouienſem adminiſtraret. Deuirum Conradum Ducem Maſouiæ, vidua propter crudelitatem oderat, ſicut & reliquus populus: & cum Henricus floreret opinione pietatis, & potens eſſet, ſperabant eius gubernationem vtiliorem futuram Reipub. penè perditæ ex ignauia ſuperiorum Principum, quàm Conradi. Etſi hoc ægrè tulit Conradus, tamen prius ſeſe munijt contra Prutenos.

Henricus Barbatus renunciatur ethnarcha Poloniæ.

Roma igitur vocatur ordo Teutonicus equitum, qui paulò ante Aſia à Saracenis pulſi erant. Profectus eſt eò cum equitibus ordinis Henricus de Salza magiſter, ille cum Principe Maſouio certis rationibus tranſegit, de quibus adhuc hodie diſceptatur. Hoc tamen conſtat, illis fuiſſe attributum agrum Culmenſem, Pruſſiæ vicinum, ea conditione, vt eſſent murus Poloniæ ab ea parte contra irruptiones Prutenorum, qui erant hoſtes acerbiſsimi Polonorum, eoſq; ſine intermiſſione fatigabant. Neq; dubium eſt, Polonos in tanto metu, & cum inter domeſtica diſſidia nihil opis à gente ſua expectarent, valde fuiſſe liberales, præſertim in donanda tota Pruſſia, quam bonos illos Germanos prius ſanguine ſuo emere oportebat.

Cruciferorum ordo migrat ad Boruſſos.

Confirmauit hæc pacta Pontifex Romanus Gregorius Nonus, & præterea Fridericus Secundus, in cuius diplomate refertur, agrum Culmenſem, & oram quandam inter Pruſſiam & nouam Marchiam, & quicquid à Prutenis caperent deinceps, ipſis donatum eſſe. Neq; dubium eſt, contra officium fieri, quod Fridericus Cæſar iuſtus & bonus accuſatur, quaſi ſuo diplomate confirmauerit falſa

rit falsa, non expressa in pactis, cum ista gesta sint ex consensu vtriusque partis. Sed hæc longiori disputatione examinare non est necesse.

Conradus, cum Germano milite limites suos versus Prussiam munijsset, moto bello conatus est Henricum depellere ex Ducatu Cracouiensi, quem erectis multis munitionibus firmauerat: Sed Conradus bis acie victus, & amisso filio, domum redijt.

Henricus Barbatus capitur & dimittitur.

Hyeme eadem proditione, vt scribit Dugloſſus, quorundam nobilium, Henricus in Polonia minori, in templo astans ad missam, à Conrado oppressus, & in Masouiam abductus est. Henricus filius, qui nominabatur Pius, motus calamitate patris, subito quas potuit collegit copias, liberaturus patrem. Sed S. Heduigis, cui ab initio consilia mariti, implicantis se rebus Polonicis, displicuerant, anteuertens expeditionem filij, ipsa in Masouiam ad Conradum profecta est, eumq; precibus, & lacrymis exorauit, vt ad pacem se flecti pateretur. Conradus motus fœminæ sanctitate amicè cum Henrico marito transegit. Renunciauit Henricus iuri suo in Ducatu Cracouiensi, etiam præstito iuramento: & vt firmior esset pax, duæ Neptes S. Heduigis ex filio Henrico, quas ipsi peperat, Anna filia Ottocari Regis Bohemiæ, duobus filijs Conradi sunt promissæ.

Heduigis sedat ciuilia bella.

Ita sancta hæc fœmina imitata exemplum Sapientis Abigael, sedato intestino bello, & pace his regionibus reddita, maritum suum ex carcere domum reduxit. Eodem anno Elizabetha Thuringiaca, neptis S. Heduigis, relata est inter Sanctos. Conradus propter sæuitiam in magno apud omnes erat odio: & Pontifex Romanus noua inflammabat bella, absoluit Henricum Barbatum à iuramento, iussitq́ue eum ejcere Conradum. Recruduit igitur bellum inter cognatos Principes, quod primum sedatum est anno 1236.

Elizabetha Thuringica refertur in catalogum Sanctorum.

Henricus Barbatus occupat Poloniam maiorem.

Interea anno 1233. cum in Polonia maiori superstes esset vnicus Princeps Vladislaus, Sputator dictus, qui superioribus annis fuerat adiutor Suantopulci in opprimendis Principibus, Henricus memor veterum iniuriarum, & vt præsidio esset nobilitati in Polonia maiori, quam crudeliter spoliabat Vladislaus, multum dehortante ipsum coniuge Heduige, exercitum duxit in Poloniam maiorem, eamq́ue fermè totam in suam redegit potestatem. Vladislaus fugit ad Socerum in Pomeraniam.

Henrici Barbati nepotes ex sorore.

Henricus Poloniæ maiori præfecit Brunonem Nepotem suum ex Adelheide sorore, filium Diopoldi Marchionis Morauiæ. Nam hunc Diopoldum Bohemiæ Rex Ottocarus ex Prouincia sua ejecerat: vxor vero cum quatuor filijs ad Henricum fratrem fugerat. Ex quibus tres in Silesia perierunt, quartus mortuus est

in Col-

in Collegio Magdeburgensi. Ab hoc tempore ad mortem vsque Henricus habuit titulum Ducis totius Silesiæ, maioris & minoris Poloniæ. *Henrici Barbati titulus.*

Anno 1236. fuerunt nuptiæ inter Constantiam filiam Henrici Pij, & Casimirum filium Conradi Masouiensis. Eodem tempore Vladislaus Sputator, auxilijs Pomeranorū adiutus, deprædatus est Poloniam maiorem, & Brunonem Nepotem Henrici Barbati, Præfectum Poloniæ maioris, per proditionem trucidauit. Scriptores Poloni opinantur, ipsi accidisse hanc calamitatem, quod vexaret Episcopum Posnanien sem, quem etiam aliquot diescaptiuum tenuit.

Anno 1237. fuerunt nuptiæ Vratislauiæ inter Boleslaum filium Conradi Masouiensis, & Gerdrudim filiam Henrici Pij. Heduigis, etsi erat in vicinia, tamen in vrbem non accessit. Henricus Barbatus, cum esset Ethnarcha Poloniæ, multa in moribus & legibus barbaricis Polonorum emendauit: & Rempub: honestius constituit. *Henricus Barbatus constituit Rempub.*

Anno vero 1238. cum ad componendas res Silesiæ inferioris proficisceretur Crosnam, in itinere cœpit languere, & paulò pòst 19. Martij Crosnæ in pia confessione decessit, Princeps sapiens, pius, iustus, & verè patriæ nostræ pater. Etsi autem non est annotatum, quot annos vixerit, tamen colligere possum, eum non procul abfuisse ab anno ætatis septuagesimo, quem pater Boleslaus excesserat. Heduigis maritum ardentissimè dilexerat, tamen quodam prætextu religionis illius ætatis fascinata, eum deserebat, & totos annos triginta maritus ex voto, quod præsente Episcopo fecerant, eam non attigit, à quo tempore Henricus, vultu etiam pietatem præ se ferens, comam & barbam aluit, vnde cognomen Barbati accepit. Heduigis etiam maritum Principem non alloquebatur, nisi quando pro calamitosis erat deprecatrix: vbi tamen testes aliquos semper adhibebat. *Henricus Barbatus moritur.* *Heduigis tota pietas.*

Cum ipsi esset nunciatus morbus Principis, non accessit eum, neque in funere eum fleuit: sed cum ex immiti studio pietatis, præsertim in senecta, animus eius quasi obriguisset, disputauit, impium esse, significatione luctus diuinæ voluntati velle aduersari. Sepultus est Henricus in monasterio Trebnicensi. Hunc Principem Heroicum Deus excitauerat, vt in hac nostra Silesia, pulsa barbarie, pietatem & humanitatem plantaret.

Anno 1232. decessit Laurentius Episcopus Vratislauiensis, vir magni ingenij & industriæ. Scribitur morbum contraxisse in pago Preichau ex nimio & assiduo odore rosarum, qui fortassis illi catharrum & febrim conciliauerat. Tanta autem tunc fuit ambitio Episcoporum: vt, cum Laurentius in publico consessu nollet cedere Iuoni Cracouiensi, Iuo ipse Romam profectus sit, vt impetraret diploma à Pontifice, quò sua Ecclesia Vratislauiensi & reliquis præferretur. *Laurentius Episcopus contraxit letalem morbum ex odore rosarum.*

HENRICVS SECVNDVS PIVS, *Silesiæ & Poloniæ maioris Princeps.*

MOrtuo patre, primo anno pacauit Poloniam maiorem, quæ turbata erat armis Vladislai: Redegit Gnesnam in suam potestatem, nec multò post Vladislaus ex mœrore animi, propter amissum patrimonium, in Pomerania obijt. Cadauer tamen Posnaniam, permittente hoc Henrico, delatum est, ibiqúe sepultum. Reliquit superstites duos filios Boleslaum & Primislaum: illis vt patrimonium filius redderet, Heduigis mater valde instabat, sed nihil profecit. Retinuerunt igitur tantùm exiguam appendicem Poloniæ maioris versus Masouiam.

Mieslaus Masouiensis discerpitur à muribus.

Hoc tempore aiunt in Masouia memorabile exemplum diuini iudicij ostensum esse, in Mieslao filio Conradi Ducis Masouiensis, qui, cum expilaret suos, & illorum bona per vim abriperet, in conuiuio, quod ex spolijs miserorum apparauerat, concerptus & consumtus esse dicitur à gliribus & muribus. Ita antiquitas non frustra dixit: Malum virum vel mus mordeat.

Boleslaus Pudicus ducit uxorem Cunegundam.

Boleslaum Princeps Cracouiensis, qui sustinebat titulum Ethnarchæ, etsi in nulla apud alios Principes erat autoritate, vt sese muniret contra Conradum Masouiensem, duxit filiam Regis Hungarici Belæ Cunigundim, cuius Auia paterna fuerat Gerdrudis soror S. Heduigis. Accepit dotem luculentam, & ipsi coniuges, præstantes forma & ætate, mirabili illius seculi superstitione, vt imitarentur exemplum Henrici Barbati & S. Heduigis, perpetuam fouerunt continentiam, & à consuetudine coniugali prorsus abstinuerunt. Inde Princeps ipse appellatus est Boleslaus Pudicus: ac Cunigundis præcipuam laudem sanctimoniæ habuit.

HISTORIA TARTARICA.

IN Propheta admodum tristis querela de dissipatione gentis Israëliticæ recitatur: Iniquitates nostræ, sicut venti dissipauerunt nos. Ait Propheta, propter idola, & scelera, decem tribus Israël sedibus suis auulsas, in longinquas & barbaras regiones disiectas esse, perinde sicut vehementes ventorum turbines cumulum palearum, magno impetu sublatum in auras, solent dispergere, ita vt nunquam illæ quisquiliæ possint recolligi aut coacernari: ita in pœnis publicis, vbi sese nouæ & barbaræ gentes infundunt, totæ familiæ abripiuntur, parentes à complexu liberorum, vxores à maritis

maritis auelluntur, & in diuersas plagas barbarici orbis ad seruitutem, ipsa morte tristiorem, abducuntur: vt plerumque in toto vitæ spacio miseri homines de suis dulcissimis corporibus, parentibus vel liberis nihil penitus rescisçant.

Talia nunc accidunt in vicina nobis Pannonia, vbi grassatur crudelitas latronum Turcicorum: Et talis ante annos trecentos & viginti octo, fuit facies publici & priuati status in tota Polonia, & in maxima parte nostræ Silesiæ, quando rabies Scythica patriam nostram laniena horribili compleuit, & innumerabilem hominum turbam aut trucidauit, aut in rigidissima antra Arctoa, ad sua plaustra barbarica abreptam, auexit.

Fatalium pœnarum imago.

In hæc igitur tam luctuosa spectacula vbi intuemur, expauescamus de iræ Dei aduersus scelera hominum magnitudine, & seriam cogitationem de emendatione vitæ nostræ instituamus, memores illius tristissimæ comminationis Christi: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes ita peribitis.

Imminent nobis ex vicinia gentes immani rabie nostrum cruorem sitientes, Turcica, Tartarica & Moscouitica: & qualia sint repagula, quæ humana industria in hoc animorum nostrorum torpore, & publica segnicie atque discordia, illis obiçit, est in conspectu. Precemur igitur Filium Dei, qui est magnus Michaël, stans in excubijs pro filijs sui populi, vt ipse à nobis arceat barbaricas vastationes, nec sinat hanc terram, vt Propheta minatur, anathemate percuti. Nunc recito historiam verè tragicam.

Tartarorum excursiones.

Anno 1140. dicuntur magna agmina Tartarorum erupisse ex vltimis limitibus Arctois in Græciam, sed tunc sunt reiecti ab Imperatore Græco Alexio. Cesserunt igitur rursus ad paludem Mæotidem, & Russiam vel Moscouiam inuaserunt. Post annorum verò aliquot continua bella, Moschi victi sunt à Tartaris, & magna pars Russiæ est facta Scythis vectigalis.

Tartari uincunt & domant Moschos.

Tanta autem fuit tyrannis seruitutis Tartaricæ, vt Principes Moscouitici, qui alioqui potentia & opibus antecelluerunt, etiam plebeio nuncio Regis Tartarici, petituro tributum, pedibus, ipsi sedenti in equo obuiam prodirent, poculum lactis equini, quod gens illa habet in delitijs, porrigerent, & guttas lactis, quæ Scytha potante in iubas equi excidebant, ore lamberent. Legato recitaturo literas sui Principis substernebant precioſam vestem: ex pellibus Sabellinis, vt nominant, & ipse, cum tota nobilitate insidens genibus; mandata Tyranni auscultabat. Hoc tam turpe iugum primus Iohannes Moschus, sub annum Christi 1479. ex-

Tartari crudeliter imperant Moschis.

Tartari dominati sunt in Moscouia annos 300.

cussit, cum Tartari dominati essent in Moscouia annos fermè trecentos.

Tartarorum irruptiones in Poloniam.

Anno 1240. Tartari, progressi ex Moscouia, depopulati sunt Poloniam ad ripam Vistulæ vsque, abducta magna præda hominum & aliarum rerum. Eadem hyeme denuò reuersi sunt, & Vistula amne glacie concreto, ferme ad ipsam vsq; Cracouiam nemine prohibente vagati sunt, rapinis & cædibus omnia complentes.

Boleslai Pudici imbecillitas.

Sedebat Boleslaus Pudicus, Princeps iuuenis & imbecillis, Cracouiæ spectator incendiorum & direptionis Prouinciæ suæ, & cum inter Principes Polonos nulla esset coniunctio, nihil poterat rebus suis afferri opis. Vtebatur vero remedijs valde peruersis: cumulabat missas, inuocationes hominum mortuorum, cultus statuarum: cum ista fatales illas pœnas attraxissent.

Tartarorum irruptiones sæuissima.

Anno vero 1241. quasi tota gens Scythica, ex suis sedibus prosiliens, locustarum instar, regiones Europæas inuasit: &, cum duplex collegissent agmen: Alterum, Ducibus Batto & Caidano, vt quidem verissimæ historiæ testantur, in Hungariam, quam propter soli bonitatem semper appetiuerunt alienæ gentes, irrupit: eamque, Bella Rege pulso, totum triennium crudelem in modum vastauit: Alterum verò, duce Peta, inuasit Poloniam, & primum quidem, quasi antecursores emisit sub initium Quadragesimæ, qui ingentem turbam hominum vtriusque sexus, vinctam loris abripiebat.

Tartari inuadant Pannoniam.

Tartari uincunt Polonos.

Hunc globum, qui nondum erat maximus, adorti sunt aliquot fortes viri Poloni, collectis copijs non magnis ex nobilitate & populo, qui, etsi acerrimè dimicarunt, & magnam stragem hostium ediderunt: tamen tandem superati multitudine, cesserunt. Interea Tartaris superuenit nouus exercitus, qui dicitur expleuisse numerum 500000 hominum. Iste diuisit sese in duo agmina, quorum alterum ad vastandam Masouiam missum est: alterum rectà petijt Cracouiam.

Tartarorum crudelitas.

In eo publico metu, etsi deerat idoneus rector, tamen præfecti regni, moti spectaculis nimis miserabilibus, cum non modo pagi & vrbes ab omnibus partibus arderent, verum etiam contaminarentur templa, rideretur religio Christiana, & miseri homines nobiles & ignobiles aut passim mactarentur, excruciati omnibus tormentis, aut vincti pecudum more raptarentur, contraxerunt quos potuerunt milites, & corpora sua furori Tartarico obiecerunt.

Tartari rursus uincunt Polonos.

Pugnatum est non procul à Cracouia acerrimè 18. Martij: sed Poloni rursus victi multitudine, amissa præcipua nobilitate gentis, fugientes sese abdiderunt in syluas. Boleslaus Princeps in

Carpa-

Carpatum montem fugit, & ibi cum coniuge sua delituit. Cracouia ab omni populo deserta est, quam Tartari spoliatam incenderunt. Neque diu ibi commorati, properarunt in Silesiam, vt Principem Henricum, cuius potentiam metuebant, imparatum opprimerent.

Tartari diripiunt & incendunt Cracouiam.

Ripas Viadri ad Ratiboriam præsidio munierat Mieslaus Dux Ratiborienſium, is Tartaros, qui primi flumen ingressi fuerant, fortiter repulit multis interfectis: Sed deinde, conspecta tanta multitudine, expauit, & discedens cum suis, recepit sese ad Henricum. Inde Vratislauiam delati sunt, sperantes ex ea vrbe, quam esse caput in Silesia didicerant, vberem prædam. Sed cum vrbs ea ætate nondum valeret robore militari, & parum esset munita, ciues res suas in arcem comportauerant, ipsi vero discesserant, præsiderarij deinde tecta, ne ijs frueretur hostis, inflammauerant.

Tartari, decepti sua spe, instituunt terribilem oppugnationem arcis: sed manifestè ibi conspecta est præsentia Dei, defendentis aliquas Ecclesiæ reliquias. Tartari enim territi sunt flammis ex cœlo cadentibus, & latè inter ordines ipsorum discursantibus: & ita precibus piorum ab arce, sicut olim Attila ab vrbe Aurelia in Gallia fulguribus & tonitrui, reiecti sunt.

Tartari frustra oppugnãt arcem Vratislauiensem.

Proximo die post Dominicam Paschæ coniunxit sese cum illis alterum agmen, quod Masouiam vastauerat, atq; simul recta Lignicium contendunt. Compleuerat fama de irruptione Scytharum vniuersam Germaniam, & ingens erat omnium metus: sed cum Imperium tunc certo careret gubernatore, & machinationibus Pontificum omnia essent distracta & pessundata, non fuit ea alacritas nostræ gentis in arcendis Scythis, quale olim fuerat robur animorum sub Ottone primo, qui Hunnos trucidauerat.

Contraxerat tamen Henricus exercitum triginta millium hominum, quod vni Principi etiam hac ætate, vbi istæ regiones longè magis sunt populosæ, factu foret difficile. S. Heduigis in illo tumultu bellico, cum virginibus & nuru Anna, coniuge Principis, recipit sese in oppidum Crosnam: abiens autem, etsi sese præsagire mortem filij diceret: tamen Henricum complexa, hortata est, vt fortiter sese immani hosti pro Ecclesia & Republica Christiana opponeret, & aut speciosam victoriam de hoste reportaret, aut, si Deo ita videretur, honesta morte occumberet.

Henricus Pius opponit se Tartaris.

Heduigis filio Henrico Pio ualedicit.

Ipsi Henrico egredienti Lignicio infaustum omen accidit. Tegula enim ex templo diuæ Mariæ delapsa fermè caput ipsi fregisset: processit autem in campum, qui Volstadia dicitur, ibiq; hostem expectauit.

Henricus Pius pene opprimitur ruina. Volstadia locus prælij cum Tartaris.

Exer-

Exercitum ſuum diſtinxerat in quinque agmina, motus clade Polonorum, quos recentes copiæ Tartarorum in media victoria oppreſſerant. Primum agmen conſtabat ex militibus voluntarijs, qui pro eius ætatis more ex Germania hinc inde collecti erant, & ſignati cruce, teſtabantur, ſeſe paratos eſſe ſubire mortem pro defenſione Eccleſiæ Chriſti: His adiunxerat metallicos foſſores, accitos Goltperga, vbi tunc erant locupletes venæ. Ductor huius agminis erat Boleslaus exul, filius Diepoldi Marchionis Moraviæ, amitinus Henrici.

Henricus Pius inſtruit acies.

In ſecundo erant Poloni ex maiori & minori Polonia vocati, quibus præerat Sulislaus. In tertio erat Mieslaus Dux Ratiborienſis cum ſuis copijs: is tamen iuſſus eſt in pugna ſeſe cum ſecundo agmine coniungere. Quartum tenebat Pompo Magiſter Pruſſiæ cum militibus ſui ordinis, qui itidem, vt viri fortes, ad arcendos barbaros accurrerant. Vltimo loco conſtiterat ipſe Princeps cum robore exercitus, qui ex Sileſijs, Polonis & militibus Germanis ſtipendio conductis conſtabat. Totidem acies Tartari inſtruxerant: ſed ita, vt quælibet longè vniuerſum exercitum Henrici ſuperaret.

Henricus Pius conſligit cum Tartaris.

Commiſſum eſt prælium die nono Aprilis, & inchoauit pugnam acies ſignatorum cruce, & metallicorum: nam hoc poſtulauerant à Principe. Illi primum agmen Tartaricum repulerunt: ſed cum incautè ſinerent ſeſe à reliquo exercitu longius auelli, multitudine hoſtium circumdati ſunt, & omnes denſiſsimo quaſi imbre ſagittarum, erant enim penè nudi, obtriti. Cecidit ibi Marchio Boleslaus inter primos animoſe dimicans.

Coniungunt ſeſe eueſtigio agmina Sulislai & Mieslai, & feruntur in hoſtem audacter, neque deeſt ſucceſſus. Nam cum haberent plures armatos baliſtis, facilè illi inermes ſagittarios pepulerunt & iugularunt: Tartari ſuis laborantibus ſubmittunt duo agmina, nec tamen Poloni cedunt.

Tartarorum Stratagema.

Ecce autem in medio ardore pugnæ audita eſt vox horribilis, equitis ignoti, errantis circum latera exercitus, & inclamantis noſtros lingua Sclauonica, Fugite, fugite: Ibi Mieslaus cum ſuis conturbatus, principium fugæ fecit & euaſit. Henricus autem affatus Pomponem, eumq; ad virtutem cohortatus, cum reliquis duobus agminibus Tartaris ſeſe opponit, tantaq; fuit virtus noſtrorum, vt Tartari effuſè inciperent fugere.

Interea ſiue diabolicis præſtigijs, ſiue panico terrore quopiam, ſicut verum eſt illud Taciti: Primi in omnibus prælijs oculi vincuntur, noſtri ſunt turbati. Iactabatur à Scythis vexillum, in quo viſum eſt depictum caput monſtroſi hominis; quod voraginem quandam fumorum & halituum teterrimi fœtoris eructabat, barbaros caligine ſua occultabat, noſtros verò terrore & fœtore enecabat.

Vtrum

Vtrum hæc ita acciderint, non certò affirmo. Gens quidem Scythica semper fuit dedita incantationibus & veneficijs: & ante prælium humanas hostias mactauerant, vt semper cum Magia diabolica, infanticidia sunt coniuncta. Tali igitur spectio acies nostrorum territæ & dissolutæ sunt: & cecidit ibi Pompo Magister ordinis cum multis fortibus viris. Henricus cum paucis suorum in media hostium acie nusquam fugam respectans præliabatur: tandem admonitus à suis cæpit sese recipere.

Tartari Magi & incantatoris.

Cruciferorum Magister interficitur in prælio Tartarico.

Erant ad latus ipsius quatuor tantum viri nobiles, inter quos vnus fuit Clemens Præfectus Glogouiensis, illi omni ope conati sunt Principem eripere, & cum equus ipsius saucius amplius non progrederetur, eum in equum recentem imposuerunt.

Glogouiensis præfectus acriter tuetur suum Principem.

Ex comitibus vero vnus Iohannes anteibat, & ferro Tartaros submouebat: eum cum animosè sequeretur Princeps, & vnum ex Tartaris, qui maximè eum premebat, gladio feriret, brachio sublato ab alio Scytha proximo hasta ad alam traiectus est, & equo excussus. Comites circa Dominum præliantes etiam occisi sunt: Solus Iohannes euasit acceptis duodecim vulneribus, quem cum persequerentur nouem Tartari, ipse nactus in fuga tres alios Christianos, illis fretus conuertit sese, & octo ex illis Tartaris sua manu iugulauit, nonum autem captiuum abduxit. Postea, vt Deo pro tanto beneficio esset gratus, ingressus est religionem monachorum Dominicanorum.

Henricus Pius pro patria occumbit.

Tartari cadaueri Principis caput amputarunt illudq; hastæ infixum circumtulerunt. Lignicium vrbs incensa est, sed arx valido est munita præsidio, ab eo cum Tartari postulassent deditionem, responsum est, pro vno Principe necato, sese habere plures Dominos adolescentes, quos non essent deserturi.

Lignicium incenditur.

Tartari attenuati tam cruenta victoria, & metuentes arma ex vicina Germania, nihil progressi vlterius, vastata Morauia, ad suum Imperatorem in Hungariam sunt profecti. Tanta verò strages Christianorum edita esse dicitur: vt, cum Tartari post victoriam, singulis cadaueribus singulas auriculas præciderent, nouem grandes sacci expleti esse scribantur.

Tartari reuertuntur in Hungariam.

Tartari magnam multitudinem trucidarunt.

Corpus Henrici ab vxore Anna ex sexto digito sinistri pedis agnitum est, & Vratislauiæ in Templo S. Iacobi sepultum. In loco prælij etiam templum conditum est. Hic fuit exitus Generosi & verè Pij huius Principis, congruens ad vetus dictum: Pro patria decus est magnum profundere vitam: cui tota Germania, quam suo sanguine texit, ne eam etiam, sicut Poloniam, Scythæ percurrerent, debet gratiam.

Henrici Pij sepultura.

Etsi

Etsi enim Princeps ipse mortuus est: tamen ita vires Tartarorum attriuit, vt sibi ipsis diffiderent, & ad suos reuerterentur. Fuit Henrico nupta, vt superius retuli, Anna filia Ottocari primi Bohemiæ Regis. Suscepit ex ea liberos nouem, quatuor filios, & quinque filias. Filij fuerunt Boleslaus Caluus, Henricus Tertius, Vladislaus & Conradus. Ex quibus duo, Vladislaus & Conradus, consilio Auiæ, missi sunt ad studia, Patauium in Italiam Vladislaus, Conradus Lutetiam: & destinati ab ea ad sacra: cum diuisio Silesiæ inter tot Principes videretur inutilis.

Henrici Pij liberi.

Vladislaus Henrici Pij filius discit Patauij.

Vladislaus Patauij honestè vixit, & beneficentia multorum animos sibi conciliauit. Nam inter reliqua officia, solebat tenuiorum ciuium filias, data dote ex suo, elocare, ne turpi quæstui addicerentur. Is deinde creatus est Archiepiscopus Saltzburgensis, quia propter stirpem maternam carus erat collegio illius loci.

Vladislaus eligitur in Archiepiscopum Saltzburgensem.

Conrado promittebatur Episcopatus Bambergensis, quem multi ex familia S. Heduigis tenuerant: sed ipse repudiata ea dignitate à fratribus patrimonium repetiuit, vt suo loco dicemus.

BREVIS EXPOSITIO STIRPIS & Vitæ Beatæ Heduigis.

Sanctorum hominum memoria retinenda est.

NOn laudanda est profanitas illorum, qui aut simulatione religionis, aut barbarie quadam veteres historias hominum, quos Deus excellentibus donis ornauit, negligunt & aspernantur. Sed verè pietas Deo grata est, exempla præsentiæ ipsius in sanctis hominibus intueri, & filio Dei, conseruatori Ecclesiæ, qui perpetuo sibi agmen aliquod ex genere humano excerpit, gratias agere, sicut recte dictum est: Hos ego cum laudo, laus ea tota Dei est.

Etsi enim posteriorum temporum in Ecclesia non ea est sinceritas, neque is veræ fidei splendor, qui fuit ætate Apostolorum, & paulò pòst, & præter alias superstitiones, quibus deformata est Ecclesia, etiam pernitiosus mos in cultu & adoratione hominum sanctorum, qui ex hac vita discesserunt, inuectus est: tamen etiam in illa caligine testimonia de Ecclesiæ conseruatione, & de præsentia Spiritus sancti in electis edita sunt.

Nos etiam præcipuo modo debemus gratitudinem Heduigi Silesiæ, quæ olim, non vt domina, sed vt mater patriam nostram amauit, eamq; plantatione religionis, literarum & virtutis excoluit. De vita igitur ipsius breuem habebimus sermonem. Nata fuit Heduigis patre Bertholdo, Duce Meraniæ, Carinthiæ & Istriæ: matre vero Agnete nata ex Marchionibus Austriæ, vt quidem ipsa historia, quæ in templis legitur, perspicuè asseuerat.

Heduigis parentes.

Fuit

Fuit autem familia paterna ex ſtirpe Arnolphi Imperatoris, nati ex poſteritate Caroli Magni, qui anno Chriſti nongenteſimo periit pthiriaſi. Is habuit filium naturalem Rapoldum conditorem ſtirpis Andecheſſanæ in Bauaria: vnde poſtea nati ſunt Principes, qui tenuerunt ducatus Iſtriæ, Carinthiæ & Meraniæ, quam ſcriptores multi non recte nominant Morauiam.

Ducatus autem Meraniæ tempore Friderici Barbaroſſæ, & paulò ante, nominabatur Regio illa, quæ olim fuit ſedes Nariſcorum: & poſtea dicta eſt Voitlandia. Extincta enim maſcula ſtirpe Ducum Meraniæ ſub Friderico Secundo, ducatus ille à vicinis, cum nullus eſſet certus Imperator, diſcerptus eſt. Partem enim Epiſcopi Bambergenſis, & Vuirtzburgenſis: Aliam autem partem Burggrauius Norimbergenſis, occuparunt. *Meraniæ ducatus ubi fuerit.*

Genuit ea familia aliquot præſtantes viros, inter quos celebratur Otto Cancellarius Henrici Sexti Imperatoris, qui poſtea factus eſt Epiſcopus Bambergenſis, & Pomeranos fidem Chriſti docuit, vnde Pomeranorum Apoſtolus eſt vocatus. Inuenio autem annotatum alicubi, Bertholdum patrem Heduigis, à quibuſdam ordinibus, mortuo Friderico Barbaroſſa, propter opes & potentiam vocatum eſſe ad Imperium contra Philippum Bambergenſem. Bertholdus tamen, cum animaduerteret huic, munito ſtudijs principum, ſeſe futurum imparem, volens de ſuo iure ceſſit. Non extincta ſunt autem odia in filijs erga Philippum, qui deinde anno 1208. Ottoni Vitelſpachio Principi Palatino, cui Heduigis filiam Gerdrudem deſponderat, adiutores fuerunt, vt Cæſarem interficeret.

Nati ſunt Bertholdo quatuor filij: Ecbertus Epiſcopus Bambergenſis: Bertholdus Patriarcha Aquilegienſis: Henricus & Otto Marchiones Iſtriæ, qui omnes anno 1231. fuerunt in exercitu Friderici ducis Auſtriæ, cui materna ſtirpe erant cognati, in bello contra Regem Bohemiæ. Sed cum propter mortem Friderici copiæ dilaberentur, nullus fuit illius expeditionis ſucceſſus. Ex iſtis fuit vltimus Otto, qui anno 1248. Plaſſeburgi interfectus eſt, & cum eo ſtirps maſcula deleta. *Heduigis fratres & ſorores.*

Collocauit idem Bertholdus nuptum filiam Gerdrudem Andreæ Regi Vngariæ, quæ à Barone Vngarico in ſua aula, propter adulterij procurationem, vt putabatur, miſerabiliter eſt interfecta. Ex iſta Gerdrude nata eſt Elizabetha, nupta Principi præſtanti Ludouico Landgrauio Thuringiæ & Haſſiæ, qui profecturus ad bellum Turcicum in Aſiam, Brunduſij deceſſit. Iſta Elizabetha, fœmina ſancta & modeſta, à mariti fratre in exilium pulſa eſt, & Bambergæ ab Epiſcopo cognato in monaſterio nutrita. Ex huius tamen filia Sophia, materna ſtirps eſt Landgrauiorum Haſſiæ. *Heduigis cognatæ Elizabetha & Cunegunda.*

Ex Bela deinde Rege Vngariæ, filio Gerdrudis, nata est Cunegundis vxor Boleslai pudici, Principis Cracouiensis: quæ etiam opinione sanctitatis celebris est: ita vt singulari fato hæc familia fœminas nobiles ob pietatem produxerit. A teneris verò annis vsque laudata est probitas Heduigis, in qua semper eximia fuit modestia, & ardens ad precationem & exercitia pietatis studium. Promissa est Henrico Barbato anno ætatis duodecimo, eiqúe deinde luculentam attulit dotem, cuius maximam partem maritus Princeps, ab ipsa exoratus, in condendo & locupletando cœnobio virginum Trebnicensi insumsit. In Silesia vere ita vixit, vt fuerit innocentiæ, sanctitatis & mansuetudinis exemplar.

Heduigis adolescentia.

Historia de ipsa ineptè & barbarè scripta, celebrat tantum ipsius opera ceremonialia, & dura exercitia in victu, cultu corporis, in sustinenda inedia, vigilijs & similibus. Etsi autem illa, vbi fiunt fide vera in Christum prælucente, & vbi iusta seruatur mediocritas, suam laudem habent, sicut etiam externa disciplina in renatis pulchrum decus est: tamen in hac pia fœmina alia ornamenta nobiliora fulserunt: neque solum virtutibus Ethnicis, aut gestibus illis externis, tanquam folio ficus, tecta fuit: sed, cum intus in corde ad Deum esset conuersa, & gubernatorem haberet Spiritum sanctum, accendebantur in ipsa virtutes diuinæ, vera lux agnoscens Deum, & vera fides, ad Deum fiducia mediatoris accedens, ardens pietas, dilectio, castitas, beneficentia erga Ecclesiam & Rempublicam, aliæq; multæ. Harum virtutum testimonia & documenta in tota vita ipsius lucent.

Heduigis virtutes.

Ipsa non solum apud Principem suum deprecatrix est pro populo, pro afflictis, flectit eum ad clementiam, & iusticiam, verum etiam apud Deum: & sicut pia & modesta Esther, est socia & ducissa communium precationum, ardentibus votis Ecclesiam & Rempublicam Deo commendat: Ita, vt ex assiduo insessu in genibus, etiam grandes & duri calli in genibus ipsius excitati scribantur: Neque dubium est, propter huius sanctæ fœminæ preces, ærumnas publicas esse lenitas, & arma Scythica repressa.

Heduigis ardens pietas.

Fuit deinde suo Principi hortatrix ad propagationem religionis & pietatis in hac gente: Neque suo labori suisq; sumtibus pepercit, vt latè per totam prouinciam Ecclesiæ & Scholæ, quæ olim fuerunt in monasterijs, constituerentur. Curauit etiam Silesiam ornari vrbibus, legibus, disciplina & ædificijs: sicut non dubium est, hanc regionem tunc primum culturam accepisse. Accersiuit ex Germania multas familias, qui noui coloni literas & humanitatem simul huc intulerunt.

Heduigis Silesiæ addidit culturam.

Constat verò, non esse opera meliora inter homines, quàm communicationem sapientiæ cœlestis, & honestarum legum in so-

cietate

cietate politica, quæ hæc noſtra regio ab iſta benefica omnium matre accepit, mores ipſius ita fuerunt placidi, itáq; ab aſperitate alieni, vt, ſicut Cyrus Xenophontæus, nunquam vehementi ira, etiam in magna rei indignitate, exarſiſſe legatur.

In vita interiori ita erat amans caſtitatis, & tanta fuit in rebus aduerſis patientia, vt etiam in alteram partem potius deliquerit. Nam, cum ſexies fuiſſet puerpera, tandem maritum magnis precibus eò adduxit, vt conſuetudini coniugali renunciaret, ab eáque fermè triginta annos ſeſe abſtineret, in morte etiam mariti & filij adeò ſeſe Deo obtemperare oſtendebat, vt edere geſtus aliquos mœſticiam ſignificantes impium eſſe duceret. *Heduigis nœui.*

Iſta quidem, & alia ſuperſtitionum labe, ex ſordibus ætatis illius fuit aſperſa, vt ſemper in Eccleſia aliàs maior, aliàs minor eſt lux: Et tunc, fabricata iam monarchia Pontificia, & orbe terrarum vbiq; nouos & monſtroſos fœtus monachorum parturiente, tetrum chaos abuſuum Eccleſiam contaminauit, quibus contagijs etiam ipſa inquinata eſt. Scimus autem, monſtrata veritate cœleſti, redargui idolatricos cultus ſuperioris ætatis in cultu ſtatuarum & mortuorum hominum, in profanatione ſacræ Cœnæ, & alijs. *Heduigis incidit in ſeculum infœlix.*

Opinio, quæ damnat coniugia, in animis huius & aliarum fœminarum inoleuerat, ex iniqua lege cœlibatus: cùm vita coniugalis, impuritas & contaminatio pietatis eſſe exiſtimaretur: Neque interea erudirentur homines de mirando conſilio Dei, qui naturam hoc modo condidit, & hunc ordinem propagationis in genere humano, circumſcriptum certa lege, ex arcana ſua ſapientia inſtituit, ſicut dicitur: Dixit Deus, non eſt bonum, hominem eſſe ſolum. Neque etiam pijs fœminis ardentibus zelo pietatis proponebantur hæc & ſimilia dicta, commonefacientia de veris exercitijs fidei & dilectionis: Saluatur mulier per filiorum generationem, ſi manſerint in fide & dilectione.

Hos fontes ſi doctores illius ætatis monſtraſſent, intelligi potuiſſet, coniugium eſſe veram caſtitatem, &, vt Paulus verecunde loquitur, debitam beneuolentiam inter coniuges Deo non diſplicere. Nec impium eſt, in morte parentum, liberorum aut propinquorum eſſe in mœrore, nec illa ſtoica ἀπαθεία monachorum eſt laudanda.

Indoluit Chriſtus in morte ſui amici Lazari, & Ioſeph oſtendens ſigna mœſticiæ propter patris ſui deceſſionem, non reſiſtit voluntati Dei. Quia vtrumq; vult Deus: nos calamitate & morte noſtrorum affici, cum ipſe σίργας naturæ humanæ impreſſerit: & ſimul tamen apprehenſione verarum conſolationum ex Euangelio dolorem moderari. Inter iſtas maculas tamen, cum noſtra domina fundamentum ſanæ doctrinæ retineret, & fiducia mediatoris quotidie ar- *Heduigis propter ſtipulas non fuit reiecta à Deo.*

tidiè ardenter remiſſionem peccatorum peteret, non fuit abiecta propter illas ſtipulas, quas ædificio Chriſti indocti doctores aſſuebant.

Et ſunt in omnibus ſanctis næui multi & magni, non tamen contra conſcientiam, & quas illi, cum ſint admoniti, non pertinaciter defendunt, ſicut oſtendunt exempla Apoſtolorum & multorum aliorum. Ideo dulcis à Paulo eſt monſtrata conſolatio, qui ait: Fundamentum aliud poni non poteſt, præter id quod poſitum eſt qui eſt Chriſtus Ieſus. Dies inquit Apoſtolus declarabit, qualis ſit cuiuſque ædificatio, & ille, qui detrimentum patietur, ſaluabitur vt per ignem. In veris enim tentationibus manifeſtum fit piæ menti, non ſubſiſtere ſtipulas commenticiarum opinionum, & ſimul Deus errores etiam in ſanctis, multis triſtibus exemplis punit, ſicut huius ſanctæ fœminæ, tam multæ & graues fuerunt ærumnæ, vt non dubium ſit, eam illa magnitudine calamitatum commonefactam & fractam, non modo fuiſſe modeſtiorem, verum etiam quaſi omnium mundanarum rerum fuiſſe pertæſam.

Heduigis calamitates ingentes.

Vidit enim tragicum exitum ſuæ ſorores Reginæ, & qui, quod grauiſſimum eſt, ſcelere fratris & ſuo accerſitus eſſe putabatur. Vidit deinde filiam illius Gerdrudis Elizabetham Thuringiacam, fœminam ſanctam, marito mortuo, miſerabiliter, in exilium proſci, vbi & paulò pòſt mœrore animi contabuit. Conſpiratione præterea fratrum, interfectus eſt Philippus Bambergenſis Cæſar vtilis Imperio, & quidem ab illo ipſo Ottone, qui futurus erat gener ipſius: Ideo necato illo noluit filiam promittere alteri, ſed eam vna cum cæteris ſororibus in collegium virginum Trebnicenſe incluſit: Paulò pòſt conſpexit dimicare exemplo penè Thebaico, inter ſeſe filios, iugulari multos ciues, & homines innocentes, ipſumque deinde filium, terribili exemplo diuinæ vindictæ, ceruices ex equo frangere.

Vulneratus eſt ipſius maritus, optimus Princeps, ex inſidijs lethaliter, abductus deinde in carcerem, vbi ipſa ſuo labore, precibus & lacrymis, eum liberauit & diſſidia parauit. Tandem poſt mortem ſui Principis fuit ſpectatrix horribilis lanienæ & tyrannidis Scythicæ, quæ fuit grauior etiam, quàm nunc eſt aſperitas Turcica.

In quanto igitur eam dolore fuiſſe credimus, cùm vidit hanc regionem ſtudio ipſius religione & vrbibus excultam, crudelem in modum vaſtari, vri, diripi, & deinde filium Principem præſtantem pietate & virtute, patrem multorum filiorum, ante ſenectam in prælio à Scytis trucidari. Hic tantorum malorum concurſus etiam virile & conſtans cor, potuiſſet frangere: ipſa tamen addicta precationi, & fontibus verarum conſolationum, etſi fuit triſtior & toruior: tamen eam animi retinuit æquabilitatem, vt

Heduigis robur & conſtantia.

verè

verè de ea prædicari possit: Tamen per ipsas lucet ærumnas fides. Sed non institui nunc longum panægyricum, Tantum in hac historia breuem etiam huius Sanctæ fœminæ, quæ fuit huius regionis singulare decus, mentionem facere volui.

Consumta mœsticia & ærumnis, in pia inuocatione Christi decessit anno 1243. biennio post cladem Lignicensem, 15. Octobris, cum aliquamdiu decubuisset ex torrido, vt apparet, marcore, quem ex curis & genere vitæ aspero contraxit. Anno vigesimo tertio post decessionem eius, laborantibus in hac causa multis potentibus viris, à Clemente in numerum diuorum relata est, & institutæ solennes feriæ, cum precatione & cantu valde superstitioso. Iussi sunt homines exuuias ipsius inuisere, eas adorare, & ab ea bona, quorum solus Deus dator est, petere. Ea nos merito repudiamus, cum sciamus, nequaquam ornari pios defunctos, vbi deformatur Deus: Sed gratam ipsius memoriam conseruemus, & Deum oremus, vt subinde excitet Principes & dominas pietate & caritate in patriam præstantes, vt ipsi inter nos perpetuo Ecclesia colligatur, quæ eum agnoscat & celebret sine erroribus idolatricis.

Heduigis decessio.

Heduigis apotheosis.

Reliquit beata Heduigis numerosam posteritatem, quæ diu in Silesia est dominata, & adhuc hodie superstites sunt inclyti Principes Lignicenses & Bregenses, nati paterna quidem stirpe ex vetusta familia Regum Poloniæ: materna verò ex posteritate Caroli Magni & Beatæ Heduigis, quæ certe est nobilitas eximia, Quos Deus, etsi diadema Regni Poloniæ illis per iniuriam detractum est, ornauit multis præclaris vitæ commodis, &, quod maximum est, vera agnitione Filij sui: ita vt hic etiam exemplum diuinæ illius promissionis conspiciatur: Generationi rectorum benedicetur: quam Poëta Ethnicus acceptam alicubi in poëma suum transtulit, Δυσεβέων παίδεσι τὸ λώιον, δυσεβέων δ' ὐ.

Heduigis posteritas adhuc superstes.

Lignicensium principum laudata nobilitas.

FILII HENRICI SECVNDI
Pij, Silesiæ Principes.

Henricus Pius. Anna filia regis Bohemiæ.

Henricus Tertius Vratislauiensis.	Boleslaus Caluus vel sæuus Lignicensis.	Conradus Glogouiensis Saganensis & Crossenensis.	Vladislaus Archiepiscopus Saltzburgensis, & postea gubernator Vratislauiensis.

Boleslaus Caluus malus Princeps admittit Poloniam.

GRata erat memoria Henrici Pij apud Polonos, ideo post abitum Tartarorum Boleslaus, Henrici filius, vocatus est ad Ducatum Cracouiensem, & electus in summum Principem, quia Boleslaus pudicus existimabatur periisse. Receptus est Cracouiæ cum lætitia: sed cito exeruit se ipsius natura: fuit enim μωρόηκ@-, stupidus, infans & iniustus. Ideo facili negotio eum ex Polonia excussit Conradus Masouiensis: & dum illi litigant, interea Tartari rursus per iuga Carpathi ex Hungaria sese tumultuaria manu effundunt, Cracouiam opprimunt & diripiunt, necatis pluribus hominibus, quàm prius. Nec multo pòst amisit Boleslaus etiam Poloniam maiorem. Nobilitas enim, quæ detestabatur ipsius arrogantiam, reuocauit filios Vladislai exulis, modestos Principes, Primislaum & Boleslaum: Ita nec sapientia, nec fortuna humano consilio ad hæredes potest transmitti.

Tartari rursus uastant Cracouiam.

Auia autem Heduigis hortata est nepotes, vt omitterent Poloniam, Silesiam vero ipsi ornarent & tuerentur diligenter. Sed statim post mortem S. Heduigis Boleslaus Princeps prodigus & iniustus, voluit sibi suam assignari partem in Prouincia, ne cogeretur reuereri matrem & Episcopum Thomam, quem mater colebat & audiebat. Facta est igitur talis diuisio, vt Boleslao, ipso ita eligente, tribueretur Ducatus Vratislauiensis, Lignicensis autem & Glogouiensis ditio relinqueretur Henrico: simul tamen vterq; alterum ex fratribus, qui destinati erant ad professiones sacras, haberet in hæreditate consortem: Henricus Vladislaum: Boleslaus, Conradum. Post exiguum tamen temporis interuallum, Boleslaus partem Lignicensem, tanquam meliorem postulauit: & quamuis iniquum petebat, tamen à matre vidua, quæ paci studebat, impetrauit quod voluit.

Fuit hoc anno 1244. Non multò verò post idem Boleslaus, turbata pace, excitauit graue & exitiale bellum in Silesia, quæ nondum sese ex vastationibus Scythicis collegerat. Conradus enim mutata voluntate repudiauit Sacerdotium: quia Auia eum inuitum ad illud addixerat: & quia illa familia non amplius erat grata in Franconia: Reuersus igitur Lutecia hæreditatem suam à fratre Boleslao petebat.

Boleslai Caluui furores.

Vladislaus autem, qui creatus erat Archiepiscopus Saltzburgensis, integrum suum patrimonium fratri Henrico reliquit. Ibi Boleslai πλεονεξία fuit intolerabilis. Postulabat enim rursus, vt facta commutatione ducatuum, Henricus migraret Lignicium, & fratrem Conradum placaret, sibi autem Ducatum Vratislauiensem daret integrum. Sed hoc ordines sui dissuadebant & iniusticiam Boleslai detestabantur. Ortum est igitur Ciuile bellum inter fratres diuturnum, & admodum Silesiæ funestum.

Anno

Anno 1245. primum adortus est Henricum fratrem Boleslaus, conuocatis militibus, & prædonibus vndique ex Germania: accurrit Vratislauiam, ea post incendia Scythica adhuc erat exigua & infirma, & quidem formam nouæ vrbis tunc accipiebat. Donata enim fuit iure ciuitatum Germanicarum, abolita barbarie Polonica, ideo ciues passim ex Germania eò confluebant, & nouis tunc etiam mœnibus cingebatur. Inter illas difficultates tamen sustinuit trimestrem obsidionem Boleslai, & eum re infecta abire coëgit.

Vratislauia post uastationes Scythicas instauratur.

Boleslaus Caluus frustra obsidet Vratislauiam.

In reditu autem diripuit & incendit Nouoforum, & templo, ad quod miseri homines cum vxoribus & paruis natis confugerant, vt religione loci sese tuerentur, ad quingentos homines fœdè inflammato exussit. Reuersus domum totam Silesiam latronibus compleuit, qui deinde grauiter Prouinciam afflixerunt. Nam cum illis stipendia non exolueret, agros hinc inde sunt deprædati. Inuenio apud Dugloſſum, eo tempore ipsum à sua nobilitate, quod existimaretur mente errare, captum & custoditum fuisse, tandemque, cum resipiscere videretur, dimissum esse. Neque tamen sic quieuit.

Nouoforum oppidum incenditur.

Nam, cum in Lusatia Sittauiam & Gorlicium quibusdam ex suis hominibus ditioribus oppignorasset, denuo Vratislauiam, quamuis infœliciter, inuasit. Nam non modo cum clade reiectus est: Sed paulò pòst etiam ab Henrici fratris militibus exceptus & Vratislauiam ductus est. Frater, hortante proculdubio matre, eum honeste habuit, & cum fidem dedisset, se Conrado patrimonium daturum, dimissus est.

Boleslaus Caluus capitur.

Interea anno 1248. Vratislauiam accesserunt legati Pontificij, missi ex concilio Lugdunensi ab Innocentio Quarto, quibus mandatum erat, vt peterent auxilia contra Fridericum Secundum, Cæsarem, quem Pontifices tunc crudeliter persequebantur: & vt viciſſim quodam officio hanc gentem rusticam deliniret, nunciatum est illis ex decreto Pontificis, ieiunium annuum quadragesimæ, deinceps non à Dominica, quam Ecclesia nominat Septuagesimam, vt hactenus ex ritu Græcorum vsitatum fuerat, inchoandum esse, sed serius more Romano, agitatis prius Bacchanalibus: Ita, cum temulenti homines libenter admitterent orgia Bacchi, Pontifex impetrauit nummos.

Silesia accipit munus à Pontifice.

Ieiunia ueteris Silesiæ.

Profecti ijdem legati in extremam Scythiam, ad magnum Imperatorem Tartaricum Chamum, petituri ab eo, vt Christianis hominibus parceret, nec in eos amplius sæuiret: Exhibitis muneribus quatuor annorum inducias dicuntur impetrasse: quamuis de ea legatione & itinere scripta, plena fabularum & ineptiarum, edita sunt.

Boleslaus Caluus euertit Sileſiam.

Boleslaus vero rurſus ſuis furijs exagitatus, vt neruos belli corraderet, extremam oram Luſatiæ & Sileſiæ inferioris, agrum Libuſienſem & vicina oppida Brandeburgenſibus Marchionibus oppignorauit, & Vratislauienſe territorium tertiò vaſtauit. Paulò pòſt, alienatis à ſe ſuorum animis, Croſnenſis ditio Conrado dedita eſt: Struebat illi inſidias frater Boleslaus: in Henrico vero Vratislauienſe parum inueniebat præſidij, fugit igitur in Poloniam maiorem ad Primislaum Principem Gneſnenſem, cui ſoror Principum Sileſiæ Elizabeth erat nupta.

Conradi Secundi Glogouiēſis nuptiæ.

Primislaus collocauit Conrado nuptum ſuam ſororem Salomeam fœminam pietate præſtantem, & cùm miſſa legatione nihil æqui impetraret à Boleslao, vnà cum Conrado totam Sileſiam, quæ duobus fratribus parebat, deuaſtauit: locis ſacris tamen pepercerunt, & vt eſſet certa munitio, vnde perpetuæ fierent excurſiones, fuit autor Conrado, vt prope Glogouiam nouam arcem muniret, & in eam præſidiarios collocaret: hanc ſcriptores non rectè nominant Bythomiam, cum ſit Pridomia. Notum eſt enim ex ſermone maiorum, Principem Glogouienſem domicilium ſuum in pago Pridomia habuiſſe.

Conradus munit Pridomiā.

Ex ea munitione, habeo autores, qui vtrumq; Principem, Henricum & Boleslaum, captos eſſe ſcribunt: & quamuis Boleslaus corruptis cuſtodibus elapſus eſt, tamen, vt ſcribit Dugloſſius, Henricus promiſit, aut ſe fratrem adducturum, vt tribueret ipſi patrimonium, aut ſeſe de ſuo illi aliquid daturum. Demum igitur 1255. Glogouiæ fuit conuentus, cauſa conſtituendæ pacis inter fratres: ibi, annitente Epiſcopo Vratislauienſe, & nobilitate regionis, Boleslaus ducatum ſuum cum fratre Conrado diuiſit, ipſiq; attribuit Glogouiam, Saganum, Sprottam, Croſnam, & vicina oppida, quæ tamen tunc non fuerunt multa.

Conradus Secundus occupat Glogouiā.

Autor eſt Dugloſſus, Anno 1250. Ottocarum Bohemiæ regem occupaſſe Ducatum Opolienſem in Sileſia ſuperiori, eumq; tradidiſſe filio ſuo naturali Nicolao, ab eoq; poſteriores Duces Opolienſes eſſe propagatos: quod tamen, vt mihi parum compertum in medio relinquo. Poſtremus ex Opolienſibus Principibus Iohannes videri voluit, familiam ſuam à Mieslao Boleslai Proceri fratre continua deſcenſione adhuc eſſe ſuperſtitem. Aeneas Syluius aſſeuerat, hunc Ottocarum fuiſſe Sileſiæ Dominum, quod fortaſſis inde ſparſum eſt, quia ducatus iſtos Sileſiæ ſuperioris inuaſerat. Paucis annis pòſt Boleslaus Pudicus Cracouienſis, & Vladislaus Ratiborienſis, Opolienſem ditionem latè vaſtarunt, vt inde Bohemos excuterent, ſed nullo cum ſucceſſu.

S. Stanislai apotheoſis.

Anno 1254. non ſine magno labore, & grauibus impenſis in curia Romana obtineri potuit apotheoſis S. Stanislai, anno poſt necem ipſius centeſimo ſeptuageſimoquinto. Multi prudentiores

ex ſe-

ex Senatu Cardinalium aduersabantur, cum iudicarent, hoc modo religionem prostitui.

Narrat historia, in ipso articulo renunciationis publicæ adolescentem mortuum, qui ad sepulchrum efferebatur, precibus S. Stanislai reuixisse: Sed nos, qui talibus miraculis non assueuimus, donamus illis suum aduocatum, contenti nostro mediatore, qui est ad dextram æterni Patris, interpellans pro nobis. Vix dum sedato ciuili bello inter fratres Silesios, Boleslaus nouum incendium excitauit.

Questus fuerat Episcopo, exhaustum sese esse multorum annorum bellis, & grande æs alienum contraxisse, ideo orare se, pateretur decimas, quas ipsi ex veteri instituto soluebat, in summam pecuniæ commutari, & promittebat illi in annos singulos decies mille marcas, vt nominamus. Negauit Episcopus, hoc sibi aut licere, aut expedire, & ius suum defendebat. Boleslaus autem irritatus, anno 1256. Episcopum cum ditioribus duobus Canonicis ruri captum, & vestibus exutum in carcerem abduxit. Archiepiscopus Gnesnensis è uestigio ad sua fulmina decurrit, & terribili sonitu campanarum quotidiè Boleslaum est execratus. Istas diras cum Boleslaus negligeret, querelam hanc detulit ad Pontificem Alexandrum Quartum. Is vt veteres iubebant, ἀμὰ κυρηκέω δόρυ vsurpans, mandauit Episcopis Polonicis, & præterea Archiepiscopo Magdeburgensi, vt Poloniam & Germaniam in arma aduersus Boleslaum concitarent.

Boleslaus Caluus intercipit Episcopum Vratislauiensem.

Extant literæ ipsius plenæ hypocriticæ crudelitatis. Sed interea Thomas fractus squallore carceris, datis obsidibus promisit, se in territorio trium fratrum Silesiæ, nam reliqui duo Vratisauiensis & Glogouiensis, conniuebant, ad missurum commutationem decimarum: & præterea soluit λύτρον marcarum bism ille. Scriptor Polonicus addit Epiphonema, & iudicat hos Principes propter hoc scelus Regno Poloniæ excidisse.

Ab hoc tempore Sacerdotes, qui tunc soli scribebant annales, & de Principibus ex affectu suo iudicabant, Boleslao appellationem Sœui tribuerunt. Episcopus tamen proximo anno post, in Synodo prouinciali testatus est, nihil se eorum seruaturum, quæ cum Boleslao esset pactus.

Anno 1257. decessit Primislaus, Princeps Poloniæ maioris, iustus & pius, itáque continens, vt de eo scriptum sit, nunquam eum ebrium, aut ira incensum visum fuisse: Non excesserat annum ætatis trigesimum sextum. Elizabeth vxor, filia Henrici Pij, peperit illi filium Posthumum Primislaum, cui deinde ex longo interuallo diadema Regni Poloniæ est impositum.

Eodem

Boleslaus Caluus capitur à fratre Conrado.

Eodem anno accidit casus ridiculus. Non coaluerat vulnus offensionis inter Boleslaum & Conradum: & quia recens decesserat Primislaus, cuius auxilijs Conradus nitebatur, Boleslaus ratus adueniſſe tempus, quo fratri rursus posset detrahere Glogouiam, & lætus illo successu ex Episcopo capto, per speciem amicitiæ fratrem ad conuiuium Lignicium inuitauit. Constituerat autem ibi eum detinere. Sed Conradus præmonitus de suo periculo, & iratus fratri propter perfidiam, cogitauit quomodo in eum facinus retorqueret. Clam igitur armatam manum in lucum prope Lignicium abscondit, ipse cum familiaribus ad fratrem ingreditur, quem, cum in porta obuium habuisset, eum comprehendit, & vocatis suis equitibus ex luco Glogouiam abduxit. Non tamen cum eo egit crudeliter, sed tantum coëgit eum numerare pecuniam, quam ab Episcopo mulctæ nomine extorserat: vt extaret exemplum huius dicti: Væ qui spolias, quia spoliaberis. Item:

Τὸχων ὡς ἐπέρῳ τι ἑῷ κακὸν ἦπαρ τὸχῃ.

Terræmotus in Polonia.

Anno 1258. & proximo post, annotatum est, Poloniam valido terræmotu esse concussam, quo ab omnibus iudicatum est, graues clades denunciari. Et quidem anno 1260. denuo Tartari, qui ductores & adiutores habebant Moschos, vniuersam ferme Poloniam per spacium trimestre percurrerunt, & crudeliter depopulati sunt, Cracouia vrbe & multis alijs oppidis captis & incensis, ad ipsam oram vsque Silesiæ, & ditionem Opolienſem sunt grassati.

Tartari rursus uastant Poloniam & Cracouiam.

Cruciferi strenue arcent Borussos & seruant Poloniam.

Hisce annis etiam pertinax & asperum bellum gessit ordo Teutonicus in Prussia, & magna tunc fuit virtus nobilitatis Germaniæ, quæ sponte militatum in ea pia causa proficiscebatur, & suo corpore & sanguine arcebat à Polonia immanitatem barbarorum, quam proculdubio, nisi iste fuisset ipsis obiectus murus, tunc bellis ciuilibus, & vastationibus Scythicis plane exhaustam, totam deuorassent. Quare non dubium est, gentem Polonicam ordini isti multis nominibus gratiam debere.

Cometa proxime antecessit circumgestationem panis consecrati.

Anno 1264. terribilis fulsit Cometa: eoq; ipso anno instituta est circumgestatio theatrica panis consecrati. Anno 1266. decessit Vratislauiæ 5. Decembris Henricus Tertius, Princeps bonus & amans sui populi. Sæpe autem in historia Silesia, & de isto Henrico quoque refertur, quod Principes veneno sint sublati. Ego Silesijs tunc nota fuisse venena vix crediderim: sed illud rudius seculum, malignas febres ex veneni haustu contractas esse suspicatum est. Sepultus est in monasterio S. Claræ.

Henricus Tertius Vratislauiensis moritur.

Habuit duas vxores: quarum prior fuit filia Conradi Ducis Masouiæ, Iuditha: Peperit illi Henricum & Heduigin: ex altera, quæ fuit filia Ducis Saxoniæ, nullos liberos genuit. Filio attribuit

tutorem

tutorem Vladislaum Archiepiscopum fratrem, qui commigrauit Vratislauiam, eámque tutorio nomine quadriennium gubernauit.

Anno 1267. mortuus est Thomas Episcopus Vratislauiensis: reditus Ecclesiæ illius Vladislaus à Pontifice ad triennium ad suos vsus impetrauit: Triennioq; pòst ipse Vladislaus extinctus est, Princeps celebris ob munificentiam in egenos. *Vladislaus Archiepiscopus imperat Vratislauiæ & moritur.*

HENRICVS QVARTVS PROBVS
Vratislauiensis filius Henrici Tertij.

ANnus 1270. fuit plenus prodigijs, quæ significarunt sequentes motus & clades. Mulier nobilis vno partu effudit pueros triginta sex, eosq; viuentes, sed qui statim post extincti sunt. Viadrus & Nissa in Silesia sanguine fluxerunt. Hisce annis, donec fuit pax, Conradus Glogouiensis, vna cum coniuge sua fœmina pia & benefica, occupatus fuit in ornanda & augenda Glogouia. *Partus monstroſe fœcundus.*

Hoc igitur tempore existimatur collegium sacerdotum, cui tunc maxima pars ciuitatis parebat, in illam quasi Viadri insulam esse translatum, vbi olim fuit vrbs: In templum vero vrbanum sacerdotum collocauit monachos instituti S. Dominici: Structura tamen prius immutata, & æde sacra pulcherrima erecta, foris verò collegio templum suo sumtu extruxit, & in illud statuam suam posuit. In oppido arcem condidit, & relicta Pridomia in vrbem commigrauit. Ipsi etiam vrbi, adhuc oppressæ barbarie & seruitute antiqua, leges & iura Germanica donauit, vt plures ciues huc ea Reipub: εὐνομία alliceret. *Glogouia excolitur à Conrado & Salome.* *Sacerdotum collegium ex urbe Glogouia in insulam suburbanam transfertur.*

Gubernauit hæc consilia omnia Salome ducissa, fœmina sapientia & pietate excellens, decessit anno 1271. sepulta est apud Dominicanos, quos ipsa in vrbem vocauerat. Conradus egens pecuniæ eodem anno accessit ad secundas nuptias, & liberis suis induxit nouercam, Brigittam Theodorici Marchionis Misnensis filiam, Conradini illius viduam, qui scelere Pontificis Neapoli necatus est. Attulit Conrado dotem aureorum decies mille. Non multò post nuptias Boleslauiæ penè oppressus esset à fratre Boleslao, qui denuò illi tendebat insidias, sed euasit tamen. *Salome Glogouiensis moritur.* *Conradus Secundus Glogouiensis accedit ad secundas nuptias.*

Anno proximo pòst Brigitta mortua rursus eum magna clade inuoluit. Nam cum dotis nomine Marchioni Misniæ oppignorasset Crosnam, Greiffensteinium, & quasdam alias arces, nec vxore mortua redderet pecuniam, Marchio pater bona ea dotalitia occupauit, & Archiepiscopo Magdeburgensi vendidit. Anno 1275. decessit etiam Heduigis coniunx Boleslai Lignicensis, nata ex familia *Conradus mulatur propter dotem uxoris mortuæ.*

Princi-

Principum Anhaltinorum: Ipse statim post contraxit matrimonium cum filia Ducis Pomeraniæ, quæ tamen offensa vagis libidinibus mariti, pedes ad patrem est reuersa.

Infantis uox fatidica.

In Polonia inter alia portenta hoc anno, infans medij anni prorupisse in hæc verba scribitur: Venient Tartari, & Polonis capita præcident. Interrogatus vnde hoc sciret, dixit: A Deo: & cum rursus quærerent, quid de ipso futurum esset, & meum, inquit, caput præcident, idque duodecimo anno post accidit. Henricus Probus Vratislauiensis, cui curatores fideles multum pecuniæ corraserant, anno 1276. oppida oppignorata à Conrado Glogouiense, redemit, cum in pactis ita conueniisset. Grauiter hoc tulerunt patrui, Boleslaus & Conradus, qui ære alieno erant oppressi.

Boleslaus Caluus capit Henricum Probum Vratislauiensem.

Anno proximo post Boleslaus Lignicensis, cuius fuit improbitas enormis, Henricum adolescentem, rusticantem in suo pago, captum abduxit. Causa prætexebatur, quod hæreditas, relicta à Vladislao Archiepiscopo, non minus ad ipsum & Conradum fratrem quàm ad Henricum pertineret: quod tamen erat expressè contra vetera pacta primæ diuisionis. Vratislauienses conquerunt de hac iniuria apud vicinos Principes, & petunt auxilia: illi moti hoc scelere indicunt Boleslao bellum, cum alij tum etiam Primislaus Posnanienſis, natus ex sorore Boleslai, & Conradus Glogouiensis: Vratislauienses etiam, cum scirent Boleslaum vsurum auxilijs Germanorum, Crosnam hypothecæ nomine tradiderunt Marchioni Brandeburgensi pro aureis quatuor mille, ea conditione, ne ipse sese cum Boleslao coniungeret. Sed Boleslaus numeratis stipendijs multos milites ex Germania ad se traduxit.

Boleslaus Caluus profligat Principes Silesiæ.

Rursus igitur anno 1277. die S. Georgij infœlici fato Silesiæ fit atrox pugna. Boleslaus habebat in suo exercitu tres filios, Henricum, Boleslaum & Bernhardum. Ipse pater conspecta multitudine copiarum hostium, desperans de victoria, coniecit se in fugam. Sed filius Henricus iuuenis animose pugnam restituit, & tandem victoria, quamuis cruenta, potitus est. Captus est in eo prælio ab Henrico Primislaus Posnanienſis. Vratislauienses tamen, vt opem ferrent captiuo Principi suo, ad Ottocarum Bohemum, cuius tunc magna erat potentia, confugerunt: ab eo petiuerunt, vt aut authoritate, aut armis apud Boleslaum nepotem suum ex sorore, dimissionem sui Principis impetraret: & vt eum facilius flecterent, ditionem Glocensem ad tempora vitæ Regiæ, ipsi tradiderunt.

Boleslaus Calnus extorquet aliquot oppida ab Henrico Probo.

Ottocarus, qui distinebatur alijs bellis, pacem fecit in Silesia, sed iniquam. Nam Henricus Probus Boleslao cessit Nouoforum, Strigoniam, Strozam, Greiffenbergum, & alia quædam oppidula. Ita captiui Principes Henricus Probus, & Primislaus dimissi

dimissi sunt. Henricus Probus Crosnam à Marchione, cui exoluit aureos sexies mille, recepit. Non diu fruebatur ista lætitia Boleslaus. Nam anno 1278. mortuus est Princeps iniustus, & qui sæpe mente delirabat.

Boleslaus Caluus Princeps delirus & tyrannicus extinguitur.

Scribitur mandasse, vt porci pascerentur non granis frumentorum, sed fœno, quia æstate vescerentur gramine. Iusserat quendam plectere capite, qui supplicium meritus non erat: Ablegarunt igitur eum familiares, & renunciauerunt Principi, eum esse necatum. Vidit autem postea eundem Goltpergæ, & persuasus est à suis, multos ex mortuis in montes Goltpergenses commigrare. Sepultus est cum coniuge & liberis Lignicij in monasterio Dominicanorum, quod ipse erexerat.

BOLESLAVS SÆVVS.

Henricus Quintus Obæsus, Princeps Lignicensis, & deinde Vratislauiensis.

Boleslaus Princeps Suidnicensis.

Bernhardus agilis, qui decessit sine liberis 1280.

ANno 1278. quo defunctus est Boleslaus Lignicensis, Henricus Probus post necem Ottocari Regis Bohemiæ recepit ditionem Glocensem, & duxit Mechtildem, filiam Ottonis Marchionis Brandeburgensis, qui tunc erat Bohemiæ gubernator.

Henricus Probus recipit ditionem Glocensem.

Anno 1281. nouum scelus inter Principes nostros ortum est. Henricus Probus tunc non respondens nomini suo vlturus veteres iniurias, sub specie amicitiæ ad se vocauit Henricum Lignicensem, Henricum Glogouiensem, Conradi filium, & Primislaum Posnaniensem, eos detinuit, & in carcerem coniecit. Lescus niger, qui tunc erat Princeps Cracouiensis, animosus & iustus vir, motus rei indignitate, collecto exercitu ex tota Polonia, omnem ditionem Vratislauiensem ad ipsa vsque mœnia vrbis vastauit: Captiui Principes tamen non sunt dimissi. Tandem, vt se liberarent: Primislaus agrum Rudensem in Polonia Henrico Probo cessit: reliqui duo Henrici promiserunt, se vocatos, quocunque tempore, Henrico Probo cum triginta hastatis militaturos.

Henricus Probus capit & mulctat cognatos Principes.

Anno 1284. Henricus Probus quædam ademit Primislao in Polonia maiori: & cum videretur id bellum futurum esse longum, Thomæ Episcopo & Sacerdotibus imperauit pecuniam in bellum, quæ cum ipsi esset negata, conuertit arma in Episcopum, & ipsi oppida, quæcunque possidebat, ademit. Torsit in illum ob hoc facinus fulmen excommunicationis Archiepiscopus Gnesnensis. Sed cum Vratislauiæ omnia templa clauderentur, & Sacerdotes

omnes conticuissent, Franciscani Monachi, vt gratificarentur Principi, vsitato suo more sonabant & boabant. Ideo Henricus ordinem Sacerdotalem afflixit grauius.

Accusauerat Principem Episcopus in concilio Lugdunensi, sed Henricus ibi, vbi omnia venalia sunt, largitione absolutionem impetrauit. Ita Episcopus mœstus ex Gallia domum reuersus est, & concessit ad Ducem Casimirum Ratiboriensem. Post aliquot vero annos Henricus iratus Casimiro, quod hostem suum receptaret, bellum ipsi intulit, & Ratiboriam obsedit.

Henricus Probus reconciliatur Episcopo.

Episcopus placaturus Principem precibus, quem minis expugnare non potuerat, ornatu solenni ex vrbe in castra hostium processit: cui Henricus, quasi subito afflatus numine aliquo, supplex factus est, & ea, quæ ipsi detraxerat, reddidit. Tanta etiam postea eum incessit religio, vt non solum sacerdotibus nouum collegium Vratislauiæ, sub nomine S. Crucis conderet, & munificè illud donaret, anno nempe 1288. Verum etiam dicitur Episcopo obtulisse dono ipsam vrbem Vratislauiam, quam tamen Episcopus, veritus odia Principum, accipere noluit. Ob hanc in religiosos liberalitatem, sacerdotes obliti omnium offensionum, eum cognomine probi ornarunt.

Casimirus Opolienſis coniungit se cum Rege Bohemiæ.

Memorabile etiam hoc accidit, quod hoc tempore Casimirus Opolienſium Dux, sese regno Bohemiæ subdidit: vbi tunc imperabat Venceslaus, Ottocari filius: atq; ita paulatim Bohemi pedem in hac regione posuêre, cum nulla tunc esset Principum Poloniæ coniunctio & autoritas.

Henricus Probus dimicat de Cracouienſi Ducatu.

Anno 1289. mortuo Lesco Nigro Cracouiensi sine liberis, vrbs Cracouiensis, in quam Lescus ciues Germanos collocauerat, & multi ex nobilitate vocarunt ad Ducatum, & dignitatem Ethnarchiæ Henricum Probum: quem vrbs cupidè recepit, & ab omnibus ordinibus Princeps renunciatus est. Sed anno proximo post Principes Poloni, qui fastidiebant imperium Germanicum, subornarunt Vladislaum Masouiæ Principem, quem postea à breuitate staturæ, Locticum, id est, cubitalem dixerunt: eumq; auxilijs iuuerunt, vt Henricum excuteret.

Vladislaus Locticus profligat Principes Sileſios.

Decumbebat iam tunc Henricus, tamen, cum viderentur hæc pertinere ad iniuriam totius Silesiæ, impetrauit copias à cognatis Principibus. Fuerunt igitur in exercitu illo Henricus Lignicensis, Primislaus Dux Sprottensis & Saganensis, filius Conradi Glogouiensis, & Boleslaus Opolienſis. Pugnatum est 26. Februarij anno 1290. non procul à Cracouia: ibi cum Silesij superarentur multitudine, & cecidisset in acie fortissimè dimicans Primislaus Sprottensis adolescens, Poloni victoriam obtinuerunt, sed multo sanguine suorum emtam.

Vladis-

Vladislaus victor, sicut fides cadit cum fortuna, Cracouia potitus est: sed eandem paulò pòst recepit. Henricus opera ciuium sibi fidelium: & Vladislaus habitu Monachi euasit. Hinc est, quod veteres annales Henrico Probo tribuunt nomen Regis Poloniæ: sed tamen ea dignitate non diu potuit frui. Nam dum Henricus Lignicensis Cracouiæ Rempub: constituit, interea 22. Augusti, domi moritur Henricus Probus. Scribunt illi esse subministratum venenum: ego credo eum ex lenta tabe decessisse.

Henricus Probus decedit.

Henricus moriens sine liberis, testamento, vt creditum est, hæredem scripserat Conradum Glogouiensem patruum, sed Vratislauienses accersebant Henricum Lignicensem, cui erant æquiores. Illo ingrediente vrbem & tenente arma, Conradus fremens domum profectus est. Ducatum Cracouiensem Probus assignauerat Primislao Posnanienſi.

Henrici Probi testamentum præbet causam tumultibus belicis.

Penè defessus sum in recitanda laniena nostrorum Principum, & tamen adhuc restant deteriora. Cogitent verò assentatores Pontificij, vbi hæc enormia exempla perfidiæ & scelerum legunt, an rectè declamitent, nostram hanc primam ætatem propter doctrinam repurgatam esse efferatam.

Poloniæ fuit conditio tunc misera, quæ subinde excursionibus Scythicis, Moschouiticis, & Lithuanicis exercebatur: neq; habebat Principem, cuius ea esset authoritas, vt aut domi pacem tueretur, aut foris hosti sese opponeret. Cracouienses appetebant Primislaum Posnanienſem: sed Venceslaus Bohemiæ Rex inuitatus à vidua Lesci, & adiutus à Marchionibus Brandeburgensibus, magnam partem Poloniæ minoris occupauit: & iam tunc cœpit vsurpare titulum Regni Poloniæ.

Polonicæ Reipub. status miserabilis.

Venceslaus Bohemus inuadit regnum Poloniæ.

Anno 1291. Conradus Glogouiensis mouit bellum aduersus Henricum Quintum Lignicensem propter occupatam Vratislauiam: & quidem pleraq; oppida Henrici afflixit & vastauit. Habebat Henricus fratrem Boleslaum Suidnicensem Principem vafrum & cupidum pecuniæ: is, cum vterq; Princeps frater & Conradus amicitiam & opem eius exposcerent, callidè decepit vtrumq;. Accepit primum à fratre dono oppida Iaurauiam & Strigouium, nec tamen misit auxilia. Clam etiam fœdere coniunxit sese cum Conrado Glogouiense, neque tamen illum etiam iuuit.

Conradus Glogouiensis oppugnat Henricum Quintum Vratislauiensem.

Boleslaus Suidnicenses crescit ex fratre.

Non multo post Henricus, vt vberiori bolo expleret cupiditatem fratris, donauit illi oppida Francostcinum, Reichenbachium, & Strelam. Boleslaus tamen non mutauit ingenium suum. Conradus vero Glogouiensis, cum bellum illi non satis prosperè procederet, ad dolos conuersus est.

Anno 1293. conflatum est periculum Henrico ex propria aula. Aulicus enim quidam carus Principi, de cuius patre Henricus propter cædem iniustam, quamuis inuitus, supplicium sumserat,

Conradi Glogouiensis crudeliter in reos.

Principem suum ex insidijs in balneo flumentano Vratislauiæ captum, & prope nudum abductum, Conrado Glogouiensi tradidit die 9. Octobris, qui nouo genere crudelitatis in ipsum sæuijt.

Inclusit enim ipsum in caueam ferream, cuius ea erat angustia, vt nec stare, nec sedere, nec iacere etiam exporrectus posset: ea duo solum habebat orificia, alterum pro cibo admittendo, alterum pro egerendis excrementis, in qua nepotem per spacium semestre & amplius cruciauit: ita vt ex illuuie totus vermibus & vlceribus scateret. Liberauit sese tandem durissimis conditionibus. Nam Conrado exoluit aureorum triginta millia, & magnam partem Ducatus Vratislauiensis illi cessit, Namslauiam, Bernstadiam, Olsnam, Creuzbergam, Bicinam, Cunstadiam, Rosenbergam, & præterea Boleslauiam & Hannouiam cum suis agris. Squallore tamen carceris morbum contraxit, ex quo non diu fuit superstes Henricus.

Cunegundæ mores & fabellæ de ipsa.

Mortua est hisce annis in monasterio, quod viuente marito Boleslao pudico fuerat ingressa Cunegundis: de cuius miraculis miras texunt historias sacrifici Poloni: & vt extet testimonium impudentiæ, audent comminisci, eam octoginta homines mortuos resuscitasse.

Polonia denuo creat regem.

Anno 1295. nobilitas Poloniæ maioris inijt consilium creandi regis, ex longo interuallo. Igitur, cum infœlix regnum satis diuturnas pœnas iræ sacerdotum propter necem Stanislai dedisset, post annum ducentesimum decimum quintum impositum est diadema Regium Primislao Duci Posnanienſi: Etsi magnam partem Poloniæ iam tenebat Venceslaus Bohemus. Videbatur Primislaus futurus vtilis Rex: Sed proximo anno post, octauo mense Regni, Die S. Dorotheæ, cum agitaret orgia Bacchi, ex improuiso oppressus est à Marchionibus Brandeburgensibus, cum quibus diu inimicitias, propter fines exercuerat, & qui potius fauebant Venceslao, tanquam Regi veriori.

Primislaus Poloniæ rex trucidatur.

Primislaus Poloniæ Rex iugulat coniugem suam.

Primislaus, cum sæpe compellatus sese non dederet, obtruncatus est. Existimatur pœnas dedisse propter parcidium. Nam priorem coniugem, fœminam præstantem, quod esset infœcunda, manibus ancillarum in gynecæo strangulauerat. Marchiones vsi victoria, magnam partem agrorum limitaneorum, vbi nunc est Marchia noua, Polonis detraxerunt.

Henrici Quinti Vratislauiensis mors & liberi.

Eodem anno mortuus est Henricus Lignicensis: reliquit tres filios, Boleslaum, Henricum & Vladislaum: tutorem illis emit fratrem Boleslaum data illi arce Zottenberga. In Polonia, interfecto Rege Primislao, quidam detulerunt regnum ad Vladislaum Locticum, qui, etsi fuit ambitiosus, tamen, cum Venceslaus Bohemiæ Rex magnam partem Poloniæ obtineret, titulo Regio abstinuit, & nominauit sese dominum & hæredem Poloniæ.

Vladislaus Locticus aspirat ad regnum Poloniæ.

BOLESLAVS SVVIDNICENSIS
tutor filiorum Henrici Quinti Vratislauiensis.

NIsi Conradi iam senis moderatio motus sedasset, rursus Silesia fuisset implicata ciuili bello. Nam Boleslaus minabatur bellum Conrado, quòd fratri Henrico defuncto multa oppida per vim extorsisset. Conradus, qui consenuerat, & videbat Silesiæ imminere bellum ex Polonia, transegit cum Boleslao, illicq; Boleslauiam & Hannouiam reddidit: Boleslauiense territorium sibi retinuit: Et, sicut fuit studiosus in muniendis vrbibus, excitauit in eo arcem munitam Clizdorffiam. Ita Boleslauia adiuncta est ditioni Iaurauiensi. Hannouiam attribuit suis pupillis, & in agro illo condidit arcem Cuzenam.

Conradus Glogouiensis reconciliator.

Eodem anno Vladislaus Locticus, qui valde oderat Silesiam, quod à Principibus Silesiæ fuisset excussus ex Ducatu Cracouiensi: & quia ipsi, iocantes in ipsius ambitionem, nominabant eum regulum, subita incursione regionem ad Viadrum, præsertim Vratislauiensem, acerbè vastauit. Iste vafer & superbus Pygmæus, præcipuè fax fuit dissidij, inter Silesiam & Poloniam: & Poloniam: & eius præcipue scelere, & crudelitate factum est, quod gens nostra abalienata à Polonia, præsidia Bohemica, & regni illius societatem appetiuit.

Vladislaus Locticus fax dissidij inter Polonos & Silesios.

Boleslaus etiam iniquus fuit in vrbem Vratislauiensem, quæ non semper consilijs callidis Principis assentiebatur. Scriptum est, eum mœnia vrbis depressisse, sed tamen etiam ille motus cito sedatus est.

Anno 1298. decessit Conradus Glogouiensis in vltima senecta. Nam conijcere possum, eum egressum fuisse annum ætatis septuagesimum. Viuens distribuerat filijs possessiones. Nam Primislaus, qui in pugna Polonica cecidit, fuit Dominus Sprottæ & Sagani. In vrbem Saganensem collocauit monachos euocatos ex oppido Naumburgo, cuius monasterij fundator fuerat Henricus Barbatus, proauus Primislai. Reliqui duo superstites fuerunt patri, ex quibus Henricus fuit Dominus Glogouiæ, Conradus autem Stinauiæ & vicinorum oppidorum in ripa Viadri, qui cum esset gibbosus, & ad negotia politica ineptus, asscriptus collegio Vratislauiensi, sacerdos Primarius, qui præpositus nominatur, renunciatus est, vulgus eum appellauit Hertzog Köberlein.

Conradi Secundi Glogouiensis exitus.

Multum frequentia hominum & opibus ditio Glogouiensis sub hoc Conrado creuit: & cum Poloni iam his Principibus essent iniqui, ipsi propositis immunitatibus passim inuitarunt in hæc loca Germanos nobiles & ciues. Ideo multi ex nobilitate, originem suarum familiarum ex media Germania huc translatam agnoscunt.

Silesiæ nobilitas huc migrauit ex Germaniæ Prouincijs.

Vetustissimæ quidem familiæ nobiles, ferme huc ex illis regionibus, quæ parebant patri S. Heduigis, commigrarunt: sicut audiui, virum nobilem, doctrina egregia, virtute & dignitate præstantem, D. Ioachimum à Berg, Inuictissimi Cæsaris Maximiliani Consiliarium, recitare: sese in profectione sua, qua plurimarum gentium regiones, studia & mores inspexit: insignia familiæ suæ, (quæ in Ducatu Glogouiensi domicilium habet) & cognatam stirpem in Comitatu Tirolensi & in Stiria reperisse. Magnam deinde nobilitatem huc inuitauit ex Saxonia Mechtildis Saxoniæ Ducis filia Henrici coniunx.

Ioachimus à Berg Imperialis Consiliarius.

Fuit Conradus Princeps in suos quidem beneficus, verum asperior & tenax offensionum. In Polonia Vladislaum Locticum, propter iniustam vastationem Silesiæ, & alia scelera, furiæ vltrices persecutæ sunt. Venit in odium apud omnes ordines: & tota Polonia sese Venceslao Bohemiæ Regi subiecit: qui duxit Elizabetam, Primislai Regis filiam, & cum ea adeptus est Poloniam maiorem & Pomeraniam.

Vladislaus Locticus exulat.

Locticus vero toto regno pulsus, errauit hinc inde, penè vt Telephus in Tragœdia. Coronam regni Venceslaus accepit anno 1300. quo anno nundinas anni Iubilæi Bonifacius Octauus Romæ indixit. Venceslaus in Poloniæ præfecturas collocauit Bohemos & Germanos, quod ægrè tulerunt Poloni. Regnante hoc Rege scribitur in Polonia cœpisse vsus monetæ argenteæ, importatis grossis qui tunc recens cudebantur in Bohemia: prius enim aut permutatione rerum fiebant contractus, aut vtebantur rudibus massis argenteis.

Monetæ argenteæ usus cœpit in Polonia.

PRINCIPES GLOGOVI.

ENSES.

Conradus Secundus Glogouiensis mortuus anno 1298. — Salome filia Ducis Posnaniensis.

Primislaus Princeps Sprottensis, interfectus anno 1290.

Henricus Tertius Fidelis, Princeps Glogouiæ.

Conradus Tertius Stinauiensis, præpositus Vratislauiensis, vixit cœlebs.

PRINCIPES SVIDNICEN-

SES.

Boleslaus Suidnicensis, Filius Boleslai Calui Lignicensis, mortuus anno 1301. Sepultus in monasterio Grissensi, cuius fuit fundator.

Bernhar-

Bernhardus Suidnicensis. Henricus Laurensis. Boleslaus Monsterbergensis.

BOleslaus Suidnicensis pater, fuit Princeps prudens & diues, primus onera militaria in nobilitatem distribuit pro facultate possessionum, cum prius omnes viritim militarent. Cum conspiceret Regem Bohemiæ appetere Silesiam, munijt sese collecta pecunia, & excitatis multis munitionibus. Tunc enim Brega, Otmachania, & alia oppida fossis & aggeribus cincta sunt. Venceslaum etiam adducentem exercitum contra ipsum, ita terruit, vt subitò in Bohemiam regrederetur.

Boleslaus Suidnicensis primus, fuit sapiens Princeps.

Anno 1303. Conradus Stinauiensis, annitente fratre, renunciatus est Archiepiscopus Saltzburgensis, propter veterem memoriam stirpis, & Vladislaum patruum: Henricus frater eum illustri comitatu instructum dimisit, & ditionem eius ad sese traduxit. Sed ille bonus Silesius, vt erat ingenio simplici, cum Viennæ deficeret lagena suæ cereuisiæ Stinauiensis, flagitauit ibi aliam, & cum non inueniret, sciscitatus de Saltzburga, audiuit ibi nullum esse vsum cereuisiæ, sed hauriri generosa vina Italica, & varij generis: tùm ille non passus est sese auelli à suo dolio patrio, Sed aperte contestatus est, malle se Episcopatum, quam cereuisiam deserere, atq; ita in patriam ad potum cereuisiæ Stinauiensis remigrauit.

Conradi Stinauiensis simplicitas.

Henricus Glogouiensis offensus agresti facto fratris, eum tanquam hominem parum sanæ mentis, Glogouiæ inclusit in turrim arcis, quæ tunc erat in ea parte, vbi nunc est porta Nosocomij: vbi aliquamdiu asseruatus est. Tandem à nobilibus suis, ex agris Stinauiensi & Rudensi, qui eum diligebant propter placidos mores, ex arce ereptus est, & bona sua recuperauit. Nobilitatem illam ob fidem ornauit Priuilegijs & concessionibus egregijs: multos etiam ad luculentas opes euexit. Kobenam oppidulum nobili à Donau dono attribuit. Verum sequenti anno post ex morbo decessit. Atq; ita vnicus Dux vniuersi Ducatus Glogouiensis est relictus.

Conradus Stinauiensis ex carcere liberatur à sua nobilitate.

In Polonia noui motus exorti sunt, mortuo Rege Venceslao 1306. Loctícus armatus latronibus Hungaricis & rusticis, inuasit Poloniam minorem: eum, cum anno sequenti repressurus esset Venceslaus iunior Bohemiæ Rex, in itinere Olomuzij ex insidijs miserabiliter interfectus est. Extinctis hoc modo regibus, ordines in Polonia maiori accersiuerunt Henricum Glogouiensem, qui potitus est tota ea regione: vnde multi ab eo tempore appellarunt eum Regem Poloniæ. Sed ex vetustis monumentis apparet, titulum ipsius fuisse huiusmodi: Henricus D. G. hæres Poloniæ, Dux Silesiæ, Dominus Glogouiæ & Posnaniæ. Tanta enim fuit opinio de ipsius virtute, vt plurimi, qui oderant vitia Loctici, illi se subijcerent, præsertim Episcopi.

Henricus Tertius Glogouiensis uocatur ad regnũ Poloniæ.

In annalibus Polonicis extat memorabilis vox. Inquit enim scriptor, beatum fuisse futurum Regnum Poloniæ, si diadema regni fuisset impositum nepotibus S. Heduigis. Proculdubio enim coniunctio Silesiæ cum Polonia vtriqúe fuisset salutaris, non minus quam terræ Lithuanicæ accessio: quæ alioqui, præsertim si fuisset concordia inter Reges Polonicos, & ordinem in Prussia, non potuisset diu robur harum gentium sustinere. Sed nos etiam, quod in Comœdia dicitur, taceamus & feramus quod est fatale.

Glogouiensis ditionis uastatio.

Loctícus irritatus studio nobilitatis in Polonia maiori erga Henricum, tota æstate anni 1306. agrum ciuium Glogouiensium miserabiliter vastauit: & cum Henricus præcipua loca munijsset præsidijs, nec hosti pugnandi copiam faceret, bellum in miseram turbam agrestium, & in tecta redundauit. Manst tamen Polonia maior in fide Henrici, ad triennium, Sed anno proximo ante mortem Principis, sacerdotes cœperunt odisse Henricum, & cum ab Vladislao Loctico plura sperarent, ad illum se inflectebant.

Henricus Tertius Glogouiensis moritur.

Henricus misit cum exercitu ad pacandam Poloniam Iohannem Biberstcinium, qui tamen non bene rem gessit. Interea cum etiam rursus ciuile bellum sibi videret imminere Henricus, & mœror morbum, ex quo tunc decumbebat, augeret, 9. Decembris 1309. extinctus est, Princeps iustus & in disciplina sancienda constans.

Mechtildis Henrici Tertij Glogouiensis coniunx fœmina sapiens.

Habet laudem, quod itinera omnia in Ducatu suo optimè pacauerit, & latrocinia, quibus tunc Silesia plena erat, acerrimè eradicauerit. Ideo nobilitati Polonicæ, quæ amabat licentiam, minus fuit carus. Sepultus est in monasterio Leubensi. Habuit coniugem Mechtildem filiam Alberti Ducis Brunsuicensis piam & beneficam mulierem, quæ multa oppida noua condidit, in eáque ciues Germanicos collocauit. Sepulta est Glogouiæ in templo collegij sacerdotum.

PRINCIPES GLOGOVIENSES.

Henricus Tertius dictus fidelis, filius Conradi.

Vxor Mechtildis filia Alberti Brunsuicensis.

Henricus Princeps Saganensis.

Conradus Olsnicensis.

Iohannes Stinonienſis & Gurensis.

Primislaus Glogouiensis.

Mortuo

MOrtuo Henrico, etiam maiori Polonia potitus est Vladislaus Locticus, & nomen regium, etiam non assentientibus Principibus Silesiæ, qui tamen illius regni erant membra & hæredes, vsurpauit. Deinde, cum Locticus esset infensissimus Germanis, secuta sunt ea vulnera abalienationis, quæ nunquam potuerunt sanari. Cracouiæ Locticus asperrimè sæuijt in Silesios, & ciuitati etiam iura sua, quæ olim à Principibus Polonis acceperant, ademit: quamuis deinde patrum nostrorum memoria, laudatissimus Rex Sigismundus, quædam in meliorem ordinem, reuocatis antiquis moribus, redegit.

Vladislaus Locticus potitur regno Poloniæ.

Implicauit etiam Poloniam bello Prutenico, quod deinde multis seculis non potuit restingui: ita cum esset in eo πολυπεραγμοσύνη, sæuitia, & imbecillitas virium, multa infœlici cum successu mouit. In Silesia tunc vbiq; erant Principes adolescentes, & rerum imperiti, nec erat aliquis excellens consilio & animo, qui rebus ruentibus potuisset mederi. Nunc autem, dum inter se tanquam Cadmæi fratres dimicant, exhausti viribus & robore, tandem in alterius peruenerunt potestatem. Initium dissidiorum ortum est à Boleslao Lignicense hoc modo.

Vladislaus Locticus abalienauit Silesios à Polonia.

PRINCIPES VRATISLAVIENSES & Lignicenses.

Henricus Quintus Obesus Princeps Vratislauiensis & Lignicensis.

Henricus Sextus Vratislauiensis.	Vladislaus amens Lignicensis.	Boleslaus Brigensis & Lignicensis.

EXtincto Henrico Quinto Vratislauiense, mortuo etiam Boleslao Suidnicense, patruo & tutore ipsorum, Boleslaus vocatus est in aulam Regiam Venceslai, qui ipsi desponderat filiam Margaritam: Mansit apud socerum dum vixit. Interea tutorio nomine Ducatum Vratislauiensem administrauit Episcopus Henricus, homo prodigus & negligens, qui magnam pecuniam pupillis dissipauit.

Reuertitur ex Bohemia Boleslaus, iuuenis animi ferocis, turbidi & incogitantis: is vt extorqueret aliquid ab Henrico Glogouiense, & deinde à filijs, turbatis veteribus pactis, intulit bellum Ducibus Glogouiensibus, quod etsi tu multuaria manu, hinc inde vario euentu gestum est: tamen exitus fuit fœlicior Boleslao, & aliquid emunxit à cognatis Principibus Glogouiensibus: Sed cum intolerabili prodigalitate donaret, consumeret & distraheret sua, breui magnæ opes, collectæ à suo patre, dilapsæ sunt. Tulerunt hoc indigne fratres adolescentes, ideo rem eò deduxerunt, vt fieret hæreditatis paternæ diuisio.

Boleslaus Brigensis Princeps prodigus & turbulentus.

Consti-

Vladislaus amens Princeps Lignicensis.

Constitutæ sunt tres partes: Prima fuit Ducatus Vratislauiensis: Secunda Lignicensis: Tertia Brigensis. Inita vero est hæc ratio, vt Dux Vratislauiensis Bregensi, cuius territorium erat minoris præcij, numeraret aureorum octodecim millia: Lignicensis vero triginta duo millia. Boleslaus cupidus pecuniæ, & instructus ad fraudem, sponte Brigensem Ducatum elegit. Henricus Vratislauiensis, ope suorum, fratri pecuniæ summam quam promiserat numerauit. Vladislaus Lignicensis, qui & natura erat cerebri parum sani, & iam destinatus fuit ad sacra, cum esset inops, fratri Boleslao hypothecæ nomine pro debito mediam partem Lignicij concessit. Sed non diu inter ipsos fuit concordia.

Boleslaus fratri erat grauis, ideo vt is quoquo modo amoueret eum, & ad aliquas conditiones adigeret, adiunxit sibi latrocinia, & ditionem fratris sui Boleslai vastabat. Sed homo miser captus & in carcerem coniectus est, & tandem, nisi mallet perire, coactus est iniquam facere sponsionem. Renunciauit Lignitio, & accepit singulis annis à fratre pro victu aureos quingentos, sed ista pacta, metu extorta, non fuerunt diuturna.

Rursus prædabatur Vladislaus in ditione Bregensi: & cum incautus oberraret, interceptus est, & in tetrum carcerem annum integrum inclusus: vbi plane in maniam incidit, neque vnquam rectè resipuit. Nam etiam cum à fratre dimissus esset, inops & amens in regione vagabatur, & pascebatur vt plurimum ruri à pastoribus. Tandem secessit in Masouiam, & fecit nuptias cum muliere anu, filia Ducis Masouiæ, quæ nonnihil dotis habebat, ibique vixit, donec post reditum probè iniurias suas in fratre vltus est, vt postea dicemus.

Fames horribilis in Silesia.

Eodem tempore, anno 1315. & proxime sequentibus, pene inaudita fuit fames in Polonia & Silesia, adeo vt, sicut historici consentientes testantur, ventum sit ad humanas carnes, & quod terribile auditu est, parentes cadauera liberorum, liberi parentum, prærabie inediæ lacerarunt & vorarunt.

Silesiæ calamitates ingentes.

Non credo, in vllis historijs inueniri exemplum simile, præterquam in obsidionibus accidisse, vbi humanæ carnes laniatæ sunt: ideo commonefacti istis tam horribilibus spectaculis cogitemus de ira Dei, cuius magnitudo in eam tristibus pœnis conspicitur. Hanc inediam, vt par est, atrox pestilentia excepit, quæ magnam partem hominum absumsit. Ita, cum simul in hac nostra patria fames, pestis & bellum grassarentur, facile inire rationem possumus, vtrum hæc nostra ætas sola sit calamitosa.

Henricus Septimus Cæsar tollitur veneno.

Anno 1319. Florentiæ Henricus Septimus Cæsar, pater Iohannis Bohemiæ Regis veneno necatus est, quod Monachus pani consecrato in sancta Cœna illeniisse scribitur: sicut memoria patrum, eodem modo perijsse Romæ Hadrianum VI. Pontificem, sunt qui constanter affirmant.

Eodem

Eodem anno Boleslaus auctus viribus ex acceſſione Ligni-
cij, mouit bellum in Conradum Olſnizenſem, qui tenebat ea oppi-
da, quæ olim auus ipſius Conradus Henrico Quinto Boleslai pa-
tri ademerat: Et Conradus fuit impar Boleslao, ideo ad tantam *Boleslai Bri-*
inopiam redactus eſt, vt etiam veſtimenta diſtraheret & venderet. *genſis furo-*
Ipſe Boleslaus miſertus egeſtatis ipſius, reliquis oppidis ad ſeſe tra- *res.*
ductis, reliquit Conrado Volauiam. Non potuit ea rapina exple-
re lacunas veſani Principis.

Adeo enim paulò pòſt decoxit, vt Hannouiam & Goltber-
gam ciuibus Vratislauienſibus, (iam enim diteſcebat Vratislauia)
oppignoraret, agrum vero Nuncenſem hypothecæ nomine trade-
ret Bernhardo Suidnicenſi, à quo accepit ludæum prædiuitem,
comprehenſum in itinere: eum coëgit Boleslaus exoluere octies
mille aureorum. Recitat hiſtoria, eam fuiſſe Principis huius leui-
tatem, vt liberos ſuos etiam, obſides Vratislauienſibus pro pecunia
daret.

SILESIA REDACTA IN FORMAM Prouinciæ Regni Bohemiæ.

CErtarunt inter ſeſe multis ſeculis duæ gentes, ex eadem ſtirpe *Sileſiorum &*
Heneta ortæ, Bohemica & Polonica: inter quæ bella Sileſia, *Polonorum di-*
quæ fuit Regni Poloniæ Prouincia, & in primo limite ſita, grauiter *ſtractiones &*
fuit afflicta, & magnas vices mutationum ſuſtinuit. *earum origo.*

Pacata eſt virtute & autoritate Friderici Barbaroſſæ, & di-
ſtributa inter filios Vladislai, & tamen regno Poloniæ adhuc
adhæſit, quamuis illorum Principum, qui ſeſe gerebant pro
Ethnarchis, exigua fuit autoritas: Subinde tamen voluntates di-
ſtractæ ſunt. Quia Poloni oderunt filios & nepotes Vladislai: &
deinde ægrè ferebant coniunctionem Principum Sileſiorum cum
Germanis, quos iudicabant inſidiari ſuæ libertati: & qui tanquam
noui coloni accerſiti ex Germania, paſſim regionem complebant.

Ita igitur creuerunt odia, vt non ſolum hos Principes, quibus
ſucceſſio debebatur in regno Poloniæ, iniquè præterirent, ſed eti-
am nobilitas, his Principibus, qui tamen Regni erant præcipua
membra, non aſſentientibus, ex autoritate epiſcoporum, qui pro-
fecto regnum hoc, ſicut alia multa, euerterunt, priuato arbitrio
crearent Reges, & Principes Sileſios ex ditionibus, quas in Polonia
tenebant, deturbarent.

Rebus & animis hoc modo exulceratis, ſuperuenit Iohannes *Iohannes Lu-*
Luceburgenſis, Henrici Septimi imperatoris filius, Bohemiæ Rex, *ceburgenſis*
Princeps humanus quidem & beneficus, ſed callidus & ingenij pla- *Rex Bohemiæ*
ne Gallici. Is, vt viſguis in vlcere, odia inter gentes auxit, & Sileſios *Sileſiam in ſu-*
Principes paulatim ad ſeſe prece, pretio, & minis traduxit. Aſperna- *am traducit*
batur Locticus Sileſios, & omnibus Germanis paſſim erat iniquiſ- *poteſtatem.*
ſimus.

Princi-

Principes Silesij rursus eum contemnebant, & per ludibrium Regem Cracouiensem nominabant: neque tamen inter ipsos Principes erat consensus, nec ea potentia, vt suis viribus sese possent tueri. Eam occasionem Iohannes Rex non neglexit: sed cum Principes Silesiæ superioris, iam à Venceslao vsque, parerent Bohemiæ, & ipse etiam adhuc sese pro Rege Poloniæ gereret, anno 1322. iniit rationem, qua reliquos Principes etiam expugnaret.

Emit à Boleslao Monsterbergensi ditionem Glocensem, vt eam tanquam escam, famelicis Principibus obijceret. Non multo post scelere Boleslai Lignicensis, Iohannes Rex consecutus est, quod voluit. Is oppressus ære alieno, & egens, cum non inueniret amplius vnde raperet, incipit vexare Henricum Sextum fratrem, Ducem Vratislauiensem, Principem placidum & imbellem: Postulauit ab eo, vt secum faceret commutationem, & relicta Vratislauia migraret Lignicium. Hoc cum recusaret Henricus, Boleslaus immisit ipsi vndique latrones, qui ditionem eius deprædabantur: & Consiliarios Henrici, qui ipsi aduersabantur, in ipsa vrbe Vratislauiensi capiebat & trucidabat.

Henricus Sextus Vratislauiensis motus scelere fratris coniungit se cum Bohemis.

Hac iniuria motus Henricus, cœpit cogitare de præsidio, & primum quidem deliberatum est de accersendo Loctico: sed in illo parum fuit auxilij: Ciuitas Vratislauiensis, quæ iam frequentia ciuium & opibus florebat, hortata est Principem, vt sese Regi Bohemiæ subijceret: non solum, quod is genere esset Germanus, verum etiam, quod natus esset patre Cæsare, eoque viro valde laudato: & talia ipse de sese daret documenta, vt videretur futurus vtilis Princeps, & protector miseræ Silesiæ.

Vicit hoc Consilium in aula, & missa legatione vocatur Rex Iohannes, is petijt, vt Henricus, qui nullos habebat liberos masculos, sese hæredem scriberet: & vt persuaderet facilius, promisit Rex, se ditionem Glocensem Henrico ad tempora vitæ daturum. His itaq; conditionibus transactum est, & magna lætitia ciuitatum, imperium Regi promissum.

Iohannes Rex Bohemiæ ornauit ciuitates.

Nec vero ingratus fuit Iohannes Rex erga ciuitates, vt falso eum criminantur annales Polonici: sed & tunc vrbem Vratislauiensem multis beneficijs, iudiciorum & aliarum immunitatum concessione ornauit, & deinde reliquas etiam vrbes auxit & texit benefice: Fuit hoc anno 1327.

Constituto hoc ordine in Ducatu Vratislauiensi, Rex etiam animum ad cæteros Principes Silesiæ adiecit: quos, etsi potentia ipsius magna erat, persuasione non vero armis mouere volebat, & expetebant eum ingenti cum desiderio ferme ciuitates omnes, ipsaq; Glogouia, quæ à Germanis habitabatur, qui amabant disciplinam, & detestabantur ἀναρχίαν illarum Rerumpublicarum. Tenebat

Glogo-

Glogouiam Primislaus Henrici filius, Princeps adolescens quidem, sed animo & robore virili. Is nulla potuit ratione adduci, vt sese Bohemo subijceret.

Etsi enim ex Polonia excussus erat, nec tenebat in Polonia maiori, nisi exiguam appendicem, videlicet agrum Fraustadiensem & Costensem: tamen, ne videretur abijcere spem adipiscendi regni, noluit sese à Polonis segregare, sed, vt apparet ex veteribus monumentis, ipse etiam se dominum & hæredem regni Poloniæ scribebat.

Verum Primislaus circa annum Domini 1331. iuuenis extinctus est veneno, vt aiunt Poloni, aut rapida febri, vt consentaneum est. Interea Iohannes Rex laborabat, vt in suam potestatem etiam Boleslaum Lignicensem redigeret, qui, vt homo turbulentus, valde repugnabat. Redemit Rex à ciuibus Vratislauiensibus Hannouiam & Goltbergam: eaq; oppida traditurus fuisset Boleslao, si se passus fuisset flecti, sed sæpe hoc accidit, quod olim dictum est, Τὸ αὐτῶς τέχναισιν ἀλώσεται ὥσπερ ἔσπηρξεν. Inuentus est tandem laqueus, in quo hæsit.

Venit ex Masouia Vladislaus Lignicensis frater Boleslai, qui dotem suæ aniculæ prodegerat: is, prolatis monumentis, Iohanni Regi ius suum in ditione Lignicensi demonstrat, & de insidijs & iniquitate fratris conqueritur. Offert etiam Regi, se ius suum illi venditurum. Rex receptis literis mittit ad Boleslaum, illiq; rem omnem nunciat, & monet, nisi sese obedientiæ regni Bohemiæ permittat, fore vt toto Ducatu excidat. *Boleslaus Brigensis subijcit se Iohanni Regi Bohemiæ.*

Boleslaus, cum amplius tergiuersari non posset, in fidem Bohemiæ sese dedidit anno 1331. simul etiam Regi occasio data est, qua sibi Glogouiam adiunxit. Primislao mortuo sine hæredibus, & cadauere delato in monasterium Leubense, succedebant tres fratres superstites. Conrado Olsnicensi à Iohanne data est Stinania. Ipse Iohannes retinuit Guram, & mediam partem Glogouiæ adeptus est, Alteram Henricus Saganensis accepit. *Glogouia uenit in potestatem Iohannis Regis Bohemiæ.*

Iohannes Regi partem suam Glogouiæ vendidit: qui putabat se hac ratione Henricum ad subiectionem perducturum. Sed cum Henricus ex quadam inutili superbia reluctaretur, Rex cum exercitu ad Glogouiam accessit, & in pagum Creideluisium, qui duobus miliaribus ab vrbe abest, ciues euocauit, & postulauit, vt in vrbem admitteretur. Disputatum fuit aliquamdiu, sed cum Rex denunciasset ipsis, vt facerent finem ambigendi, iam enim vexillum suum in arce erectum volitare, vrbem ingressus est, eamq; Henrico pulso totam in suam redegit potestatem.

Fuit hoc anno 1333. & præfectus vrbi à rege datus est Baro Bohemicus Heinemannus Dubensis. Henricus Saganensis reuersus domum, non multo post mortuus est mœrore animi & in monasterio Saganensi sepultus.

Manſit Glogouia ſub imperio Regum Bohemiæ annos plures viginti, quo tempore tamen ſubinde turbis bellicis fuit impetita, vt paulò pòſt referemus.

IOHANNES PRIMVS BOHEMIÆ Rex, Princeps Sileſiæ, Dominus Vratislauiæ & Glogouiæ.

NOn ſolum cupiditate proferendi Imperij mouebatur Iohannes Rex, vt Bohemiæ adijceret Sileſiam, ſed etiam ideo, vt hac detracta facilius reprimi poſſet Locticus, qui potitus regno Poloniæ, crudeles & Scythicas in vicinis oris Germaniæ faciebat vaſtationes. Nam cum ſecum traheret agmen latronum, Hungaricorum & Lithuanorum, adortus eſt Marchiam Brandeburgenſem, in qua breui ſpacio temporis exuſſit ſupra 140. pagos & vicos: & tanta fuit barbarorum immanitas, vt nulli ſexui aut ordini parcerent.

Vladislai Loctici crudelitas.

Exemplum continentiæ in uirgine ſacra.

Narratur memorabile exemplum continentiæ & prudentiæ de virgine ſacra in Marchia. Irruperant in Cœnobium virginum milites barbari, ſæuientes in corpora virginum, libidine & crudelitate. Virgo autem quædam florens ætate & pietate, amanſq; inprimis pudicitiæ, latronem, qui ipſam erat oppreſſurus per vim, amice affata eſt: Age, inquit, mi homo, antequam violor, audi quid ſim prolocutura. Video te motum forma mea vitæ meæ velle parcere, ego igitur, vt tibi grata ſim, artem quandam maximi certè pretij te docebo, qua aduerſus omnes ictus & quaſcunq; ferri iniurias poteris eſſe tutus: & ne in animo tuo vlla ſuſpicio vel dubitatio reſideat, iubeo vt in meis ceruicibus periculum artis huius facias. Munio igitur me hac incantatione, quam poſtea tibi patefaciam, tu quantum potes collum meum gladio ferito: Paruit barbarus, ignarus puellaris inuenti, & virgini genibus inſidenti, & tacita voce Spiritum ſuum Filio Dei commendanti, ceruices vno ictu præcidit.

Ita egregia virgo morte pudicitiam ſuam redemit, & vera fide, intuente Filium Dei, ferrum & mortem verè ſuperauit. Accidit hoc anno 1326. Dicuntur ſupra ſex millia hominum in ſeruitutem à barbaris latronibus abducta eſſe.

Vladislaus Locticus incipit oppugnare Crucigeros.

Poſtquam Loctico ſucceſſit deprædatio, afflixit deinde ordinem Prutenicum, qui domita & pacata Pruſſia ante paucos annos, tunc adhuc dies & noctes erat in excubijs pro ipſa Polonia, contra incurſiones Lithuanorum & vicinorum populorum, qui adhuc erant idolatræ, & nunquam quieſcebant.

Iohannes Rex, cum in Sileſia tranſegiſſet cum Henrico Vratislauienſe, vocatus in auxilium ab ordine Prutenico, duxit exercitum

citum in Prussiam. Nusquam autem sese ostendente Loctico, late Poloniam vastauit: multa loca Masouiæ in potestatem Ordinis redegit: & cum titulum regis Poloniæ vsurparet, autoritate sua ordini agros, quos ab ipso postulabat Locticus, confirmauit. Exempla monumentorum illorum recitat Dugloſſus. Principem etiam Masouiæ coëgit, vt in verba sua iuraret: accidit hoc anno 1328. Sed cum Iohannes regressus esset in Bohemiam, Locticus rursus acciuit Hungaros & Lithuanos, atq; cum magno exercitu, in quo promiscuè gentes erant Christianæ & idolatricæ, aduersus Ordinem profectus est.

Vladislaus Locticus profligat Cruciferos.

Etsi vero nobilitas Germanica, mota rei indignitate, militatum magno numero in Prussiam proficiscebatur: tamen illud agmen, collatum ad copias hostiles, exiguum erat. Vigesimo septimo Septembris igitur, anno 1331. proditione cuiusdam ductoris Polonici, quem antea Cruciferi ad sese receperant, & euexerant, Germani cæsi sunt.

Recens scriptor Polonicus, de cuius consilio & labore ego non volo pronunciare, etsi ipse non parcat alijs, & vicissim ipse plerisque ex suis popularibus & ciuibus displiceat, affingit Loctico ante prælium concionem, ad suos milites, plane Punicam: in ea totam gentem Germanicam iniuste & atrociter criminatur, exprobrat ipsi immanitatem, plusquam Turcicam, profanitatem & contemtum religionis: Credo, vt eloquentiam suam in deformando nomine Germanico ostenderet: sicut apud Alexandrum Callisthenes in vituperandis Macedonibus: & vt indulgeret suo dolori & iræ, propter idola & scelera sui gregis ab hominibus Germanis monstrata.

Annales Polonici nimis cõtemtim loquũtur de Germania.

Sed, sicut vbiq; laudem habet modestia: ita præcipuè ea decet historiam, quæ debet esse vera & verecunda narratio rerum, quæ acciderunt, condita sale candido, non scurrilitate Momi. Addunt scriptores Poloni aliqui, ex Germanis cecidisse 40000. ex suis vix triginta: quæ ipsa etiam vanitas digna est reprehensione. Optandum est, ne vnquam vel Poloni Germanos, vel Germani Polonos vincant, sed vt omnium Christianorum arma consocientur in communem hostem.

Scribitur post illam pugnam euenisse festiuus iocus. Obequitabat postridie in loco prælij Rex, vt stragem hostium inspiceret, & vidit quendam ex sua nobilitate grauiter vulneratum corpore supino iacere, qui, cum abdomine discisso intestina ipsi effluerent, ventrem vtraq; vola comprimebat, rex motus hoc spectaculo, ad comites suos inquit, proculdubio miser iste homo graues experitur cruciatus. Ille attollens oculos, dixit: Imò optime rex grauiores cruciatus sunt illius, qui in eodem pago cogitur tolerare importunum vicinum, sicut mihi accidit. Rex delectatur sermone viri, Quiescas, inquit, si Deus tibi vitam largitus fuerit, faciam vt liber

Iocus prolatus à nobili Polono lætaliter uulnerato.

sis ab eo cruciatu: & cum ex mandato Regis sanatus esset, etiam vicinus ipsius amotus est, & pagus vniuersus vna cum alijs ornamentis ipsi ex liberalitate Regia donatus.

Victoria ea nihil vsus est Locticus, quia & Ordo rursus vires suas colligebat, & ab altera parte à Bohemis illi bellum conflatum est. Iohannes enim Rex, qui tunc erat Vratislauiæ, cognita clade ordinis, subito duplici agmine Poloniam adortus est: quorum alterum ex Glogouia progressum, oram Poloniæ maioris ad Posnaniam depopulatum est: Alterum autem exercitum ipse Rex ad Cracouiam duxit: verum ex inopia comeatus, domum non multo post redijt.

Inuenio tamen autores, qui affirmant, Locticum retractum ex Prussia, data pecunia Iohannem Regem placasse.

Anno 1333. Cum ordo Prutenicus confirmatis viribus grauiter afflixisset Poloniam maiorem, & Locticus serius educens exercitum, tandem inducias cum illis pactus esset, idem Locticus contra fidem datam Regi Iohanni, effudit iram suam in Silesios, & deprædatus est oram vicinam ripæ Viadri, quæ tunc erat in potestate Principum Glogouiensium, Iohannis Stinauiensis & Henrici Saganensis.

Vladislaus Loctícus denuo inuadit Silesiam.

Ridiculum est verò, quod narrant, tunc plures quam quinquaginta munitiones peruenisse in potestatem Loctici: cum ne quidem tota Silesia tot munita loca tum haberet, multo minus ille exiguus ager Costensis & Fraustadiensis: & quidem ipsum oppidum Fraustadium, quod proximum illis erat, adhuc in fide Principis Glogouiensis mansit. Sed Costenum, quod Silesijs hactenus paruerat, amissum est. Eodem tamen anno perijt Cracouiæ Locticus, quem Iohannes Rex & tota Silesia nominabat Regem Cracouiæ.

Costensis ditio occupatur à Vladislao Loctico.

Anno 1335. delecti sunt arbitri ab vtraq; parte, à Rege Casimiro Polono, Loctici filio, & Cruciferis, Carolus Hungariæ Rex, & Iohannes Rex Bohemiæ, qui pro sua autoritate pronunciarent: sed illa pacta deinde turbarunt nobiles Poloni. Tunc etiam Iohannes Rex Casimiro de suo iure in regno Poloniæ cessit. Casimirus verò renunciauit Silesiæ, & exoluit Iohanni Regi, sicut testatur Aeneas Syluus, 20000 libras argenti.

Interea in Silesia Boleslaus Lignicensis, cum strenuè egeret, amisit coniugem suam, filiam Regis Bohemiæ, & hoc anno duxit mulierem Cracouiensem, aut vt quidem annales & fortassis rectius habent, Croattam benè dotatam. Ea pecunia redemit Brigam & Olauiam: filijs autem Venceslao & Ludouico cessit de ditione Lignicensi, vt de ea ipsi sibi consulerent. Ordines in gratiam Principum iuniorum ipsi æs alienum persoluerunt, ibiq; viuente patre simul habitarunt.

Lignicenses exoluerunt es alienum sui Principis.

Anno

Anno 1337. deceſſit Henricus Sextus Vratislauienſis, & habuit hæredem Regem Bohemiæ, qui ſtatim pòſt venit Vratislauiam ſabbato, qui præcedit Dominicum diem, quem Eccleſia nominat Palmarum, iuratum eſt in verba ipſius magna ordinum lætitia. Eo tempore ortum eſt certamen inter Epiſcopum & regem tali de cauſa.

Henricus Sextus Vratislauienſis moriens relinquit ſuam ditionem Bohemiæ Regi.

Erat Epiſcopus Vratislauienſis Nancerus, translatus eò ex Epiſcopatu Cracouienſi. Nam cum acerbius litigaſſet cum Rege Loctico, Rex iratus pugno faciem eius cecîdit, & profugere eum coêgit. Venit Vratislauiam, cum alij de Epiſcopatu ſeptennium Romæ diſceptaſſent. Fuit autem iniquus regi Iohanni, & ipſi appetenti imperium Sileſiæ, qua poterat ratione, aduerſabatur. Poſtulabat Iohannes arcem quandam in vltimis Poloniæ finibus, Mieleſiam, vt haberet munitionem ad arcendos Polonos. Eam regi, promittenti etiam liberalem compenſationem Epiſcopus non tradidit: Rex tamen præfectum arcis ſacerdotem induxit, vt eam dederet.

Nanceri Epiſcopi importunitas.

Tulit hoc indignè Epiſcopus, & ſubinde maximè importunis flagitationibus arcem repoſcebat: & cum non impetraret quod vellet, fremens viam, qua animū ſuum expleret, iniuit, & ingreſſus ad Regem, qui tunc erat in monaſterio S. Iacobi, eum diris coram omnibus audientibus acerbiſſimè deuouit. Rex beneficus & mitis, etſi videret ſeſe iniquè contemni, tamen nihil aſperius ſtatuit in furioſum Epiſcopum, ſed repreſſit ſeſe ac inquit: Quam temerarius eſt iſte ſacerdos, quærit qui ipſum occidat, ego tamen ſanguinem eius non fundam.

Iohannis Regis patientia erga Nanceerum.

Egredientem Nancerum à rege pro foribus conclauis conuenit Senatus Vratislauienſis, illi amicè affati Epiſcopum, dixerunt: rectius ipſum facturum fuiſſe, ſi mitius cum rege egiſſet, neque ita ſæuiſſet. Ille feruens & furens ira, at ego inquit, vos etiam tanquam conſceleratos diris deuoueo, neque veſtrum regulum, qui regio nomine dignus non eſt, metuo.

Fuit iſto conuitio magis irritatus Rex, quam bruto fulmine: & cum de eo cum Epiſcopo expoſtularet, reſponſum eſt illi, indignum eum eſſe titulo regis, qui in regno ſuo nullum habeat Archiepiſcopum. Rex, ne ab homine maledico prouocaretur ad ſæuitiam, iuſſit eum cum ſuo Sacerdotio ex vrbe emigrare. Iuſſerat Epiſcopus claudere omnia templa vrbis, ſenatus autem Vratislauienſis ea patefaciebat, & erant ſacerdotes humiliores, qui rem diuinam faciebant.

Interea Rex diligenter laborabat de concordia cum Epiſcopo, qui erat Niſſæ, & petebat, vt edictum tyrannicum aboleret: ſed cum ab homine pertinaci & ſuperbo nihil æqui impetraret, ipſe bona Epiſcopi & Sacerdotum rebellium occupauit, eoſq; ſolum vertere iuſſit, mandauit etiam omnibus Principibus Sileſiæ, vt idem

Iohannes Rex eijcit Epiſcopum cum ſua factione.

facerent in suis ditionibus. Paruit Regi valde obedienter Boleslaus Brigensis, quem bona Ecclesiastica in illa sua egestate aliquantum recrearunt. Spoliabat enim sacerdotes, eorumque prædia & bona rapiebat, vbicunque ipsi occasio dabatur.

Etsi autem Pontifex Romanis annitentibus Polonis censuram Nanceri confirmauit, & Iohanni denegauit absolutionem, tamen Vratislauienses illam tyrannidem fermè quadriennium æquo animo patiebantur, & interea bonis sacerdotum fruebantur.

Nancerus moritur in exilio.

Tandem anno 1341. Nancerus Regi nondum reconciliatus mortuus est in exilio. Valde hunc prædicant annales Poloni scripti à sacerdotibus, & narrantur indicia præcipuæ ipsius pietatis, quod singulis diebus solitus sit plures audire missas, & quotannis Sacerdotibus secundarijs, quos Vicarios nominant, munera Cracouiam mittere. Ego de ipsius zelo non disputo, qui quomodo congruat ad normam monstratam in concionibus Christi & Apostolorum, facile piæ mentes iudicabunt.

Extincto Nancero, qui fuit fax dissidij in Silesia, verus imitator Pontificum Romanorum, Pretislaus Roma missus est ad Episcopatum Vratislauiensem: is cum Carolo Marchione Morauiæ filio Iohannis redijt in gratiam: sacerdotibus exigua quædam facta est restitutio, & tamen, vt illis expleretur animus, magistratus Vratislauiensis in monasterio S. Adalberti supplex ab Episcopo nudatis capitibus & pedibus veniam petiuit. Carolus promisit Ecclesiæ benignitatem & defensionem.

Vratislauia reconciliatur Episcopo.

Boleslaus Brigensis moritur.

Anno 1342. decessit Boleslaus Brigensis: Cœperat ægrotare in ferijs Paschalibus, cum post fastidia ieiunij quadragesimalis in vna mensa tredecim pullos gallinaceos edisset, & varia genera potuum ad nauseam vsque infudisset. Angebatur autem ante mortem, quod nondum absolutionem ab Episcopo impetrasset, &, vt nominabant, interdicti relaxationem: Magno tamen labore filiorum, missi sunt duo Canonici Vratislauienses Brigam de nocte, qui iubente Episcopo absolutionem illi nunciarunt, nec multo post Princeps lætus illo beneficio animam exhalauit. Cadauer sepultum est in monasterio Leubensi.

Anno 1340. aut proxime sequenti Carolus ex mandato patris bellum fecit Boleslao Duci Monsterbergensi: qui, sicut etiam Princeps Suidnicensis, adhuc non insertus erat regno Bohemiæ: Cum Bernhardo Suidnicensi nupta esset filia Regis Loctici. Obsedit hoc anno Carolus Francosteinum, quod tunc erat mediocriter munitum: In ea obsidione accidit exemplum dignum memoria.

Boleslai Monsterbergensis egregia beneficentia.

Strenuè suam vrbem defendebat Boleslaus, & quodam die subita facta eruptione, plures nobiles Bohemos & Morauos, in castris Caroli oppressos, in vrbem captiuos abduxerat. Carolus non ignarus naturæ Boleslai, in Castra vocauit coniuges nobilium

capti-

captiuorum, fœminas nobilitate & forma præstantes, & instructo conuiuio magnifico Boleslaum ex vrbe ad prandium inuitauit. Gessit Boleslaus morem Carolo Principi generoso & benefico: Peracto prandio fœminæ nobiles, cum prius blanditijs & singulari comitate animum Principis emollijssent, & exhilarassent, precatæ sunt, vt ipsis maritos captos, nobili beneficentia restitueret, ibi tanta fuit virtus Boleslai, vt euestigio sine pretio captiuos ex vrbe accersitos coniugibus ipsorum donaret: & simul spectantibus Principibus in mutuos amplexus & salutationes ruerunt.

Scribitur autem, Boleslaum, si captiuos vendere & mulctare voluisset, tantam potuisse emungere pecuniam, vt ea etiam pretium sui Ducatus fuisset superatura. Carolus motus virtute Boleslai, pacem cum eo fecit æquis conditionibus. Nam Boleslaus professus est, sese socium Regni Bohemiæ, & muneris loco à Carolo accepit ditionem Glocensem, quæ morte Henrici Vratislauiensis ad Regem redierat, ad tempora vitæ suæ vtendam & fruendam.

Boleslai Monsterbergensis urbanitas & pietas.

Fuit alioqui Boleslaus Princeps facetus, amans vrbanitatis & iocorum, sed tamen nec profanus, nec indoctus. In morbo, cum vicinam mortem præsagiret, vera fide ad Filium Dei conuersus, clara voce hoc canticum valde pium, quod sonare solet Ecclesia, cecinit: Tribularer, si nescirem misericordias tuas Domine, tu dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat: qui Cananæum & Publicanum vocasti ad pœnitentiam, & Petrum lacrymantem suscepisti, misericors Domine. Edita hac pia confessione suorum peccatorum, & viuifica consolatione, lætus ex hac vita migrauit.

Hæc exempla non solum ostendunt, tunc fuisse virtutem laudatam in nostris hominibus, sed etiam monstrant, qualis in multis pijs pectoribus fulserit lux veræ conuersionis & fidei: etsi in publico ministerio fuit ingens chaos caliginis & superstitionum, perinde sicut Simeon, dominantibus in populo Dei Pharisæis & Sadducæis, tamen in amplexu Christi lætam expectat decessionem.

Frauſtadia occupatur à Rege Poloniæ.

Anno 1343. Casimirus Poloniæ Rex contra pacta subito inuasit Henricum Saganensem, qui adhuc tenebat territorium Frauſtadiense: Oppidum Frauſtadia interceptum est, antequam de suo periculo docere posset Regem Iohannem Henricus. Præferebat Casimirus, illum agrum olim à Polonia maiori fuisse auulsum, cum tamen ea vrbs à Silesijs condita sit, & totus ager hodie etiam ab hominibus Germanis habitetur.

Occupata Frauſtadia progressus est ad Stinauiam, ibi cum aliquamdiu esset grassatus, Principes, Henricus Saganensis, Iohannes Gurensis, & Conradus Olsnicensis ad Regem in castra venerunt, & metu maioris mali, cessione territorij Frauſtadiensis pacem obtinue-

tinuerunt. Oppidanis, interuenientibus Principibus, conſeruatæ ſunt immunitates, & inter alias ius cudendæ monetæ, quod ex beneficio Principum Glogouienſium acceperant.

Eodem anno tranſegit Caſimirus cum Cruciferis, confectis ſuper ea re inſtrumentis obſignatis ſigillo regio & ordinum, nec tamen eam tranſactionem diu ſeruauit Polonia. Anno 1345. Iohannes rex vlturus iniuſtum bellum Caſimiri contra Sileſios: Inuaſit cum exercitu Poloniam, etſi ipſe erat ſenex, & iam alterum oculum amiſerat. Progreſſus eſt ad Cracouiam vſq; ſed inopia comeatus in Sileſiam rediit. Extremum agmen ipſius in reditu à Polonis cladem paſſum eſt, & cum longius euagarentur Poloni, præſertim Maſouij, à Conrado Olſnicenſi magna ſtrage cæſi & fugati ſunt.

PRINCIPES SVIDNICENSES.

Bernhardus Suidnicenſis, cui nupta fuit filia Loctici.

Henricus Iaurenſis vxor Agnes filia Regis Venceslai Bohemici, non reliquit prolem.

Boleslaus Suidnicenſis, & poſt mortem fratris etiam Iaurenſis: Vxor ipſius fuit Agnes filia Leopoldi Ducis Auſtriæ, quæ fuit domina ducatus vſq; ad annum 1392.

Henricus Secundus Iaurenſis nullum reliquit poſt ſe filium.

Anna nupta Carolo Quarto Cæſari.

BELLVM SVIDNICENSE.

IOhannes Rex reuerſus ab expeditione Polonica, cum & infœlicitas belli & ſenecta eum facerent acerbiorem, iraſci cœpit Principi Suidnicenſi, qui nondum agnoſcebat Regem Bohemiæ: parebat tunc vterq; Ducatus Boleslao Suidnicenſi Henrico Iaurenſe iam mortuo. Rex obſedit Suidniciam, quia autem non erat magna ſpes victoriæ, & alienus etiam erat à ſæuitia Iohannes, & tamen iurauerat, ſe muros Suidniciæ manu contacturum, attigit portam vrbis, & exercitum reduxit. Cepit deinde Landishutam & properauit in Bohemiam ad bellum Gallicum, eam vrbem paulò pòſt recuperauit Boleslaus, cum in vrbem immiſiſſet currus fœni, in quibus latebant armati: quod Stratagema hac ætate in bellis Italicis imitati ſunt Hiſpani.

Suidnicia obſidetur à Iohanne Rege.

Iohannis Regis interitus.

Anno 1346. in bello Gallico contra Anglos interfectus eſt Iohannes Rex, qui etſi orbatus erat vtroq; lumine & admodum ſenex, tamen adduxerat auxilia Regi Gallico Philippo affini, aduerſus Eduardum Anglicum Regem. Cecidit vigeſimo ſeptimo Auguſti, quo die etiam occiſus eſt Ottocarus, Bohemiæ Rex.

Is igitur

Is igitur à Bohemis tanquam nefastus habetur, quod duos Reges iugulauerit, etsi hac ætate biduo post eiusdem mensis, etiam tertius Rex Ludouicus occubuit. Regnauit Iohannes annos triginta quinque. *Dies nefasti Regibus Bohemiæ.*

CAROLVS QVARTVS IMPERATOR, Rex Bohemiæ, Princeps Silesiæ, Dominus Vratislauiæ & Glogouiæ.

PRINCIPES LIGNICENSES.

Boleslaus Brigensis.
Catharina Cracouiensis vel Illyrica secunda vxor, quæ non peperit.

Venceslaus Lignicensis vxor filia Ducis Theschinensis.

Ludouicus Brigensis & Lubensis, coniunx filia Henrici Glogouiensis.

RVrsus orta sunt dissidia inter fratres Principes Lignicenses, de quibus breuissimè quædam recitabimus, neque enim delectare possunt lectorem istæ μυομαχίαι. Catharina vidua Boleslai Brigensis nomine dotis suæ Brigam & Olauiam retinebat: duo fratres autem simul habitabant Lignicij, sed culpa aulicorum, sicut vbiq; solent esse tales furiæ, creuerunt inter illos odia.

Diuiserunt igitur patrimonium: Ludouico cessit ager Lignicensis, in quo tunc recens erant inuentæ venæ auri vberes: Venceslao fuit attributa Goltperga, Hannouia & Lubena: Sed Venceslaus vir callidus & pleonecticus iniit consilia, vt fratrem Lignicio excuteret, cum videret ex venis metallicis fratri singulis fermè septimanis centum quinquaginta libras auri accedere. *Lignicensis ager habuit uenas auri.*

Iuit igitur ad Carolum, qui tunc adhuc Bohemiam nomine patris gubernabat, & illi sua oppida pro certo precio obtulit: Ludouico, qui iam susceperat filios ex cõiuge sua, grauis erat illa iactura: persuasus inter illas curas à consiliarijs, qui erant corrupti largitionibus, cedit fratri etiam Lignicio, ipse contentus fuit vnica arce & annuo stipendio quadringentorum aureorum, sed inita fuerunt talia pacta, & obsignata ab ordinibus ditionis: Siquidem Venceslaus sine heredibus decederet, vt totus Ducatus integer perueniret ad fratrem Ludouicum, aut filios ipsius, sin verò relinqueret filios, Ludouicus quidem superstes Ducatum totum, quoad viueret, obtineret, post mortem autem suam, filij vtriusq; fratris ex æquo Ducatum partirentur.

Post hanc transactionem & migrationem Ludouici Principis boni & iusti, Venceslaus, qui antea simulauerat morbum, conualuit,

ualuit,& imitatus exemplum patris inutili sumtu sua profundebat, oppida etiam passim, nolente & prohibente fratre, oppignorabat. Ludouicus Lubenam redemit sua pecunia, ibiq; habitauit. Interea nati sunt etiam Venceslao filij ex muliere Teschinensi, illis volebat relinquere vniuersam hæreditatem, excluso fratre Ludouico & filijs ipsius. Hinc igitur nouæ natæ sunt lites, & ordines Ducatus grauiter sunt aduersati Venceslao, propter hanc perfidiam, & ipsi fratres subinde inter se dimicabant excursionibus.

Decessit autem postea Catharina nouerca, & putabatur inuenta esse ratio dirimendi fratres. Venceslaus, vt crearet fratri nouum periculum, partem suam in oppidis, relictis à nouerca, vendidit Boleslao vltimo Suidnicensi, qui fretus sua potentia & fauore Caroli Cæsaris, cum quo non multo ante transegerat, valde Ludouicum vexauit. Carolus tamen misertus Ludouici Bregam & Hannouiam ipsi attribuit. Venceslaus verò, cum sua prodegisset, & venæ metallicæ exaruissent, in magna inopia mortuus est.

Carolus Quartus Imperator ingreditur Vratislauiam.

Carolus Quartus Cæsar ingressus est Vratislauiam regia pompa 1348. 7. Nouembris: tanti autem tunc fuerunt spiritus Episcopi Prætislai, & sui Collegij, vt Cæsari vix ad portas vsque Cœmiterij sui templi obuiam prodirent. Initæ sunt rationes, quibus ad officium adduceretur Boleslaus Suidnicensis: & primum, vt incuteretur ipsi terror, Carolus à Nicolao Principe Monsterbergensi filio Boleslai emit Francosteinum, vt ex vicina munitione agro Suidnicensi subinde possent inferri damna.

Carolus Cæsar ducit Annam Iaurensem.

Tandem verò hæ lites matrimonio sunt diremptæ. Nam cum Boleslaus educaret Annam filiam Henrici fratris sui mortui, ea Carolo Cæsari post mortem secundæ coniugis, quæ fuit filia Regis Galliæ Blanca vidua, est desponsata, & dotis nomine vterque ducatus, Suidnicensis & Iaurensis, Cæsari promissus. Boleslaus Suidnicensis decessit anno 1368. Vxor Agnes filia Leopoldi Ducis Austriæ Ducatum obtinuit ad tempora vitæ suæ, mortua est 1392.

Agnes domina Suidnicensis & Iaurensis.

Nicolaus Monsterbergensis adeptus viaticum inuisit Palestinam & Hierosolymam: rediens domum decessit in Hungaria, reliquit duos filios: Henricum & Boleslaum, qui cum & ipsi sine sobole mascula morerentur, hæredes habuerunt Reges Bohemiæ. Boleslaus qui vltimo loco superstes mansit, mirabili casu interijt.

Boleslai Secundi Monsterbergensis miserabilis interitus.

In arce enim quæ à conditore Boleslao nomen accepit Bolckenhanum, à morione quem ad rabiosam iram prouocauerat iactu lateris occisus est, & in monasterio Grissensi sepultus. Sapientes tunc iudicarunt omen hoc significare dignitatis Silesiæ ruinam & interitum. Sed hæc postea acciderunt.

PRIN-

PRINCIPES GLOGOVIENSES.

HENRICVS QVARTVS Saganensis, post mortem Primislai fratris etiam Glogouiensis, pulsus à Iohanne Rege, vxor Mechtildis filia Marchionis Brandeburgensis.

HENRICVS QVINTVS ferreus Saganensis, postea ex beneficio Caroli Cæsaris Glogouiensis, qui fuit in Coronatione Cæsaris, & profectus est Hierosolymam.

GLogouiam obtinebat Bohemiæ Rex, eamque per suum capitaneum gubernabat. Sagani dominabatur Henricus Quintus ferreus. Fuit vir magno animo præditus, qui subinde tumultuarijs excursionibus Glogouiam à Rege repetiuit. Impetrauit tandem à Carolo, quod postulabat, anno 1360. vt postea dicemus.

Anno 1349. & proximè sequenti horribilis pestilentia non solum Poloniam & Silesiam, verum magnam partem orbis cogniti peruagata est. Descripta est ea à viro diserto Iohanne Boccatio lingua Italica. Recitantur symptomata terribilia, non dissimilia illis, quæ acciderunt in pestilentia Attica, quæ grassata est secundo anno belli Peloponnesiaci, & descripta est ab Hipocrate, vt à medico eruditissime, deinde à Thucydide. *Pestilentia uniuersalis.*

Fuerunt autem in ista, signa putredinis & corruptionis in aëre horribilis. In Italia & alibi iacebant homines subito extincti in vijs publicis, quorum halitu cum afflarentur animalia domestica, repente cum indicijs & symptomatibus veneni extincta sunt. Narrant aliqui, fuisse tunc communem opinionem, tertiam partem generis humani ea lue fuisse consumtam: & obseruatum est, continua propagatione venenum ex oriente ad occidentem vsque esse perlatum.

Nostrorum vero hominum ea fuit rusticitas, vt crederent à Iudæis puteos & fontes venenis esse infectos, & tales morbos excitatos, ideo crudelibus modis vbique in miseram turbam Iudæorum, nulla habita, nec sexus, nec ætatis ratione sæuitum est, neque tamen scelere & tyrannide ira Dei potuit restingui. Vagata est etiam eo tempore per Europam colluuies quædam hominum, qui nudata corpora publicè cædebant flagris, & simul cum illa hypocritica pœnitentia circumferebant dogmata pernicioſa, turpitudines vitæ, multas libidinum confusiones & alias, perinde sicut olim Pepusiani, Carpocrates, Marcion, & recens Anabaptistæ, sed seueritate Principum isti etiam cito pulsi sunt. *Flagelliferorum Secta.*

Carolus

Carolus Imperator, extincto Gunthero Suartzburgensi, quem aliqui trahebant ad Imperium, solus rerum potitus est anno 1350. & statim sese conuertit ad augendam potentiam, & ornamenta sui regni. Regnum quidem Bohemiæ, & præcipuè vrbem Pragam, vbi & Academiam celebrem instituit, ad eam euexit dignitatem & ornatum, vt ruinæ adhuc sint admirationi: & Aeneas Syluius, qui vidit Pragam florentem, scribit eam nec minorem, nec ignobiliorem esse Hetrusca Florentia.

Carolus Cæsar exornauit Bohemiam & Vratislauiam.

Dilexit etiam imprimis Vratislauiam, quæ patri & ipsi semper fuit fida, ornauit eam ædificijs & immunitatibus amplis. Bis ex interuallo non longo Vratislauia tunc conflagrauerat, ideo Carolus anno 1353. quasi nouam structuram vrbis exorsus est. Produxit ambitum ciuitatis in alteram ripam Olauiæ fluuij, longo spacio, extruxit insigne templum S. Dorotheæ sacrum, & ciuitatem in hunc ordinem & spacia destinxit, ita vt nulli ex vrbibus Germaniæ aut splendore aut amœnitate cedat.

Vratislauia fuit cara Carolo Cæsari.

Quia etiam sacerdotes Collegij iam tunc ciuitatem oderant, eiusq; crescentem potentiam verebantur, eamq; omnibus modis impedire conabantur, ideo Carolus non solum ciuitati fuit præsidio, sed etiam legatos senatus Vratislauiensis anno 1355. cum Romam ad coronationem proficisceretur, vnà secum duxit, vt coram Pontifice fieret transactio. Sed Pontifex Carolo, nec in hac re, nec in alijs tunc morem gessit. Reuersus ex Italia, ciuitati Vratislauiensi commendauit ius & magistratum præfecturæ Ducatus Vratislauiensis.

Carolus Cæsar misit literas familiares ad Senatum Vratislauiensem.

Tanta nimirum tunc fuit opinio fidei & virtutis in Cæsare erga vrbem, eamq; ita amauit, vt adhuc hodiè monstrentur literæ scriptæ manu Cæsaris Caroli ad senatum Vratislauiensem, vbi petit, nunciari sibi ecquid adhuc ipsi cum suis valeant, & addit, se valde de ipsis esse sollicitum. Credo autem tempore pestilentiæ illa esse scripta.

Vere igitur Carolus fuit pater nostræ patriæ, & in illa maiestate Imperij ciuitates & magistratus vrbium, qui tamen tunc erant humiliores, non modo non est aspernatus, sed vrbes tanquam præcipuos neruos regnorum suorum texit, amplificauit legibus, ædificijs & immunitatibus ornauit. Pacauit etiam Glogouiam Carolus, & quamuis armatus esset summa potentia, tamen Henricum Saganensem in gratiam recepit, ipsiq; partem Glogouiæ quam pater Iohannes patri Henrici ademerat restituit: & inuenio, ipsum Cæsarem hoc anno Glogouiam accepisse, & vrbem in duas æquales partes esse partitum, ita vt vnam partem, nempe Aquilonarem, sibi & regno Bohemiæ retineret, alteram assignaret Henrico, qui habitabat Sagani.

Carolus Cæsar Rempub. Glogouiæ constituit.

Duplex igitur fuit gubernatio ab hoc tempore in vrbe Glogouiensi, & duplex magistratus siue senatus. Neque Glogouia ad

vnum

vnum dominum redijt, nisi 120. anno post. Ipso etiam imperante inuenio linguam Germanicam fuisse excultam, eamq; vsurpari cœpisse in scribendis literis & monumentis publicis, cum antea solius latinæ linguæ in talibus scriptionibus esset vsus.

Cessantibus igitur dissidijs,& lanienis Principum,conquieuit hæc regio, & creuit numero hominum, & cultura,adeò,vt Casimirus Poloniæ Rex Loctici filius, inuitatus illo successu & industria Germanorum in Silesia, ipse etiam multos colonos Germanos in Prouincias Poloniæ, Russiam & alias collocaret, qui multa bona oppida extruxerunt, & Rex passus est ipsos iure Teutonico vti: & Cracouiæ etiam tribunal Teutonicum erexit. *Carolo Cæsare imperante floruit Silesia.*

Gratam igitur memoriam Caroli retineamus, qui non dissimilis Cyro vel Augusto, & alijs sapientibus & florentibus Monarchis, nostram hanc regionem paterno amore complexus est, & optimarum rerum ornamentis eam donauit, vt verè fuerit exemplum aurei illius dicti: Bonus Princeps nihil differt à bono patre.

Anno 1353. in his regionibus inopinata tempestas accidit. Nam cum menses verni ad ipsum vsque medium Maij laudabili cœli constitutione segetes, & res natas ex terra optime produxissent, Sabbato, qui præcessit diem Pentecostes, præter expectationem, hybernum gelu ortum est,illudq; nix alta duos cubitos secuta, quæ cum ad sextum vsque diem agros oppleret,& omnes ex interitu frugum pernicioſam timerent sterilitatem & famem,niue eliquata, ita grato humore frumenta sunt rigata,vt vberrima messis sequeretur. *Hyems intempestiua.*

Anno 1362. Anna coniunx Caroli Cæsaris,filia Henrici Iaurensis, peperit Norimbergæ Venceslaum, qui secundo anno post, opera patris Cæsaris, electus est Rex Romanorum: & datur Carolo vitio, quod plus dilexerit Bohemicum regnum,quàm imperium Romanum, à quo multa largitionibus alienauit. *Carolo Cæsare nascitur filius Venceslaus ex Anna Iaurensi.*

PRINCIPES LIGNICENSES.

Venceslaus Lignicensis,vxor fœmina Theschinensis.

Ludouicus Brigensis, vxor filia Henrici Glogouiensis.

Rupertus Princeps Lignicensis.

Boleslaus iuuenis in ludis equestribus perijt.

Venceslaus Episcopus Libusianus deinde Vratislauiensis.

Henricus Decanus Vratislauiensis & deinde Episcop⁹ Vladislauiẽsis.

Henricus dictus Stigmatias Brigensis & tãdem Lignicẽsis.

VEnceslaus Lignicensis moriens reliquit quatuor filios, constituit illis tutorem fratrem suum Ludouicum Brigensem, is nihil memor iniuriarum fratris, optime præfuit patrimonio nepotum, & cum Ducatus oneratus esset ære alieno grauissimo, industria Ludouici illud magna ex parte est exolutum, & Principibus Ducatus conseruatus. Statim post puerperium decessit Regina Anna Silesia coniunx Caroli. Cæsar accessit ad quartas nuptias, & duxit Elizabetam neptem Casimiri Regis Poloniæ ex sorore. Conciliauit hoc matrimonium legatus Pontificius, vt hoc modo impediretur bellum, quod Carolus Cæsar illaturus erat Ludouico Hungariæ Regi, qui natus erat ex sorore Casimiri, & in regno Poloniæ designatus successor. Nuptiæ fuerunt Cracouiæ tempore Bacchanaliorum anno 1363. Aderant ibi præter Casimirum & Carolum, Reges, Hungariæ, Daniæ, & Cypri, & Principes magno numero. Præcipuus fuit splendor cuiusdam Germani Vernici, qui erat Consul Cracouiensis, & thesaurarius Regis: 15. Reges domum suam ad epulas inuitauerat. post magnificum conuiuium distribuit munera Regia inter Reges & Principes, & suo Regi Casimiro dicitur donasse ad centum millia aureorum, ita enim reperio annotatum: & addunt quidam, consulem illum primum accubitum assignasse Casimiro suo Regi, secundum Imperatori, quod an fuerit ciuile non intelligo. Dos fuit centum millia aureorum. Ictum est fœdus inter Reges, quod tamen non fuit diuturnum.

Anna Laurensis coniunx Caroli mortitur.

Carolus Cæsar facit nuptias Cracouiæ.

Regum congressus Cracouiæ.

Nam anno 1369. Ludouicus denuò sibi coniunxit Casimirum & adortus est Carolum bello, quod tamen mors Casimiri non multo post interrupit. Memorabile est, quod eodem anno scribitur, venas argenti Bythonienses, quæ prius fuerunt satis locupletes, subito euanuisse. Existimatum est, hanc fuisse pœnam crudelitatis, quod paulò ante oppidum illud concionatorem loci illius interfecerat.

Bythonienses uenæ euanuerunt.

Mortuus est Casimirus Rex Poloniæ anno 1370. Nonis Nouembris, & cum eo regnum in vetere stirpe Regum Poloniæ defecit. Fuit Rex amans pacis, qui Poloniæ insignem addidit culturam, erectis multis magnificis munitionibus & templis. Contaminabatur libidinibus & cum inter cæteras aleret concubinam Iudaicam Esther eius intercessione, Iudæis magnas immunitates in regno cessit. Successorem habuit Ludouicum Hungariæ Regem.

Casimirus Secundus, Rex Poloniæ moritur.

Casimirus Secundus euexit Iudæos.

Anno 1375. mortuus est Episcopus Pretislaus Vratislauiæ, vir excelsi spiritus, & industrius in augendis censibus sui Episcopatus. Emit vrbem & agrum Grotcensem à Principe Lignicensi, & multis alijs reditibus Episcopatum suum locupletauit, adeò vt is tunc passim nominaretur aureus. Sed cito hoc odoratus est accipiter Gregorius Vndecimus, is prohibuit fieri electionem alterius Episcopi, & per suum quæstorem coëgit collegium, pro bonis relictis à Pretislao sibi numerari triginta millia aureorum, & pro reditibus

Vratislauiensis Episcopatus nominatur aureus.

Vratislauiensis Episcopatus emungitur à Romano Pontifice.

ditibus Episcopatus, cui aliquot annos nullum dedit Episcopum, octies mille aureorum quotannis: ita euenit hoc quod dicitur: Sic vos non vobis nidificatis aues.

Anno 1378. mortuus est Carolus Quartus Imperator laudatissimus, qui sapientiam, virtutem, & sua regna imprimis amauit. Studia pietatis & doctrinarum ita dilexit, vt in recenti Academia Pragensi sæpe publicis disputationibus vsque ad multum diem soleret assidere, ibiq; sciscitari & audire doctorum sententias de varijs controuersijs: admonitus, vt in arcem ad prandium ascenderet, respondit, se magis isto dulci cibo animæ, quam vllis delicijs escarum delectari. *Caroli Quarti uirtutes & Mors.*

Similis fuit hæc pietas & discendi auiditas ardori Caroli Magni, & paucorum aliorum ex veteribus Regibus, qui & scholas egregia beneficentia erexerunt, & in illis exercitijs pietatis & doctrinarum, ipsi interfuerunt, sicut ea virtus his dulcibus versiculis prædicatur:

Huc Reges quoq; sæpe comeabant, Doctorum sapientia fruentes,
Hymnos inter & hos choros sonantes, Cum Tyronibus aureis in armis,
Ætas aurea Principum bonorum, Hæc exempla dabat sequenda plebi.

Autor est Carolus sanctionis illius augustæ de electione Rom. Cæsaris, quam vulgo nominant auream Bullam: ea cum complectatur neruos & fundamenta, quibus Imperium in nostra gente Germanica innititur, fatendum est, etiam de Imperio Romano, cuius autoritatem ante ipsius ætatem labefactarant, & penè euerterant ciuiles dissensiones, & seditiones, excitatæ artibus Pontificum Romanorum, eum optime esse meritum.

Reliquit Carolus superstites tres filios: Venceslaum Romanorum & Bohemiæ Regem: Iohannem, quem collocauit in Lusatiam, vbi non multo post perijt: & Sigismundum natum ex Elisabetha Polonica, quem Ludouicus Hungariæ & Poloniæ Rex, facta pace cum Carolo in suam aulam recepit adolescentulum, illiq; promisit nuptum filiam suam natu maiorem Mariam: Pater autem Carolus à Ludouico Romano, filio Ludouici Bauari, emit ipsi Marchiam Brandeburgensem. *Caroli Quarti Liberi.*

VENCESLAVS ROMANORVM & Bohemiæ Rex, Silesiæ Princeps.

NOndum excesserat annum decimum quintum ætatis Venceslaus, cum vocaretur ad gubernationem. Etsi autem vituperatur propter luxum & ignauiam: tamen apparet in illo fuisse naturam non malam. Quia acerrimè oderat scelera & imposturas impiorum sacerdotum, & fuit alienus à sæuitia, sed deprauarunt eum malorum consilia, & cum in ætate tenera careret gubernatore, & inspectore, assuefactus est ad desidiam & compotiones. *Venceslaus Cæsar fuit ignauus Princeps.*

PRINCIPES GLOGOVIENSES.

Henricus Quintus Ferreus Saganensis & Glogouiensis.

Henricus Sextus senior Saganensis.

Henricus Septimus Rapoldus Glogouiensis.

Henricus Octauus Passer Freistadiensis, & Sprottensis tandem Glogouiensis & Saganensis.

Henrici Ferrei Glogouiensis res gestæ & Mors.

HEnricus ferreus mortuus est anno 1369. Princeps magnanimus & fœlix. Fuit comitatus Carolum Romam ad coronationem, inde ex religiosa & laudanda consuetudine nostrorum maiorum profectus est in Palestinam, vt intueretur vestigia illa, vbi patefactiones cœlestes editæ sunt, & vbi Christus conspectus est.

Vixerunt simul Principes adolescentes ad annum vsq; Christi 1380. deinde facta est ditionis diuisio: Henrico Seniori datus est Ducatus Saganensis: Henricus Rapoldus, sic dictus à conditore stirpis paternæ S. Heduigis, quem Silesij appellarunt Rumpoldum, tenuit mediam partem Glogouiæ, & vicina oppida: Henricus, qui propter fœcunditatem dictus est Passer, habuit Freistadium & Sprottam.

Henrici Ferrei filij.

Veneeslaus Cæsar mulctat sacerdotes Vratislauienses.

Anno 1381. rursus in Syleſia ortum est bellum, seu sacrum seu Sacerdotale. Irascebatur Venceslaus Rex Collegio Vratislauiensi, quod nollet recipere in Episcopum quendam ex nobili familia dominorum de Duba, qui gratia apud Reges Bohemiæ valebant. Sed Collegium appetebat Venceslaum Lignicensem, qui tunc erat Episcopus Libusianus, & tamen reditus interea prædæ erant Romano Pontifici.

Inter eas dissensiones incidit περιαφλυὴ, quæ Regi præbuit occasionem castigandi sacerdotes, à quibus putabat se contemni. Nam hoc anno Rupertus Lignicensis fratri suo Henrico Decano Vratislauiensi, sub festa natalicia misit cereuisiam Suidnicensem, quæ tunc habebat laudem probitatis: Vector autem comprehensus ex mandato Senatus, qui alioqui totus addictus erat Regi, captus & in carcerem ductus est: quia hoc fiebat contra edictum ciuitatis, quod vetabat importari peregrinam cereuisiam.

Collegium in vrbem ob factum hoc iaculatur fulmen excommunicationis, iubet claudere templa, & cessare sacra. Senatus querelam ad Regem detulit, qui cum frustra apud Collegium laboraret de pacificatione, tandem vigesimo septimo Iunij ipse venit Vratislauiam cogniturus de causa. Rogauit vero Collegium, permitteret, quam diu ipse in vrbe esset, propter reuerentiam sui sacra publicè fieri. Hoc cum non impetraret, exarsit irâ Rex & Sacerdotes omnes iussit vrbe excedere. Abbatem in arena, qui responderat ipsi durius, in carcerem duci iussit. Transtulit deinde ad sese omnia Prædia, & bona Ecclesiasticorum.

Adducti

Adducti sunt Vratislauiam ingentes greges pecorum ex vilis sacerdotalibus,& tanta fuit vilitas,vt trecentæ oues tribus aureis vsitatis venderentur, bos vero aurei quadrante. Magna vero armenta abacta sunt in Bohemiam. *Pecorum mira uilitas.*

Anno sequenti placatus est Rex Venceslaus,cum illi permissum esset, vt nullam faceret restitutionem Collegio,tunc elatus est in Episcopum Venceslaus Lignicensis. Senatus autem Vratislauiensis ea conditione impetrauit veniam ab Episcopo,vt promitteret, semper post electionem noui Senatus, iuraturos se Episcopo, quod libertatem Ecclesiæ velint seruare. Ita Venceslaus Rex tandem vltus est iniurias aui sui Iohannis acceptas ab Episcopo. Neque tamen Venceslaus Episcopus etiam illo quinquennio, quo præfuit, fuit vtilis Oeconomus, sed opes reliquas inutili sumtu prodegit.

Eodem anno in Hungaria extinctus est Ludouicus Hungariæ & Poloniæ Rex, qui celebratur ob bonitatem & clementiam erga tenuiores.Narratur de eo,quod ætate patrum nostrorum fecit Dux Eberhardus Virtembergensis, quod sæpe dissimulato habitu immiscuit sese cœtibus inopum, & ab illis scisciatus est,ecquid præfecti sui & magistratus delinquerent. *Ludouicus Hungariæ & Poloniæ Rex, socer Sigismũdi Cæsaris.*

Poloniam non amauit. Nam & ab initio ornamenta regni secum asportauit in Hungariam, & plerumq; Regnum per matrem gubernauit : quia videbat tantam esse licentiam nobilitatis in ea gente, vt autoritas Regum esset exigua. Quare in illa neglectione regni valde oppressi sunt tenuiores, & populus grauissimis oneribus à præfectis regijs, qui penè sanguinem ipsorum exugebant, exhaustus. Fuit fœlix præliator. Nam & in Italia res magnas gessit contra Gallos in Regno Neapolitano. Annis aliquot ante mortem pretio & vectigalium imminutione impetrauit à Polonis, vt promitterent passuros sese, vt altera ex filiabus pro arbitrio patris apud ipsos regnaret. Paulò igitur ante mortem, accersitis ad se ordinibus Regni Poloniæ,in Hungariam,dedit illis Sigismundum Marchionem Brandeburgensem in Regem, & Senatus Polonicus è vestigio in verba ipsius iurauit.

Sigismundus à Socero iussu est proficisci in Poloniam,& regnum in possessionem accipere. Sed mortuo Ludouico Poloni iuramenti obliti inierunt consilia de pellendo Sigismundo, & creando nouo Rege. Offendebantur austeritate Sigismundi, qui videbatur futurus esse Rex Germanus, & postulaturus obedientiam à suis. Et multi,assueti rapinis sub Ludouico,maluissent nullum esse Regem,vt haberent impunitatem grassandi pro libidine. *Ludouicus Hungariæ & Poloniæ Rex Poloniæ Regnum tradit genero Sigismundo.*

Vt autem non deesset prætextus,instigata est socrus Sigismundi, mulier ambitiosa & curiosa, vt peteret à Polonis sibi permitti, vtram ex filiabus apud Polonos vellet regnare. Optimus igitur adolescens Sigismundus circumuentus istis difficultatibus & iniquitate aliquorum in Polonia,qui tamen iuramenti religione ipsi erant *Sigismundus excutitur ex Polonia.*

deuincti, volens regno cessit, ne ciuile bellum excitaret, etsi non deerant studia suarum partium apud honestiores in regno.

Hungariæ regnum turbatur à socru Sigismundi.

Rediens in Hungariam, & ibi res turbatas inuenit, culpa socrus, quæ curauerat Mariæ, absente marito Sigismundo, imponere diadema Regni Hungariæ, ita vt videretur futura Regina sine marito. Sed interea multi ex nobilitate Hungarica detestati mulierem audaciam, accersunt Carolum Neapolitanum nepotem Ludouici ex fratre, is Regnum Hungariæ vi & arte ad sese transtulit.

Maria Hungarica nubit Sigismundo.

Quamuis verò Maria, monente matre, propter metum Caroli fecit nuptias cum Sigismundo, tamen Sigismundus, qui nihil fidere poterat Hungaris, veniente Carolo cum exercitu, in Bohemiam profectus est. Sed idem Carolus insidijs Reginæ matris paulò pòst interfectus est, & ipsa Regina deinde ab alio Principe Hungarico, qui vlciscebatur necem Caroli, capta & in flumen proiecta est.

Poloniæ regnum turbatur electo Sigismundo.

Maria verò, quæ vna cum matre capta fuit, Sigismundo parenti bellum remissa est, qui tandem anno 1385. regnum Hungariæ adeptus est. Interea etiam Poloniam suæ persequebantur Erynnyes: Quassata enim est crudeliter ciuilibus rapinis & motibus. Studebant aliqui transferre regnum ad Semouitum Masouiæ Ducem, cuius eo tempore magna erat in Polonia potentia, eiusq; filia demum fuit mater Friderici Tertij Imperatoris: sed repugnabant multi, præsertim ordines ex Polonia minori. Inde orta sunt bella & vastationes Regni.

Henricus Rapoldus Glogouiensis profligat Polonos.

Silesij Duces iuuabant Semouitum, & Henricus Rapoldus Glogouiensis cum Iohanne Gurense vsus illa occasione conatus est occupare Fraustadiam, sed nullo cum successu, vastatis agris domum reuersi sunt. Non multo post Poloni, vlturi clades illas, collectis copijs subito inuaserunt ducatum Glogouiensem, sed ab Henrico Rapoldo profligati sunt, plurimiq; in vndis Viadri suffocati sunt. Regina Hungariæ coniunx Ludouici, paulò ante mortem expugnata importunis legationibus & denunciationibus Polonorum, tandem Heduigin filiam virginem misit in Poloniam, eiq; assignauit tutorem Sigismundum Marchionem: sed eum rursus repudiarunt Poloni, & vetuerunt ne regnum ingrederetur. Ipsi autem Heduigi coronam regni die S. Heduigis Silesiæ, Cracouiæ imposuerunt anno 1384. Deliberatum est deinde de marito dando nouæ reginæ. Educauerat Ludouicus Rex in aula sua Vilhelmum Austriæ Ducem, ipsiq; puero desponderat filiam Heduigin, &, sicut Regum mos est, curauerat vt cõcumberent ante annos nubiles, atq; ita omnino eum ad spem alterius regni aluerat. Is igitur missa Legatione orauit Polonos, vt sponsam suam sibi traderẽt, & amabat eum ardentissime regina virgo. Sed Poloni bonum Principem Vilhelmum adeo sunt aspernati, vt frustra deprecante & tegente eum Regina, Cracouia, quo vocante Regina sese contulerat, per ignominiam excluſus sit, amissis ingentibus opibus, quas secũm aduexerat.

Heduigis filia regis Hungariæ coronatur in reginam Poloniæ.

Vilhelmo Austriæ Principi eripitur coniunx Heduigis.

Poloni

Poloni verò regnum promiserunt Iagelloni Principi Lithuanico, cuius auus, qui fuit seruus, rapuerat imperium, occiso iusto Principe: Perinde sicut apud Lydos Gyges. Iagello contra pollicitus, se vna cum sua gente fidem Christi professurum, & Prouincias Lithuanicas regno Polonico adiuncturum. *Iagello Lithuanus ducit Heduigin Reginam.*

Assensa fuit Heduigis Regina conditionibus his, etsi inuita, atq; ita 1386. 12. Februarij Iagello regia pompa Cracouiam ingressus est. Biduo post baptizatus est, & nomen Vladislai accepit. Sic igitur, præteritis Principibus Silesiæ & Masouiæ, qui nati erant ex veteri stirpe regum Poloniæ, exclusis etiam Sigismundo Rege Vngariæ & Vilhelmo Austriæ Principe, Regnum Poloniæ in familiam Iagellonis translatum est, cui scribuntur fuisse fratres vndecim, robore animi & corporis excellentes. *Iagello baptizatur & nominatur Vladislaus.*

Casimirus etiam Vladislai filius reliquit superstites sex filios, Principes præstantissimos, & tamen quomodo hæc tam numerosa posteritas mascula redacta sit ad vnicum caput videt nostra ætas: Sed sunt fatales Periodi regnorum, familiarum, & prorsus omnium rerum humanarum, vt quidem recte & prudenter dictum est: Constat æterna positumq; lege est, vt constet genitum nihil. *Iagellonis familia.*

In historia Lithuanica recitatur, præcipuum inter hos populos fuisse cultum sacri ignis, qui proculdubio ex vetustate Ethnica vsque fuit propagatus. Baptisati sunt per turmas, & singulis turmis similia nomina imposita. *Lithuanica gentis religio.*

Sub hoc tempus in Bohemia motæ sunt disputationes de religione, & Iohannes Hussus vir doctus & piæ vitæ, quod etiam aduersarij ipsius fatentur, nundinas indulgentiarum & fabellas Purgatorij cœpit arguere. Scribitur sumsisse occasionem ex libro Viclefi Angli: Paulatim deinde illustrata sunt plura doctrinæ capita, & turbæ etiam secutæ, in quibus fermè ab vtráque parte peccatum est. *Iohannes Hussus taxat superstitiones Pontificum.*

Anno 1383. Venceslaus Rex motus concionibus Hussi, ipse passim Ecclesias regni inspexit, & Sacerdotes, qui scorta alebant, Pragæ publica ignominia affecit. Paulò pòst in Silesia etiam cœpit status esse turbulentus. Nam Venceslaus Rex, instigantibus sacerdotibus, passim venit in odium, quod parum fortiter videretur aduersari Hussiticis, & ipse viribus imbecillis gubernationem negligebat. *Venceslaus Cæsar irascitur peccatis sacerdotum.*

Interea magna agmina prædonum confluebant, qui hinc inde prædas ex Silesia agebant, quorum tanta fuit potentia, vt etiam Olsnam vrbem, quæ erat sub potestate Conradi Principis, caperent: & mandato Regis vastatus est Ducatus Opolienſis, quod Princeps ille propter inobedientiam accusaretur. Vratislauiæ etiam orta sunt semina dissidiorum, quæ deinde in ciuilem seditionem eruperunt. *Silesiæ motus sub Venceslao Cæsare.*

Sub annum Christi 1390. recruduit bellum Prutenicum inter ordinem & regem, qui cum esset Lithuanus, acerrime oderat ordinem propter clades multorum annorum illatas Lithuaniæ. Sigismundo mortua est Maria coniunx, & ipse, perfidia suorum, implicatus est grauissimis seditionibus & periculis in regno Hungariæ. Flabellum autem turbarum erat Vladislaus Poloniæ Rex, qui, excusso Sigismundo regnum ad sese, propter coniugem Heduigin, transferre cupiebat. Sed tamen illi conatus eum frustrati sunt, & Sigismundus, ne quid sibi deesset, vltro anno 1392. Cracouiam accessisse dicitur, vbi interueniente Heduige fœmina pia & iusta, Vladislaus Sigismundo reconciliatus est, & inter vtrumq; societas inita.

Sigismundus Cæsar amittit Mariam coniugem.

Anno 1394. Venceslaus Rex in Bohemia à quibusdam regni Baronibus adiuuante ciuitate Pragensi captus, & custodiæ traditus est, cum propter dissidia religionis maximi motus in regno glisceren t, neque Venceslaus illis posset mederi. Euasit tamen inde post septimanas Septendecim ope Iodoci Marchionis Morauiæ.

Venceslaus Cæsar capitur.

Academia Pragensis ex consensu Scholasticorum & Lectorum Lipsiam migrauit. In Silesia superiori Vladislaus Poloniæ Rex afflixit Vladislaum Opolienſem Ducem desertum à suo Rege Bohemo. Is, etsi Polonis iusto in bello par non erat, tamen interciendis mercibus Polonorum, & spoliandis passim ditioribus in itinere multum negotij Poloniæ facessit.

Pragensis Academia migrat Lipsiam.

Annus 1395. aut, vt annotarunt Poloni, 96. nobilis est ex clade Christianorum ad Nicopolin. Attraxerant in Græciam auxilia gentis Turcicæ Principes Græci, conficientes patriam ciuilibus vulneribus, nec postea potuerunt inde amoueri Turci, & cum se paulatim confirmassent, anno 1392. adorti sunt Mysiam, Bulgariam, Rasciam, & vicinos Pannoniæ tractus, qui tunc Hungaris parebant, inde factis excursionibus Pannoniæ quoque oras, antequam Sigismundus suis posset ferre opem, vastarunt.

Nicopolienſis clades.

Turcorum primæ irruptiones in regnum Hungariæ.

Vlturus igitur iniurias suorum & repressurus irruentes Turcos Sigismundus, validum exercitum ex omni Europa collegit. Ad Nicopolin Mysiæ vrbem conditam à Traiano in memoriam victoriæ partæ ex Decebalo, obuiam habuit Baiazetem primum, Turcorum Cæsarem, cum quo summis copijs conflixit, & cum in media pugna, eaq; Christianis non infœlici, Galli qui ex ambitione primum locum sibi deposcerant, temere aciem nudassent, exercitus noster fœda fuga dissipatus est, & inde Turcis initium datum est, non modo in vicinam Pannoniam irrumpendi, verum etiam arma nostra contemnendi. Sigismundus traiecto Istro Constantinopolim fuga delatus est, inde in Rhodum peruenit, & demum opera Venetorum in regnum suum reuersus est. Philippus Burgundiæ Princeps, captus eo in prælio, annos aliquot circumductus est, antequam liberatus fuit. Et tamen ipse Baiazetes non multo post fuit exemplum humanæ instabilitatis. Vagabatur in Asia cum innumerabili

Sigismundus Cæsar defertur Venetias.

merabili hominum turba Tamerlanes Scytha, qui, ſicut olim Attila, toti orbi terrarum terrorem incutiebat. Is Baiazetem ſuperatum bello & captum in ferrea cauea, tanquam beſtiam circumtulit. Vaſtauit magnam orientis partem, & cum meditaretur bellum in Europam quoq;, & iam magnas copias Polonorum in finibus Ruſſiæ deleuiſſet, morte extinctus eſt, & regnum eius ſubito diſſipatum: ſicut olim Alexandri, Macedonis, & poſtea Attilæ Hunni.

Baiazetes Turcorum Cæſar capitur à Tamerlane Scythia.

Traxiſſe ſecum dicitur hominum duodecies centena millia. Abſente Sigiſmundo rurſus ſollicitabat Hungaros Vladislaus Poloniæ Rex. Sed Sigiſmundo poſt reditum denuo Cracouiam accedente, & cum Heduigis eſſet deprecatrix, tunc etiam pax eſt facta. Ipſa vero Heduigis anno proximo poſt primo in puerperio deceſſit. Sanctitas & beneficentia in ea fuit eximia Maritum Regem, qui iniuſte bona quorundam tenuiorum ad ſeſe tranſtulerat, reprehendebat, is cum reſponderet: Redditurum ea ſuis dominis, ſubiecit Regina, bona quidem reſtituere miſeris his poterimus, ſed lachrymas, quas ipſis excuſſimus, quis reddet? Incommoditatem etiam mariti Regis, qui eam impudicitiæ inſimulabat, etſi ad illud faſtigium ab ipſa fuerat euectus, placide tulit, & innocentiam ſuam publicè oſtendit. Munierunt deinde ſeſe nouis affinitatibus Sigiſmundus & Vladislaus, duxerunt ſorores, filias Comitis Ciliæ, natas ex filia Caſimiri, quondam Regis Poloniæ, Sigiſmundus Barbaram, Vladislaus Annam.

Heduigis Regina Poloniæ moritur.

Sigiſmundi Cæſaris Secunda coniunx.

Pontifex Romanis iratus Venceslao, quod diſputationes religionis in Bohemia non compeſceret, autor fuit Electoribus Imperij, vt nouum crearent Cæſarem: & quidem Venceslai nulla erat autoritas in Germania. Renunciatus eſt Imperator Rupertus Comes Palatinus Rheni, Princeps iuſtus, ſed imbecillis & inops. Ideo Italia fermè tota factionibus concuſſa & lacerata, ab Imperio eſt alienata. Fuit hoc anno 1400. Sigiſmundus iniit rationem, qua Venceslaum fratrem, etiam à gubernatione regni Bohemici poſſet amouere. Et captus eſt quidem Venceslaus Pragæ à Iodoco Marchione Morauiæ, & auxilijs Miſnenſibus anno 1401. Sed Sigiſmundus etiam in calamitatem incidit. Nam cum ſeuerius animaduerteret in Hungaros, qui ipſum, præſertim poſt cladem Nicopolienſem, faſtidiebant, & vno in conuentu triginta duos Principes viros ſecuri percuteret, conſpiratione ſuorum oppreſſus & captus eſt, tradituſq; in cuſtodiam duobus adoleſcentibus, quorum mater vidua mota miſericordia erga Regem, qui eam lingua Hungarica ſupplex affatus & precatus fuit, elapſus eſt, & regnum recuperauit, pulſo Ladislao Neapolitano. Inuenio deinde Sigiſmundum anno 1402. veniſſe Pragam 29. Iunij, & Venceslaum fratrem captum inde abduxiſſe, eumq; in cuſtodiam tradidiſſe Alberto Auſtriæ Principi: Viennæ in amplis ædibus honeſtè aſſeruatus eſt: Sed tamen tunc etiam euaſit & regnum rurſus adeptus eſt.

Venceslaus Cæſar amouetur ab imperio.

Venceslaus Cæſar denuo capitur.

Sigiſmundus Cæſar capitur.

Principes

PRINCIPES LIGNICENSES.

Rupertus filius Venceslai solus Lignicij dominatus est.
Vxor Heduigis Casimiri Regis Poloniæ vidua,
Non reliquit sobolem mortuus 1390.

Venceslaus non duxit vxorem.

Henricus Stigmatias filius Ludouici Brigensis Dux Lignicensis & Brigensis, fuerunt duo filij huius.

Ludouicus Lignicensis & Brigensis, vxor Elizabeth soror Marchionis Brandeburgensis primi Electoris, cuius filia nupta Iohanni Lubensi patri Friderici primi Lignicensis.

Henricus Lubensis & dominus minorum oppidorum.

PRINCIPES GLOGOVIENSES.

Henricus Passer post mortem fratrum dominus totius Ducatus Glogouiensis & Saganensis, moritur 1395.

Iohannes Saganensis seiunctus à reliquis fratribus qui Saganum à Glogouia auulsit.

Henricus Nonus, Rapoldus mortuus in Dania.

Venceslaus Crosnensis vbi perijt.

Henricus Decimus, dominus totius ducatus Glogouiensis.

VLadislaus Poloniæ Rex inijt consilia, quomodo Prouincias detractas regno Poloniæ, arte quadam recuperaret: & primum quidem Sigismundum Hungariæ Regem, & Marchionem Brandeburgensem persuasit, vt pro certa pecunia Marchiam nouam, quæ olim fuerat ditionis Polonicæ, sibi oppignoraret: Sed cum tota summa non exsolueretur, & Sigismundus consilia Regis intelligeret, res fuit impedita.

Poloniæ & Bohemiæ Reges congrediuntur Vratislauiæ.

Conuertit sese etiam Vladislaus ad Venceslaum Regem, qui assidue metuebat, ne omnino regno pelleretur, cum omnibus esset inuisus, illi promisit opem contra fratrem & alios. Conuenerunt ipsi Reges Vratislauiæ anno 1404. & Vladislaus, vt Bohemis suam ostenderet potentiam, dicitur in comitatu suo adduxisse quinquies mille equites: Postulauit Vladislaus restitutionem Silesiæ, & quidem à Rege simplici, & imbelli hoc impetrasset, nisi quidam ordines hoc impedijssent. Facta est tamen pax inter Reges, & amice inde decessum est.

Circiter

Circiter illud tempus Venceslaus in Ducatum Monsterbergensem, qui ad Regem Bohemiæ morte priorum Principum deuolutus erat, collocauit Iohannem Tropauiensem: Boleslao vero Teschinensi alteram partem Glogouiæ attribuit, quæ hactenus fuerat in potestate Regum Bohemiæ. Horum consiliorum videtur autor fuisse Vladislaus Polonicus, vt Venceslaus hac ratione aduersus Sigismundum fratrem sese muniret, collocatis in limitibus Silesiæ Principibus animosis & bellicosis.

Venceslaus Cæsar distribuit Ducatus in Silesia nouis Principibus.

Glogouienses Principes erant adolescentes, & annis aliquot simul vixerunt, donec Iohannes Saganensis primùm hæreditatem suam postulauit. Vratislauiæ paulò ante motus à plebe orti erant, ab eáque ordo Senatorius immutatus. Sed Rex eo anno suo consilio nouum Senatum ex optimis ciuibus delegit, qui tamen mense Septembri eiusdem anni rursus à populo loco motus est. Ita, cum nulla tunc esset autoritas Regis in his regionibus, multum fuit vbiq; turbarum & dissensionum. Vladislaus Polonicus hisce annis denuò graue bellum meditabatur in ordinem Prutenicum, quod Regina Heduigis viuens pro sua pietate sæpe auerterat: & vt haberet prætextum aliquem elegantem, putauit sese abuti posse infantia Venceslai Bohemi, quem recens sibi Vratislauiæ deuinxerat: ad eum igitur reiecit arbitrium controuersiæ inter ipsum & ordinem. Assensi sunt & Germani in Prussia, innocentia sua freti.

Vratislauia concutitur motibus seditiosis.

Venceslaus, qui in illa etiam ignauia sua tamen oderat iniusticiam & malas artes, anno 1409. sententiam contra Polonos pronunciauit. Vladislaus atrox euestigio bellum exorsus est, & quamuis eum ex Regno Hungariæ retinere conabatur Sigismundus, tamen id frustra fuit, & ipse Sigismūdus denuo hoc anno à Calepino Amurathis filio Turco grauiter cæsus est. Anno 1410. Vladislaus cum exercitu fines Prussiæ ingressus est, & cum secum duceret maximos greges Scytharum & Lithuanorum, enormis crudelitas edita est in vtrumq; sexum, in sacra & profana, adeo vt ipsi Poloni honestiores tantam rabiem apud ipsum Regem grauiter detestarentur. Magister ordinis auxilia ex omni Germania acciuerat: sed ea fuerunt imbecillia. Neq; enim ea erat in Germania coniunctio, quæ communibus viribus tam potentem hostem repelleret. Profligatus est igitur Ordo ingenti strage à Vladislao eodem anno 15. Iulij, qui Polonis festus est, interfecto ipso Magistro, & multis fortibus viris. Sacerdotes Poloni eam victoriam suo Stanislao retulerunt acceptam, quem in aëre tempore pugnæ dixerunt esse conspectum. Captus est in eo prælio inter alios Conradus albus Dux Olsnicensis. Poloni ea victoria non sunt vsi, & occasionem rei bene gerendæ amiserunt. Militauit etiam in Prussia Iohannes Dux Monsterbergensis cum multis nobilibus Silesijs. Non multo post pax inita est, incommoda Polonis, ideo neq; ea fuit stabilis. Mortuo Ruperto Cæsare, electus est Sigismundus, quem Hungari noluerūt sequi ad bellum Polonicum.

Vladislaus Iagello profligat ordinem in Prussia.

Sigismundus creatur Cæsar.

Eodem

Eodem anno rursus Silesiæ irati fuerunt sacerdotes. Nam cum abductus esset à quibusdam nobilibus Suffraganeus Vratislauiensis, tota ea ditio multos menses anathemate notata fuit, & anno proximè sequenti, in curia Vratislauiensi detentus est ob quædam crimina Iohannes Episcopus Vladislauiensis, frater Principis Opoliensis: Ibi denuo fulmen sacrum in vrbem emissum est, & vix magno labore placati sacerdotes.

Anno 1412. sæua pestilentia in tota Silesia grassata est, durauit ea per biennium. Eodem anno Ernestus Austriæ Archidux duxit Cimbariam filiam Semouiti Ducis Masouiæ, neptem Vladislai Regis ex sorore. Cuspinianus scribit, tale fuisse robur huius fœminæ, vt etiam vola manus ferreum clauum parieti infigeret. Fuit ea mater Friderici Tertij Imperatoris, qui etiam fuit longæuus & valetudine firma. Ita non frustra dictum est, hominem plus accipere à matre quàm à patre. Vladislaus, facta pace cum cruciferis, Budam profectus est, ibiq́, cum reconciliatus esset Sigismundo, ab eo recepit ornamenta Regni, quæ Elizabetha olim Ludouici Regis coniunx in Hungariam abstulerat.

Friderici Tertij Imperatoris mater.

Vladislaus Iagello proficiscitur Budam.

Anno 1414. inchoatum est concilium Constantiense, quod sedauit intestina bella Pontificum. Eodem anno Vladislaus pacem initam cum Cruciferis temere turbauit, quia videbat eos, in illa distractione imperij, oportunos esse ad prædam. Militabant tunc in exercitu Polonorum, hauddubie adducti autoritate Venceslai Regis, Principes Silesiæ magno numero: Bernhardus Opoliensis: Iohannes Ratiborienſis: Boleslaus Teschinensis & Glogouiensis: Conradus Albus Olsnicensis: Venceslaus Glogouiensis: Iohannes Lubensis: Venceslaus Tropauiensis.

Constantiensis concilij exordium.

Bellum famelicum in Prussia.

Appellatum est hoc bellum famelicum, quia ex inedia & contagijs magna multitudo perijt, & Rex pactis cum cruciferis duorum annorum inducijs, causam dijudicandam concilio Constantiensi commendauit.

Anno 1415. editum est in eodem concilio atrox illud sæuitiæ & perfidiæ exemplum, cum Iohannes Hussus emendator primus corruptelarum Pontificiarum, contra datam fidem ab ipso Cæsare, crudeliter exureretur. Historia ea literis prodita est, ideo eam prætermitto.

Iohannes Hussius afficitur supplicio.

Scribitur autem, virum Generosum, virtute & fide præstantem Casparum Sliccium, qui fuit Cancellarius trium Imperatorum, & negotijs illis nomine sui Cæsaris intererat, assurrexisse, cum decretum in Hussum & Hieronymum pronunciaretur, & testatum esse, non assentiri se perfidiæ sacerdotum. Quàm constanter supplicium pertulerint, & quam in pia, & læta confessione decesserint, Hussus quidem hoc anno, Hieronymus autem sequenti, etiam hostium ipsorum scriptis traditum est.

Irritauit

Irritauit ea tyrannis iram Dei, & grauissimas pœnas Germaniæ attraxit. Bohemi enim, vbi resciuerunt cõtra fidem publicam in suos sæuitum esse, vniuersi quasi fanatico furore incensi sunt, & quamuis causam ab initio defenderent non malam, tamen ab hoc tempore exacerbati scelere sacerdotum, cupidi vindictæ, consociarunt arma, & passim domi primum, deinde foris etiam in vicinis regionibus grassati sunt ferro & flamma in aduersarios crudelem in modum.

Iohannis Hußi uox fatidica & precatio.

Constat Hussum, cum duceretur ad rogum, etiam hanc vocem fatidicam edidisse, & dixisse, post centum annos exoriturum cygnum, quem non, sicut istum imbecillem anserem, vstulaturi sint sacerdotes: haud dubie repurgatorem cœlestis doctrinæ D. Martinum Lutherum designans.

Memoriæ digna est etiam precatio, quam subinde in via ad supplicium repetiuit: Iesu Christe, filij Dei viui, qui passus es pro nobis, miserere mei.

Eclipsis Solis horribilis.

Eodem anno, die sexta quæ proxime secuta est festum corporis Christi, vt nominant, tanta conspecta est Eclipsis Solis, vt sidera tanquam de nocte lucerent, & aues territæ exanimes deciderent. Habeo autores, qui scribunt, Constantiæ in concilio Eclipsin accidisse ea hora, qua ex more Pontificio fiebat circumgestatio theatrica consecrati panis: quod procul dubio pœnas euenturas propter hoc tetrum idolum, & simul inclinationem regni Pontificij significauit: sicut paulò pòst secuta sunt bella Bohemica, in quibus optima pars Germaniæ vastata est, & in Græcia constituta tyrannis Turcica, quæ idolomaniæ & peccatorum Europæ est vindex.

Sigismundus Cæsar Burggrauium Noricum collocat in Marchiam.

Sigismundus Imperator, cuius fuit excellens pietas & probitas in hoc concilio nocte natalis Domini, historiam nati saluatoris, cuius initium est: Exijt decretum à Cæsare Augusto, habitu Diaconi cecinit, & anno 1417. in eadem vrbe, Marchiam & dignitatem Electoratus donauit Friderico Burggrauio Norimbergensi. Quia, cum ipse careret sobole mascula, & Fridericus ipsi bonam operam nauasset in multis bellis, hanc ipsi reddidit gratiam, & simul vtile iudicabat futurum imperio, si Princeps industrius & fortis collocaretur in limites Imperij versus Poloniam, cuius tunc magna erat potentia, & quæ Prussiæ inhiabat. Nec fefellit Sigismundum suum consilium.

Nam & ista familia Principes aliquot sapientia & fortitudine præstantes genuit, & tandem ad eam hæreditas magnæ partis Prussiæ peruenit. Interea torpescente domi Venceslao, anno 1418. feruebant motus in Bohemia, & Hussitici incensi ira aduersus Pontificios, qui ipsos conabantur delere, diripiunt templa innumera, quæ tam fuerunt opulenta & augusta, vt Aeneas Syluius scribat, nullum regnum totius Europæ templis splendidioribus, quàm fuerunt Bohemica, fuisse ornatum.

Bohemici regni magnificentia.

Vratislauiensis seditio.

Vratislauiæ etiam cruenta exarsit seditio. Plebs enim acta in subitum quendam furorem, die 18. Iulij armata curiam expugnauit, magnam partem senatus, aut suis manibus, aut per carnificem trucidauit: vnum etiam ex præcipuis, ex loco sublimi deturbauit, vbi hastis armatorum sese induit. Deinde ex arbitrio populi senatus lectus est. Tantum licentiæ in promiscua multitudine excitauit & confirmauit segnicies Regis, & impunitas peccatorum.

Venceslai Cæsaris mors.

Anno 1419. 10. Augusti apoplexia mortuus est Pragæ Venceslaus Rex. Furore.n.populi Pragæ etiam trucidatus fuit Senatus, qui defendebat Pontificios. Eius rei atrocis nuncius cum ad Regem esset perlatus, & si mul pincerna ita loqueretur, vt causam horum motuum in regem videretur transferre, Venceslaus stricto pugione eum persequitur, atque ex ea vehementi animi perturbatione, apoplexia correptus interijt. Regnauit post mortem patris annos quadraginta vnum.

SIGISMVNDVS IMPERATOR, Hungariæ & Bohemiæ Rex, Princeps Silesiæ.

BELLVM HVSSITICVM.

CElebris fama fuit apud nostros belli Bohemici, quod nominare soliti sunt Hussiticum & hæreticum. Nam auditores & sectatores Hussi, irritati perfidia & sæuitia Pontificiorum, coniunxerunt sese, & armis aduersarios repressérunt: Et quidem, sicut initio causam bonam tuebantur, ita victoriæ illæ incredibiles, quas adepti sunt, testantur, Deum ipsos habuisse protectorem: Sed deinde, cum consilia seditiosa miscerent, & grassarentur nimis magna cum immanitate, suam causam corruperunt, & pœnas sibi ipsis attraxerunt.

Insidiabantur ipsis Pontificij varijs artibus, & contra eos incitabant monarchas, habebant etiam domi hostes, qui eos premebant & persequebantur. Ipsi igitur rursus sese communierunt, donec lis ea in sæuum bellum prorupit. Mortuo Venceslao, creatus est Dux multitudinis Iohannes Zischa, cuius tantum fuit animi robur, tantaq; fœlicitas, vt veteribus Ducibus possit annumerari.

Iohannis Zischæ robur & successus.

Bohemi Pontificij accersebant subinde auxilia ex vicina Lusatia, & omnes Germani acerbe Hussiticos oderant. Ideo Zischa, ægre ferens iniurias illas, manum quandam militum immisit in Lusatiam superiorem, quæ mense Septembri adorta est vrbem Budissinam, ea tamen ciuium virtute defensa est. Interea domi confluxerat ad Zischam ingens multitudo, adeo vt toti regno esset formidabilis.

Sophia

Sophia vidua Venceslai accersebat Sigismundum, cui secundum leges debebatur successio in regno. Sed is rursus tunc infœlici exitu exercitum contra Turcos ducebat,& Legatos Pragam misit, qui interea summæ rerum præessent. Zischa etiam cum suis professus est, velle sese agnoscere Regem Sigismundum, modo religioni pacem daret, quod cum promitterent gubernatores, Zischa arces,quas occupauerat, reddidit, & suos domum remisit.

Sigismundus reuersus ab expeditione Turcica, iter in Bohemiam parabat, venerunt ad eum legati Bohemorum in Morauia, polliciti omnem fidem & obedientiam: Sed ipse, accensus ab Episcopis, minus benigne ipsis respondit: & prius diuertit Vratislauiam, vt in ea vrbe, quam amabat, motus, excitatos à plebe, sedaret.

Sigismundus Cæsar uenit Vratislauiam.

Ingressus est Vratislauiam die Epiphaniorum, anno 1420. pacauit initio seditionem vrbanam,& die sexto Martij sumtum est supplicium de ciuibus viginti duobus, qui fermè erant tribuni opificum,& seditionis,in qua Senatus iugulatus fuerat,autores. Multi etiam in exilium electi sunt, & bona eorum in ærarium Senatus illata. Eodem tempore tulit sententiam in causa Prutenica.

Sigismundus Cæsar sumit supplicium de seditiosis.

Anno enim superiori Legati Pontificij, sicut Prius alij Monarchæ multi, causam Polonorum damnauerant: Vladislaus verò,qui egre ferebat, traduci sese de iniusticia in tota Europa,Cæsarem sibi conciliare conatus est: Promisit illi auxilia in Bohemos,& ipsum arbitrum in causa Prutenica delegit: Probarunt hoc etiam Germani. Ibi Sigismundus Vratislauiæ, præcipuè motus causæ æquitate,deinde quod pacata iam Bohemia, putaret sese carere posse opera Vladislai,pronunciauit pro ordine contra Polonos. Hoc, cum esset renunciatum Vladislao & Vitoldo Lithuaniæ Duci fratri,ita sunt commoti,vt etiam in eiulatus & feros vlulatus prorumperent.

Sigismundus Cæsar offendit Polonos.

Missi sunt deinde Oratores ad Cæsarem, qui verbis adeo procacibus & immodestis vsi sunt, vt Cæsar, alioqui mitis & humanus Princeps, in Viadrum eos præcipites, projici mandaret. Intercessione tamen Principum seruati & dimissi sunt. Interea in Bohemia rursus omnis spes pacis turbata. Nam Hussitici offensi asperitate Sigismundi, & Pragenses,propter exempla Vratislauiensia, similes metuentes pœnas, nouos exercitus contraxerunt, multa oppida munierunt, & Sigismundo aditum in regnum intercluserunt.

Zischa,qui fermè diutissimè quieuerat, pene fuisset oppressus à Pontificijs, tandem victor aliquot prælijs, nouam vrbem condidit,quam Thabor appellauit: Præterea,cum audiuissent de offensione Poloni & Cæsaris, miserunt legatos in Poloniam, qui Vladislao Regnum Bohemiæ deferrent.

Thabor urbs Bohemiæ.

Cæsar, cum ista cognouisset, conatus est Vladislaum placare, & promisit illi, se mitigaturum decretum. Vladislaus, sicut in eo fuit vafricies mirabilis, cogitauit quomodo Cæsarem in illis suis periculis mulctaret, illiq; Silesiam & Prussiam detraheret: Promisit se non accepturum Regnum Bohemiæ, si Sigismundus ipsi auxilia mitteret contra Cruciferos, & interea pignoris loco ipsi Silesiam traderet. Cæsar, qui & ipse ingenio valebat, vt Polonum quadam spe duceret, assensus est, & insuper Vladislao coniugium Sophiæ viduæ Venceslai fratris obtulit, & dotis nomine Silesiam, cum centum millibus aureorum. Sed hæc pacta, post coronationem Sigismundi, non sunt perfecta.

Vladislai Iagellonis consilia non procedunt.

Lætus hoc successu Vladislaus, etiam alterum murum conatus est Cruciferis diruere. Filio Marchionis Friderici Brandeburgensis promisit in matrimonium filiam Heduigin, cum amplissimis conditionibus, quæ postea morte virginis omnes reciderunt in nihilum. Ita male processerunt artes Regis.

Sigismundus cognita rebellione Bohemiæ, in Silesia magnas contraxit copias, impetrauit etiam auxilia à vicinis Principibus Misnensibus, & Marchionibus. Militarunt ipsi Silesij Duces quatuordecim, inter quos fuit Henricus Rapoldus Glogouiensis. Inuasit Bohemiam anno 1421. Arx Pragensis ipsi est dedita, in eaq; accepit coronam Regni: ciuitatem, quæ aduocauerat Zischam in præsidium, arctissime obsedit, eámque, sicut certos habeo autores, ex illis, qui tunc vixerunt, cepisset, nisi maluisset vrbi & regno suo parcere.

Sigismundus Cæsar infert bellum Bohemiæ.

Commissa sunt aliquot parua prælia, pleraque secunda Husiticis: & Sigismundus detestatus illud ciuile bellum, posteaquam præsidia in aliquas munitiones collocasset, Bohemia excessit. Creauit hæc expeditio maxima mala Silesiæ. Nam Hussitici irritati, multos postea annos crudeliter in Silesia & in alijs regionibus sunt grassati. Zischa in vrbe Pragensi, & tota vicinia templa diruit, euertit statuas, & imagines, quod dicerent, eas seruire idolatriæ.

Zischa euertit imagines & statuas.

Sigismundus Cæsar, euocatis multis Germaniæ Principibus, denuo in Autumno Zischæ bellum intulit: ipse cum copijs Hungaricis & Austriacis superuenit sub initium anni 1422. sed ea expeditio etiam fuit infausta. Vladislaus, vt Cæsarem premeret, eodem tempore submisit in Bohemiam Sigismundum Coributhum Lithuanum fratrem, cum equitibus bis mille, vt auxilia Hussiticis ferret. Recepit eum Praga & reliqua multitudo. Sed Zischa constanter negauit, se passurum Regem alienigenam.

Coributhus frater Vladislai Iagellones inuadit Bohemiam.

Obsedit cum magna multitudine arcem Carolosteinum, & inter alias machinas oppugnationis coniecta sunt in arcem ad duo millia vasorum repleta cadaueribus & excrementis humanis: ex

quo

quo intolerabili fœtore obsessis dentes computruisse & excidisse dicuntur. Tolerarunt tamen milites Cæsaris obsidionem patienter, & tandem post multos menses obsidio à Friderico Marchione Brandeburgensi est soluta.

Anno 1423. cum Cæsar & Polonus in finibus Pannoniæ conueniissent, & reconciliati essent, Coributhus ex Bohemia, nulla re memorabili perfecta, reuocatus est. Zischa tamen nihilominus impetus Cæsaris & vicinorum Principum magno animo sustinuit, & Coributhus contra pacta in Bohemiam remissus est, rege vel iubente vel conniuente. *Coributhus reuocatur ex Bohemia.*

Adeo autem fœlices erant successus Zischæ, vt Sigismundus eum sibi clam conciliare conaretur, & fuit eius tanta etiam in illa sua fortuna virtus, vt redire in gratiam cum Cæsare, illiq; regnum tradere promitteret. Sed inter illas tractationes pestilentia extinctus est. Celebre est hoc ipsius Apophtegma ante mortem, cum iussit, vt sibi mortuo detraherent pellem, illamq; tympano obducerent. Fore enim, vt, sonante suo corio in prælijs, hostes effuse fugerent. *Zischæ mors.*

Etsi non excusari possunt omnia facinora ipsius, tamen apparet eum præditum fuisse robore animi eximio, & fortuna ipsi miris modis respondit. Cæsarem etiam hostem, ex Bohemia non voluit plane excludi, & ipse solus aduersatus est, ne Coributhus Lithuanus reciperetur. Ipso etiam viuente nondum factæ sunt crudelissimæ vastationes in Silesia & vicinis regionibus.

Mortuo vero Zischa, cum Hussitici in duo agmina concessissent, quorum alterum & potentius ducebat Procopius magnus, alterum Procopius minor, crudelia latrocinia secuta sunt. Anno 1426. factum est initium irruptionum Hussiticarum in Silesiam. Duxisse eos scribitur ex vicina Morauia quidam sacrificus Morauus Brodicus, qui deinde Silesiam grauissimè vexauit. *Hussitici uastant Silesiam.*

Vere huius anni, torrentis instar, peruagati sunt magnam partem Silesiæ superioris: oppida infirmiora vi capta dissiparunt & incenderunt, agris omnibus vastatis. A Nissa vrbe virtute ciuium repulsi sunt: Peruenerunt Hannouiam vsque, & ipsa suburbia Vratislauiæ spoliata inflammarunt. Erant autem in illa caterua non solum Bohemi Hussitici, sed latrones variarum gentium, Poloni, Morauí, Hungari, & alij.

Anno proximo sequenti eadem manus latronum rursus Silesiam inuasit, & fuit eorum tanta rabies, vt Laubenæ, Hannouiæ & Goldpergæ pueros in scholis, & sacerdotes in templis mactarent, & alioqui promiscuas cædes facerent, qualis legitur fuisse crudelitas Mycalesii edita à Thracibus, quos attraxerant tempore *Hussiticorum rabies in Silesia.*

belli Peloponnesiaci Athenienses, qui eodem anno in Sicilia robur suum militare & imperium amiserunt.

Eodem anno fermè ex tota Germania, & vicinis etiam gentibus, ingentes exercitus in Bohemiam ducti sunt, & tamen ille flos Europæ, quasi panico terrore concussus, hoste nondum conspecto, fœdissima fuga dilapsus est, omnibus impedimentis & machinis bellicis amissis. Memini honestum senem referre sermonem vetustum Bohemi, qui bello illi interfuerat: is dixerat, deprehensum fuisse manifestè, diuina virtute, non potentia Bohemica, Germanos tunc fuisse superatos.

Hußitici magnum exercitum Germanorum profligarunt.

Vratislauia & Suidnicia urbes defendunt Silesiam.

Anno 1429. Sigismundus rursus infœliciter lacessiuit Turcos. Amisso exercitu traiecto Istro fugit in Transsyluaniam. In Silesia, cùm tota regio in motu esset propter arma Bohemica, ciuitates, Vratislauia & Suidnicia sese coniunxerunt, quæ, in reliquorum Principum aut ignauia aut imbecillitate, pro patria in excubijs fuerunt, de eáque optimè meritæ sunt.

Iohannes Princeps Monsterbergensis cadit in prælio.

In aditu Silesiæ opposuit sese latronibus Bohemicis Iohannes Princeps Monsterbergensis: is in prælio fortiter dimicans non procul à Glocio die 26. Decembris interfectus est: percurrerunt deinde magnam regionis partem. Die Antonij, Vratislauienses eripuerunt ipsis Olauiam, & non procul à Suidnizia paulò pòst magnam cateruam eorum conciderunt, ademta sunt illis spolia, quæ ex Ducatu Lignicensi congesserant: 8. Octobris copiæ Vratislauienses Monsterbergam oppidum recuperarunt & arcem illius oppidi diruerunt. Mense Nouembri Hussitici per proditionem adepti sunt arcem Otmachonienſem, quæ erat Episcopi, inde multas prædas egerunt. Anno 1430. Cœnobium Trebnicense direptum est ab ipsis.

Vratislauienses reprimunt Hußiticos.

Sigismundus reuersus à bello Turcico, cum acerbè odisset Polonum, qui non solum putabatur Coributhum & Polonos in Bohemia fouere, sed etiam insidiari Silesiæ, quia magna pars agminis Bohemici constabat ex latronibus Polonicis, iniit consilium, quomodo sereret lites domesticas, & Vladislao auxilia Vitoldi Lithuani, à quo totus pendebat, & per quem omnia bella confecerat, detraheret. Ipse enim manu minus erat promtus.

Sigismundus Cæsar abalienat Vitoldum à fratre Vladislao.

Vitoldo seni ambitioso Cæsar fecit spem, si profiteretur sese socium Cæsaris, quod vellet ipsi tribuere dignitatem regiam, & titulum regis Lithuaniæ. Gratum hoc fuit Vitoldo, & cum Poloni acerrime ipsi aduersarentur, totum sese ab amicitia eorum auertit, nec conquieuisset, nisi re perfecta, si non inopinata morte, vel peste vel veneno fuisset extinctus.

Ipse

Ipse Cæsar agebat conuentus Norimbergæ, & Iulianus Cardinalis legatus Pontificius, rursus totam Germaniam, in Bohemos armabat. Sed etiam illa expeditio, quæ susceptа fuit anno 1431. fuit infœliciſſima, & totus exercitus pauidus, nunquam viso hoste, rursus in fugam effusus est, castra ipsa à Bohemis capta sunt, & in illis ornamenta Cardinalis legati, quæ pro ludibrio circumgestarunt.

Iulianus Cardinalis mouet infœlix bellum in Bohemos.

Fuerunt in eo exercitu præcipui Germaniæ Principes, & inter illos Saxoniæ & Marchiæ Duces. Imperator exercitus erat Fridericus Marchio Brandeburgensis. Pulsis Germanis, Hussitici rursus rabiem suam in vicinos suos effuderunt. In Silesia populabundi vsque ad Lubenam peruenerunt, quam cum expugnare non potuissent, facibus iniectis exusserunt.

In publico periculo coniunxerunt sese Conradus Cantiensis, Conradus Olsnicensis, Ludouicus Olauiensis, Ciuitates, Vratislauiensis & Suidnicensis. Mense Maio infœliciter obsederunt Creuzbergam, quod erat munitum præsidio Hussitico. Deinde totos menses duos frustra consumserunt in oppugnatione oppidi Nimcæ, & tamen inde etiam, amissis multis fortibus viris, nulla re perfecta, redierunt.

Sigismundus Cæsar, vbi bella Bohemica male videt procedere, nouam, sicut in eo eximia fuit sapientia, iniit rationem. Coibat opera sua Synodus Basileæ, eò inuitat Bohemos, ad causæ suæ declarationem in Synodo, quod faciebat eo consilio, vt legitimus seruaretur ordo cognitionis, & vt absentibus Primoribus Hussiticorum, inter ipsos Bohemos dissidia sereret.

Basilienſis Synodus.

Obsecuti sunt Bohemi, & splendidam legationem Basileam miserunt, in qua etiam fuit Procopius magnus: sed prius Egræ ipsis amplissima cautio à Synodo missa est, quæ etiam nostra ætate à socijs Augustanæ confessionis, concilio Tridentino proposita est, in ea hæc fuerunt capita: Vt ipsi quoque decidendi haberent facultatem: Vt sacra scriptura, veteris Ecclesiæ praxis, concilia & interpretes, cum sacra Scriptura consentientes, in ea controuersia essent loco iudicis: Vt ipsis domi liceret ipsorum sacra perficere: Et ne quid in ipsorum doctrinæ contemtum, aut vituperationem fieret.

Basilenſis Synodus formulam cautionis exhibet Bohemis.

Nota

Ostendunt istæ actiones, in illo cœtu Bohemorum fuisse homines nec indoctos, nec communium rerum in vita imperitos. In ipso autem concilio proposita fuerunt capita dissimilia, inter quæ hanc etiam quæstionem agitatam esse scribunt: An sacerdotibus liceat habere proprium: quamuis iniquitate aduersariorum, multa illis esse afflicta constat.

Sigismundus Cæsar interea profectus est in Italiam, vt susciperet coronam Imperij à Pontifice, & vt Pontificem cum Synodo re-

conciliaret: fuit hoc anno 1432. In Silesia varij fuerunt motus, Hussitici ripam Viadri vtramq; in Silesia superiori latè rursus vastarunt, & multa monasteria, Trebnicense, Leubense, & alia exusserunt.

Sigismundus Cæsar proficiscitur Romam.

Anno 1433. Boleslaus Opoliensis, qui iuuabat & fouebat Hussitas, acie victus est à Duce Ratiborience Nicolao. Mense vero Maio quidam latro nobilis, Dux Hussiticus, qui tenebat arcem Nimensem, Petrus Polonus, à copijs Vratislauiensium & Suidnicensium profligatus & captus est. Eodem anno Sigismundo Romæ ab Eugenio Papa imposita est corona Cæsarea.

Hussitici euertuntur domesticis dissensionibus.

In Synodo Basilienſi, dum disceptatur cum Bohemis, domi ipsorum dissensiones intestinæ natæ sunt. Nobilitas enim inuidens successibus & autoritati Procopij, Thaboritas bello adorta est, commissa est pugna atrox, anno 1434, mense Iunio, Vbi vterque Procopius fortiter dimicantes in acie ceciderunt, Thaboritæ capti, in horrea inclusi sunt, & magna multitudo immisso igne crudelem in modum combusta.

Bohemos seditiosos, domo eiectos à sua nobilitate, fouit & suscepit Vladislaus Polonus, eorumq; opera ex improuiso magnam partem Marchiæ & Pomeraniæ crudelissimis cædibus, rapinis & incendijs vexauit: Ciuitas Gubena funditus destructa est, interfectis promiscuè omnibus, ita vt tunc dictum sit, oppidum illud commune sepulchrum suorum ciuium factum fuisse. Acerrime, propter hanc impiam societatem, Regem obiurgauit Sbigneus Episcopus Cracouiensis vir ingenuus & grauis. Non diu scelere illo lætatus est Vladislaus. Nam Calendis Iunij hoc anno valde senex mortuus est.

Gubenæ urbis miserabile excidium.

Fuit Princeps non sæuus, sed clemens & munificus vsque ad prodigalitatem, sed vafer adeo, vt plerunque Græca fide agere videretur. Oderunt eum sacerdotes, quòd ipsorum census non multum augeret. Adeò etiam indulgebat suspitionibus, vt ferme omnes coniuges, quas ex ordine habuit quatuor, adulterij reas faceret, & deinde re euulgata per totum regnum ipsis ignosceret. Reliquit ex vltima coniuge Sophia Ruthenica duos filios, Vladislaum & Casimirum admodum adhuc adolescentes.

Vladislai Iagellonis mors & mores.

Eodem anno in Silesia captus est Brodicus cum alijs quibusdam Hussitarum capitaneis. Sigismundus debilitatis viribus Bohemorum, egit cum ordinibus de pace, eamq; tandem confecit sub certis conditionibus, inter quas fuerit hæc: Vt Bohemis integer vsus sacræ cœnæ permitteretur: deinde priuatim nobilitati permissum esse dicitur, vt bona sacra, quæ occuparant, sub certa pactione retinerent: Et Rochezanæ, qui erat præcipuus doctor ipsorum, facta est spes de Episcopatu Pragensi.

Anno

Anno 1435. Conradus Episcopus Vratislauiensis, cum alia ratione non posset recuperare Othmachaniam, munitam præsidio Hussitico, extorsit à ciuitate Vratislauiensi ductores Bohemorum captiuos, eosq; liberos dimisit, & sic sua arce potitus est.

Anno 1436. Sigismundus Cæsar Pragam ingressus est, & ab omnibus ordinibus honorifice susceptus. Decesset eodem anno, Calend. Aprilis Ludouicus Princeps Lignicensis. Conradus Episcopus Vratislauiensis, vt expleret suas lacunas, vltro prædia Hussiticorum in vicina Bohemia & Moria depopulatus est, eosq; magis irritauit. *Sigismundus Cæsar potitur regno Bohemiæ & moritur.*

Etiam concordia in Bohemia non fuit diuturna, cum Cæsar Hussiticos propter religionem premeret. Sed ipse Sigismundus anno proximè sequenti, 1437. agens annum ætatis septuagesimum, qui æger, Praga iussit se in Hungariam deportari, cum metueret, ne Hungari, quos in comitatu suo habuit & dilexit, post mortem à Bohemis violarentur, in vrbe Morauiæ Znoyma 9. Decembris decessit.

Vxorem Barbaram paulò ante mortem, quæ nouas turbas moliebatur, & appetebat nuptias Regis Poloniæ, custodiæ tradidit. Atque ita Cæsaris cadauer & coniunx captiua, simul in Hungariam delata sunt: quod spectaculum etiam commonefecit homines de vicibus, & conuersione rerum humanarum.

Hoc anno tanta fuit fames in Silesia, vt passim populus herbas & gramina voraret, eamq; sæua secuta est pestilentia.

ALBERTVS CÆSAR, HVNGARIÆ & Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ, Princeps Silesiæ.

SIgismundus Cæsar, sapientia & bonitate præstantissimus: sed infœlix bellator, sine hærede masculo decessit, ante mortem autor fuit proceribus vtriusque regni, vt Albertum Austriæ Principem, cum quo Elizabetha filia Sigismundi nupta erat, eligerent. Obtemperatum est consilio Sigismundi, & ad Albertum summa rerum delata.

Alberto & coniugi imposita fuit corona regni Hungariæ Calend. Ianuarij anno 1438. In conuentu etiam ordinum Bohemiæ, cum expositum esset, Elizabetham natam ex præstantissimis Bohemiæ Regibus longo ordine, & inter Bohemiam & Austriam fœdus solenne conceptum extare, vt masculæ sobole in altera familia deficiente, altera succederet: Albertus 6. Maij publice Rex Bohemiæ est renunciatus. Non multo post Francofurti quoque ab Electoribus ad Imperium Romanum vocatus est. *Albertus Austriæ Exarchus peruenit ad imperium & alia regna.*

PRIN-

PRINCIPES SILESIÆ, *Olsnicenses & Stinauienses.*

QVatuor erant Conradi Olsnicenses, ex quibus primus erat Episcopus Vratislauiensis, qui successerat Venceslao Lignicensi. Secundus dictus est Albus, Olsnicensis cui, sæpe res fuit cum Polonis, & qui Silesiæ propter fœdera Polonica fuit detrimento. Captus est à filio, & à gubernatione remotus. Tertius erat Conradus Volauiensis & Stinauiensis, pater Venceslai, qui fuit vltimus Princeps ex hac stirpe Stinauiæ. Quartus Cantiensis, qui vna cum reliquis ordinibus Bohemos repulit.

LIGNICENSES.

Elizabetha vidua Ludouici, domina Lignicensis.

Henricus Lubensis postea ex testamento Venceslai Episcopi, Lignicensis.

Ludouicus Lubensis, vxor Margaris, Opolienſis.

Rupertus dominus & miles Rhodius.

Margarita nupta Principi Opolienſi.

Heduigis ex dispensatione Pontificis nupta Iohanni Lubensi.

Iohannes Lubensis, vxor Heduigis Lignicensis.

Henricus Goltpergensis non reliquit sobolem.

Fridericus Primus, vxor Ludomella filia Georgij Bohemiæ Regis.

Fridericus Secundus, Iohannes mortuus in adolescentia. Gregorius Brigensis.

GLOGOVIENSES.

MEdiam partem Glogouiæ & oppidum Guram tenebat Vladislaus Teschinensis, qui patri Boleslao successerat: Is anno 1442. duxit Margaritam filiam Comitis Ciliæ & Geritiæ, cum ampla dote, quam postea eiecit Iohannes Saganensis. Ducatum Glogouiensem obtinebat Henricus Decimus, qui Domicilium suum Freistadium collocauerat. Fuit Princeps sapiens, amansque quietis. Ditionem suam modestia & patientia sua immunem à vastationibus Hussiticis seruauit. Plura de illo leges in altero libro.

SAGA-

SAGANENSES.

Iohannes Saganensis frater Henrici Freistadiensis, vir malus & tyrannus. Vxor filia Lantgrauij Thuringiæ. Mortuus anno 1439.

Venceslaus vixit Vratislauiæ priuatus, omnibus carus, obijt 1488. elatus est honorificentissimo funere, sepultus in templo S. Barbaræ.

Rudolphus occubuit in bello Prutenico.

Balthasar necatus à fratre in turri Pribusiensi.

Iohannes Saganensis, & post mortem Henrici Vndecimi Glogouiensis: deinde culpa sua profugus & exul.

IN Silesia superiori dominabantur, Venceslaus Tropauiensis & Ratiborienſis, Bernhardus, Iohannes, & Nicolaus Opolienses. Silesiæ penè omnis tunc fuit status miserrimus, quæ quassata fuit bellis, fame, pestilentia, & alijs cladibus: præterea in tanto numero Principum, pleræq; ciuitates tunc valde exhauriebantur & attenuabantur. Vrbes, Vratislauia & Suidnizia tunc mediocriter florebant, & erant Duces publici consilij.

BELLVM POLONICVM.

VLadislao Iagelloni successit anno 1434. in Polonia filius Vladislaus adolescens, etsi inter ipsos ordines aliquandiu fuerunt dissensiones. Gliscebat autem tunc odium inter Poloniam & Silesiam. Quia, cùm diu fuissent iræ inter Polonum & Cæsarem, nec vnquam fida inter ipsos esset amicitia, ex leui occasione turbæ, præsertim in limitibus, mouebantur.

Vladislaus Varnensis accepit regnum Poloniæ.

Deinde bello Hussitico agmina hostilia magna ex parte constabant ex latronibus Polonis, qui nullum genus immanitatis prætermittebant in affligenda hac terra, adeò, vt consideranti excidia tot vrbium, & interitus multorum innocentum hominum, appareat Turcicam asperitatem & sæuitiam tunc fuisse editam. Imbellem enim turbam Scholasticorum & Sacerdotum passim mactabant, & sæpe cum statuis homines etiam viuos, quoscunq; adipisci poterant, exurebant. Ideo Principes & ordines irritati, interdum rursus fines regni Poloniæ populabantur, & nulla erat firma concordia inter has gentes.

Silesiæ & Poloniæ inimicitiæ.

Rebus hoc modo exulceratis superuenit nouus motus, qui apertum bellum excitauit. Albertus enim Rex appellatus, non planè approbauerat conditiones, quas ipsi tulerant proceres Hussiticorum. Ideo illi alienati à Rege, anno 1438. vocarunt ad Regnum

Casimi-

Vladislaus Varnensis oppugnat Albertum Cæsarem.

Casimirum, Vladislai Poloni fratrem, adolescentem tredecim annorum. Vladislaus, etsi intelligebat, istos conatus paucorum seditiosorum esse iniustos, & dissuadebant negotium illud præcipui & honestissimi ex nobilitate Polonica: tamen, vt natura hominum auida est gloriæ & opum, autor fuit fratri, vt acciperet regnum. Missa sunt auxilia bis mille equitum in Bohemiam, & simul facta spes, statim post secuturum esse Casimirum.

Verum Albertus, cum intelligeret consilia Polonorum, subito nõ expectatis omnibus copijs, in Bohemiam profectus est. Venit Pragam 11. Iunij, anno 1438. ornatus est corona regni, die Petri & Pauli. Habebant seditiosi, cum quibus Poloni sese coniunxerant, exercitum 14000. hominum.

Cæsar, quem iuuabant vicini Principes, Albertus Bauariæ, Fridericus Saxoniæ, Albertus Marchio Brandeburgensis, contraxerat ad triginta millia hominum, & eu estigio hostem insecutus est. Poloni quidem ab initio, Cæsari flagitanti prælium, masculè responderant: sed tandem sibi diffidentes, locarunt castra ad vrbem Thabor, ne possent ad pugnam cogi. Venit in eundem locum Cæsar, & dies aliquot ibi castra habens, paruis prælijs hostes fatigabat, & præcipue ex ingentibus machinis bellicis eos subinde impetebat, & plurimos discerpebat.

Poloni in Bohemia funduntur.

Poloni territi, campo relicto in vrbem sese abdiderunt, quam cùm per aliquot dies frustra obsedisset Cæsar, & exercitus fame laboraret Pragam reuersus est. Poloni vero re male gesta amissis equis, pedibus domum reuersi sunt. Incidit in eos in reditu Fridericus Princeps Misnensis, penéque ab illis fuisset oppressus, sed tandem sese colligens totum agmen dissipauit, & multis interfectis, victor domum redijt.

Vladislaus Varnensis uastat Silesiam.

Interea Vladislaus laturus suis opem in Bohemia, Silesiam superiorem vnà cum fratre ingressus est, & omnem agrum Bregensem & Nissensem latè vastauit, adeoq; terruit aliquot Principes Silesiæ, vt promitterent, se deserto Alberto iuraturos in verba Casimiri, quamprimum is coronam Bohemicam capiti imposuisset. Sed Vladislaus de clade suorum certior factus, exercitu dimisso domum redijt.

Albertus Cæsar uenit Vratislauiam.

Ex maiori etiam Polonia impetus est factus in agrum Glogouiensem mense Septembri, & pene per fraudem fuisset occupatum collegium Canonicorum: sed à Glogouiensibus, quibus hoc fuerat nunciatum, cum clade reiecti sunt. Albertus vero Cæsar, cum iniecta esset mentio pacis conficiendæ inter ipsum & Polonum, sicut fuit amans quietis, & malebat arma opponere irruentibus Turcis, Praga in Silesiam profectus est, & per Gorlicium iter faciens, Vratislauiam venit 18. Nouembris eodem anno.

Venerunt ad Cæsarem Legati Poloni, quorum Princeps fuit Archiepiscopus Gnesnensis, sub initium anni 1439. quibus ob recentes

centes clades acceptas à Polonis, nullus est habitus honos. Actum est de pace, sed non conuenerunt. Inducię modo ad breue tempus, annitentibus legatis concilij Basilienſis, factæ. Albertus Vratislauiæ statum Reipub. correxit, & accidit ipsi infaustum omen: Ex gradu prolapsus fregit pedem, & ab eo tempore claudicauit. Significauit proculdubio amissionem regni, & interitum stirpis. Vratislauiensibus ducem belli dedit Albertum Marchionem, qui postea nomen Achillis Germanici adeptus est, is fortiter repulit Polonos, & vicinas oras late depopulatus est.

Alberti Cæsaris lapsus Vratislauiæ.

Cæsar Vratislauia profectus est die Stanislai, properans ad bellum Turcicum. Antequam autem Turcos assequi potuit, cognouit Cæsarem Turcicum, capta arce Rasciæ, quam oppugnabat, & filio Despoti, cuius vxorem in matrimonio habebat, excœcato, domum redijsse. Ideo ipse Albertus etiam Budam reuertitur. In itinere ex immodico vsu peponum in dissenteriam incidit, & cum nihil reueritus vim morbi, Viennam in patriam proficiscereturur, in itinere 27. Octobris in pago, qui longus dicitur, expirauit, Princeps præstans omnibus virtutibus heroicis, & qui toti Europæ prodesse potuisset, si Deus ipsi longiorem vitam tribuisset.

Albertus Cæsar moritur in Pannonia.

INTERREGNVM.

TEmpus à mortuo Alberto vsque ad annum Christi 1453. quo Ladislaus posthumus regnare cœpit, nomino interregnum: Quia & Rex puer à regno aberat, & nullus erat gubernator Sileſiæ, cuius magna esset autoritas. Ideo tunc fuit status miserabilis huius Prouinciæ, sicut plurimum semper solet esse mali in ἀναρχίᾳ. Affligebatur autem Silesia duplici malo, latrocinijs domesticis, illisq; grauissimis, & simul excursionibus Polonicis. Graues enim erant inimicitiæ inter regnum Poloniæ & Silesiam. De illis igitur euentibus pauca sunt dicenda.

Extincto optimo Rege Alberto, in vtroq; regno, Hungariæ & Bohemiæ magnæ fuerunt disputationes & dissensiones de electione. Hungaris imminebat potentia Turcica, quæ indies maiores accipiebat vires, & iam adeptus erat regnum Amurathes Tyrannus acer & fortunatus. Ideo Principes regni, inter quos iam inclarescebat Huniades, iudicabant quærendum esse regem, qui tutò Tyranno Turcico posset opponi.

Elizabetha vidua Alberti grauida, orabat vt electionem differrent, donec ipsa peperisset: tandem persuasa precibus potentum, assensa est, vt vocaretur ad regnum Vladislaus Polonus, cuius opes erant magnæ, & ipse robore animi etiam excellere videbatur. Legatis autem expresse mandata data sunt, vt, si regina Elizabeth, re nondum transacta, marem enixa fuisset, ipsi omisso toto negotio in Hungariam redirent. Sed quamuis Vladislao Cracouiæ nunciatum

Elizabetha uidua Alberti postulata & res gestæ.

ciatum fuit, reginam peperisse filium Ladislaum, cui proculdubio ex iure successio in regno debebatur: tamen Vladislao, etiam reclamantibus quibusdam ex nobilitate Polonica, hortatores fuerunt Hungari, vt progrederetur: Et probabat hanc electionem etiam Huniades: Quia iudicabat Turcis, minantibus excidia toti orbi Christiano, opponendum esse virum fortem & potentem, præsertim cum deinde putaretur inueniri posse ratio, qua regina placaretur, & posthumus ipse etiam ætate iam adulta regnaret.

Ladislaus Posthumus nascitur.

Natus est vero Ladislaus Posthumus anno 1440. in Principio quadragesimæ. Elizabeth mater coronam regni Hungariæ, quam singulari quadam arte adepta fuerat, infanti die Palmarum in cunis imposuit, & cum Vladislaum venientem cum exercitu meueret, infantem cum corona misit educandnm & custodiendum ad Fridericum Austriæ Archiducem, qui recens in Cæsarem Romanorum erat electus.

Ladislao imponitur corona in cunis.

Similes erant motus in Bohemia: Proceres post longam disceptationem, vocarunt ad regnum Albertum Bauariæ Ducem, cuius tanta fuit virtus, vt legationi Bohemicæ, offerenti ipsi amplissimum regnum, responderet: Non se spoliaturum infantem Ladislaum suo auito regno, & Patrimonio. Diuinam enim vocem, & exempla omnium ætatum docere, tragicas pœnas talem perfidiam sequi: & præterea prohiberi sese autoritate Cæsaris, qui hoc vetuerit. Fridericus etiam Cæsar, & regnum & regni gubernationem recusauit. Tandem igitur decretum est regnum Ladislao, & interea constituti sunt duo gubernatores, Mainardus, ad quem respiciebant Pontificij, & Ptarsco, quem sequebantur Hussitici. Sed illa concordia non fuit diuturna: superato & capto Mainardo, vniuersa potestas translata est ad Georgium Podiebracium, qui Ptarsconi defuncto successerat. Is autoritate Regia deinceps summæ rerum præfuit, & Ecclesias Hussiticas defendit. In Silesia tamen nullum fuit eius imperium, sed ordines singuli in suos regnabant, etsi Ladislaum pro Rege agnoscebant, & pro eo cum Polonis inimicitias exercebant.

Ladislaus renunciatur rex Bohemiæ.

Eodem anno Vladislaus Polonus ingressus est Hungariam cum maximo splendore: duxit secum opes ingentes, quas in suos effudit: post multam disputationem, in Alba regali coronatus est: & Corona Caluariæ S. Stephani detracta ipsiq; imposita est: quod tunc etiam prolomine funesto pleriqúe acceperunt. Sed paulò pòst multi ex ordinibus, quos prius terruerant arma Vladislai, rursus ad partes Ladislai sese conuerterunt: & nisi fortitudo Huniadis Vladislaum defendisset, in graues calamitates incidere potuisset.

Vladislaus Varnensis occupat regnum Hungariæ.

In illis excursionibus, quibus Huniades exercitus reginæ Elizabethæ reprimebat, primum celebre nomen militiæ adeptus est. De familia eius non cõstat. Certum est eum natura fuisse ex nobili

Huniades defendit Vladislaum Varnensem.

muliere

muliere Græca, patrem autem, ex fama constanti, habuit Sigismundum Cæsarem: Etsi aliqui dicant, fuisse eum nobilem Valachum. Reginam tuebantur & iuuabant Germani, Austria, Morauia, Silesia, & aliqui Hungari, quibus grata erat memoria regum, Sigismundi & Alberti. *Huniadis genus.*

Fuit ex præcipuis ductoribus Iohannes Giscra Bohemus, cui, memorabili exemplo, post aliquot annos à Ladislao, sextum agente ætatis annum, gratia habita est. Impetrauerat ab Imperatore Giscra, vt sibi liceret inuisere & alloqui suum regem, ad quem cum deductus esset, dicitur ruisse in amplexus pueri, & dixisse: Video & teneo nunc tandem te mi Rex. Vtinam scires, quos pro te susceperim labores, & qualia vulnera pro te mihi infligi passus sim. En testantur de mea fide istæ cicatrices, patri tuo tibique vitam deuoui. Nulla fortunæ commutatio meum erga te animum immutabit, sola mors me tibi auferet. Sed tu hæc per ætatem nondum intelligis, & subridens: Quale igitur à te præmium mei fidei accipio? Et quale das tuo militi stipendium? Ladislaus puer, miratus sermonem viri, & iam ex generosa indole amans virtutis, circumspexit, ecquid inueniret muneris digni suo milite. Arripuit tandem crumenam pendentem de paxillo, in qua Oeconomus seruabat argentum, quod solebat inter inopes distribuere, ex illa extraxit nummulos sex, neq; enim reperiebat plures, eosq; Giscræ donabat, quos ipse auro obductos, pro documento regiæ liberalitatis, deinceps ex collo gestauit. *Iohannes Giscra Bohemus.*

Eodem tempore inciderunt & alij motus. Nam Concilium Basilienſe Papam, qui sese autoritati concilij anteferebat nec illi parebat, loco mouerat, & elegerat Amadæum Sabaudiæ ducem, qui religionem ingressus fuerat, eumq; nominauit Fœlicem. Vterq; Pontifex suffragia in Europa colligebat, pro stabiliendo suo loco. Sed quia Fridericus Cæsar motus reuerentia erga Ecclesiam Romanam, Eugenij partes sequebatur, ideo Silesia & omnes vicinæ Prouinciæ eundem pro legitimo Pontifice agnoscebant, & paulò pòst Basilienſe concilium dissipatum est, cum Monarchæ illud non defenderent.

Fœlix sua sponte Eugenio loco cessit: Academia tamen Cracouienſis edito publico scripto confirmauit, concilij autoritatem potentiæ Romani Pontificis esse anteferendam. Ipse etiam Aeneas Syluius, qui tunc erat scriba Concilij Basilienſis, eandem defendit sententiam, & impugnauit tyrannidem Pontificum, qui tollerent iudicia ex Ecclesia: sed postea euectus ad Pontificatum, anathemate percussit omnes, quicunq; negarent Pontificem concilio esse superiorem. Ita Christo per ludibrium in hoc mundo purpura inijcitur, & opinio religionis ad affectus hominum inflectitur. *Cracouienſis Academia defendit concilium contra Pontificem. Æneæ Syluij ingenium uanum.*

Interea dum in Hungaria Poloni cum Regina litigant & pugnant, Amurathes, vsus illa occasione grauiter oras Pannoniæ de-

Huniades reprimit Turcos.

uastauit: aduersus quem cum missus esset Iohannes Huniades, tribus splendidissimis victoriis Turcos repressit, duobus Bassis interfectis, & tertio in fugam pulso.

Elizabetha uidua Alberti extinguitur.

Anno 1442. cum magno studio partium ageretur de concordia inter Vladislaum & Elizabetham sancienda, & cum inuentæ essent concordiæ rationes, spem pacis repentina mors Elizabethæ interrupit. Fuerat ea cum rege collocuta, reuersa vero domum magnis torminibus ventris intra triduum extincta est. Decessit 24. Septembris die. Retulerunt aliqui ex medicis, correptam eam fuisse vteri inflammatione, & dissenteria pernicioſa: Alij autem suspicati sunt, eam venenum hausisse. Mortua regina, à Bohemis, qui Ladislai partes tuebantur, pax est turbata.

Interea in Silesia perpetuæ erant excursiones Polonorum & Silesiorum, cum magna clade vtriusque gentis, & omnia itinera infesta erant grauissimis latrocinijs, quæ multi ex Principibus superioris Silesiæ fouebant, adeo vt magnæ vrbes ab ipsis occuparentur & vastarentur.

Leonhardus Hassenheimerus Austriacus Dux Silesiorum.

Anno 1442. venit in Silesiam capitaneus Austriacus Leonhardus Hassenheimerus, missus ab Elizabetha, vt esset Dux belli contra Polonos: receptus fuit à Vratislauiensibus, & bonam operam initio in reprimendis Polonis nauauit. Sed interuenerunt domestica dissidia. Nam Conradus Albus Olsnicensis, qui superioribus annis, deserto Rege Ladislao, sese coniunxerat cum Polonis, magnum agmen Polonorum in Silesiam duxit. Vratislauienses impares numero illorum, pacti sunt inducias cum Conrado. Sed suburbia Lignicensia vastata & exusta sunt: sicut & multa ex vicinis locis.

In vniuersa igitur misera hac Prouincia, quæ tota plena fuit multiplici Ate, vix vna fuit benigna Lite, Henricus Freistadiensis, qui multis offensionibus hinc inde medebatur, & suum patrimonium tuebatur. Vratislauiensis etiam ciuitas, sua virtute & sumtu grassatores repressit. Nam alioqui hæc prouincia in aliorum peruenisset manus. Conradus autem Episcopus, cuius erat πολυπραγμοσύνη infelix, multa mouebat, & tantum noua incendia concitabat, & clades suis vrbibus accersebat.

HISTORIA CLADIS Varnensis.

ANno 1443. fuit initium expeditionis in Turcos, quam deinde clades Varnensis est secuta. Etsi autem illæ res gestæ non proximè attingunt Silesiam, tamen, cum sint memorabiles, & toti orbi Christiano communes: Quia etiam Silesia tunc cum regno Hungariæ fuit coniuncta: nos eas breuiter, & explicatè exponemus, secuti

inpri-

inprimis Dugloſſum, qui ea ætate vixit, & floruit, & hiſtoriam planius certiuſque, quam plerique alij, deſcripſit.

Ineunte æſtate huius anni, Nonis Iunij, valido terræmotu concuſſæ ſunt iſtæ regiones omnes, Bohemia, Sileſia, Polonia, & inprimis Hungaria, ita vt magna ædificia & arces paſſim corruerent. Amurathes, etſi ſuperiori anno à ſeptimeſtri obſidione Belgradi, quod Taurinum apud veteres fuiſſe putatur, cum clade repulſus erat, & deinde tribus prælijs legatos ipſius vicerat Huniades: tamen, cum ipſe, vt olim dictum eſt, ignem ſpiraret, maximo ſtudio bellum redintegrauit, ſperans in illa Europæ diſtractione, nullas vires ipſi pares futuras. Ideo miſſa legatione, nulla alia conditione Vladislao pacem offerebat, niſi aut tributum ſolueret, aut Belgradum traderet.

Terræmotus in regno Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ.

Amurathes fruſtra obſedit Belgradum.

Regem adoleſcentem & cupiditate gloriæ flagrantem accendebat iſta Turci ſuperbia, & præterea cohortationes Iuliani Cardinalis, qui miſſus erat ab Eugenio, vt bellum in Turcos concitaret. Decretum eſt igitur à Concilio Hungarico bellum in Amurathem. A Cæſare & Germanis nulla auxilia impetrauit Vladislaus, cui Imperium iraſcebatur propter Ladislaum. Fridericus tamen, ne ſalutem publicam impedire videretur, in biennium cum eo inducias pactus eſt. Opera vero Iuliani confluxit quædam multitudo promiſcua, cui Cardinalis crucem præferebat, pro eius ætatis conſuetudine.

Amurathi denunciatur bellum.

Vladislaum iuuabant Poloni mediocribus cum copijs, quamuis ipſis bellum hoc minime placebat. Egreſſus eſt Rex Buda 22. Iulij, & adortus fines Turcicos, plurima in Bulgaria & Raſcia cepit oppida. Cum obuium poſt aliquot dies exercitum Turcicum haberet, Huniadem cum decem millibus militum præmiſit, is de nocte caſtra Turcica oppreſſit, eáque fœlicitate rem geſſit, vt agmine illo ad internecionem trucidato, dicantur interfecta eſſe ad triginta millia Turcorum: Per Bulgariam deinde ad ipſam vſque Macedoniam penetrarunt. Fauces autem montium Hemi obſederat grandis exercitus Turcicus, duce Carambeio Amurathis propinquo, Aſiæ minoris Satrapa, cui Cæſar ſuus ſerio edixerat, ne in aciem prælij cum hoſte animoſo deſcenderet, ſed itinerum clauſtra obſeruaret.

Vladislai Varnenſis prima expeditio in Turcos.

Huniades magnam ſtragem Turcorum cædit.

Carambeius verò contemta paucitate exercitus Regij, pridie natalis Saluatoris, vltro Chriſtianos aggreſſus eſt. Contracta eſt igitur acerrima pugna, in qua rurſus fortuna & virtus Huniadis enituit. Præcipuè enim opera ipſius totus ille exercitus fuſus & diſſipatus eſt. Carambeium captum à gregario milite, Huniades quadraginta aureis emit, eumque deinde vendidit quinquaginta

Huniades Carãbeium Turcum profligatum capit.

millibus. Rex, quo minus vlterius progrederetur, fame, quæ toti exercitui grauis erat, impediebatur.

Vladislaus Varnensis victor domum regreditur.

Sub initium igitur anni 1444. confectis magnis itineribus cum triumpho Budam rediit. Illectus his lætis initijs belli Vladislaus, omnibus viribus, missis hinc inde legatis ad Monarchas, bellum parauit, & cum factione Ladislai inducias fecit. Interea Amurathes, remittens suos spiritus, pacem ab Vladislao petere constituit. Quia vires ipsius aduersa prælia suorum ducum languefecerant, terrebat eum consociatio etiam armorum inter Christianos Principes, & præcipuè, quia Asiam populabatur Princeps Carmanorum, quem præ omnibus alijs vlcisci cupiebat.

Amurathes petit pacem à Vladislao.

Habuit in conficienda pace adiutorem Despotum exulem, cuius regnum & filios possidebat Turcus: is emollire animum Huniadis, à quo summa rerum pendebat, conatus est: Perfecit vt Carambeius ab ipso maximo precio redimeretur: Deinde ipse Despotus promisit, se daturum Huniadi omnia oppida & arces, quas ex liberalitate regum Hungariæ tenebat.

Huniadem virum fortem & sapientem mouebant non solum præmia, sed consideratio status rerum Hungaricarum, qui erat vehementer perturbatus, & videbat non esse eam coniunctionem Christianorum Principum, quæ Tyranno Turcico posset opponi. Fuit igitur autor suo Regi, vt legatos Turcicos, acturos de pace, audiret.

Amurathes durißimis cõditionibus impetrat pacem à Vladislao.

Admissi sunt ad regem, sedentem in concilio augusta cum dignitate, & pacem re disputata grauissimis cum conditionibus acceperunt. Spondebant enim Amurathis nomine, Cæsarem ipsorum cessurum de omnibus Prouincijs regno Hungariæ contiguis, ad ipsam vsque interiorem Græciam, & redditurum Regi quindecim fortissimas & locupletes vrbes & arces, præterea totam eam regionem, quam Despoto ademerat, vna cum filijs captiuis. Accepit hoc Rex, & pauci sunt illis constituti dies, quibus ista implerent.

Ita igitur pactus est inducias cum illis in decennium: & dicuntur solennia interuenisse iuramenta. Hungari enim positis digitis in codicem Euangelij, Turci autem in Alcoranum suum, iurarunt, sese seruaturos pacem sine dolo. Amurathes confecta vt rebatur pace, subito omnes suas copias in Asiam ad bellum Carmanicum traduxit.

Non multo post præfecti classis Pontificiæ, & ipse Imperator Constantinopolitanus Palæologolus, Vladislao nunciarunt, totum

totum mare Aegeum iam à classe Christianorum teneri & obsideri, nec Amurathi vspiam transitum in Europam patere, eumq; hortantur summis precibus, ne tam pulchram occasionem debellandi Turcum amitteret, sed in Græciam progrederetur. Hanc oportunitatem arripuit Iulianus Cardinalis, qui semper pacem dissuaserat, & instabat, vt Rex bellum prosequeretur.

Iulianus Cardinalis Pontifex & Græci turbant pacem cũ Turca.

Huic, cum honesti homines ex Hungaria, & præcipuè ex Polonia, religionem iuramenti opponerent, & monerent, ne Regem adolescentem scelere inuolueret, respondit is: Recens fœdus cum Turcis esse irritum, quod factum fuerit inscio Pontifice, sine quo Reges alij non possent inire pacta cum hostibus Ecclesiæ. Sese igitur autoritate Pontificia Vladislaum à iuramenti religione absoluere. Præterea Turcos, cum intra diem octauum munitiones, vt promisissent, non reddidissent, fœdus violasse.

Hæc Pharmaca, in speciem modo prudentia, imponi conscientiæ suæ passus est Rex adolescens, quem dulcedo gloriæ, iam degustata, huc illuc impellebat. Huniades difficulter assensus est, sed tandem, ne ipse solus videretur deesse communi causæ, cessit cupiditati Episcoporum, qui fatali cœcitate sine modo bellum vrgebant: & vt fideliorem, magisq; promtam nauaret operam Huniades, promissum est ipsi Bulgariæ regnum finito bello.

Ne autem Rex mutare posset animum, Iulianus ipsum & nobilitatem regni coëgit sub iuramento promittere, quod mense Septembri eius anni inchoare vellent bellum, & exemplum iuramenti illius, quod est terribile, misit ad præfectos classis Italicæ.

Post medium igitur mensis Septembris, Rex castra in Turcos mouit, & exercitum longe infirmiorem quam anno superiori eduxit. Nam præter quindecim millia equitum Hungarorum & Polonorum, erat peditatus non magnus, qui fermè constabat ex militibus promiscuis, cruce signatis. Sparsa enim fama de pace, pleriq; illorum dilapsi erant, multi etiam terrore iuramenti retinebantur. Ipse Rex visus est minus alacer, quàm consueuerat, etsi sacerdotes eum subinde inflammabant.

Vladislai Varnensis altera expeditio in Turcos.

Vladislaus Varnensis habet infirmum exercitum.

Turci, vti conuenerat in fœdere, filios Despoti remiserunt, & munitiones etiam pleraſq; reddiderunt, ne vlla penes ipsos videretur residere culpa. Istrum Rex transijt tertio Nouembris, & constituerat recto itinere petere Hellespontum, vt sese, cum classe Italica, quæ ibi stare dicebatur, coniungeret, quia autem, fauces Hemi superare exercitu minus valido, ipsi erat difficile, de-

flexit ad leuam versus Pontum Euxinum, vt deinde in littore recta descenderet.

Draculæ Valachi colloquium cum Vladislao Varnensi.

Ad Nicopolin Bulgariæ metropolin cum castra haberet, venit ad eum Dracula Valachiæ Princeps, qui cum inspexisset exercitus regij paucitatem: Rex, inquit, scio ego, Cæsarem Turcicum frequentius agmen ad venationes solere educere, quam tuæ istæ sunt copiæ, quibus eum debellare cogitas. Reuertere igitur in tuum regnum, & tibi tuisque parce.

Nihil mouit regem Dracula. Mittam igitur, inquit, ad te filium meum cum militibus quater mille, & simul duos pernicissimos equos, duosq; iuuenes Valachos, fidos & viarum omnium peritos, vt post aduersum belli casum, vnà cum filio meo te periculo eripias.

Rex sermonem Draculæ contemsit, quia fidebat classi. Munitiones quidem Turcicas summa vi adoriri noluit, sed parcebat militibus. Turci tamen, qui multum metuebant Vladislaum, sua sponte arces quasdam tradiderunt, & ipse aliquot etiam expugnauit.

Amurathes redit in Europam.

Interea Amurathes cognita expeditione Regis in Græciam, fremens & gemens, ex Asia cum exercitu 80000. vt tradit Iouius, in Europam mira celeritate sese prorumpit, & Hellespontum, nemine prohibente, paruis nauibus traiecit. De eo traiectu, qui toti orbi Christiano magnas clades attraxit, diuersæ sunt narrationes: Putant aliqui, hoc accidisse ex negligentia Italorum, aliqui etiam memoriæ prodiderunt, Genuensibus in singula capita singulos aureos datos, vt Turcos transportarent. Quocunque autem modo res cecidit ea, siue socordia, siue perfidia, præcipue Tyrannidem Turcicam, qualis nunc est, stabiliuit.

Italicæ classis segnicies perdidit Vladislaum.

Vladislaus capit Varnam.

Fuit hoc cito nunciatum Regi, is tamen magno animo institutum suum prosecutus est, & properauit Constantinopolin, vt cum Paleologo sese coniungeret, Die 9. Nouembris dedita ipsi est Varna, quæ aut Anchialos, aut Dionysipolis veterum fuit, & vix viginti miliaribus nostris Constantinopoli abest, non procul à littore Ponti Euxini.

Cœpit statim Vladislaus Varnam munire, Sed decimo Nouembris sub ortum solis nunciatur iam conspecta esse castra Turcica, & hostes ad prælium progredi. Subito igitur per castra denunciatur prælium, & rege ex abscessu pedis laborante, Huniadi datur negotium instruendi aciem. Machinæ bellicæ, in quibus futurum erat maximum ad victoriam momentum, exercitum non erant consecutæ.

Instruxit

Instruxit Huniades aciem ad figuram Lunæ falcatæ, eamq; curribus & impedimentis clausit. Expectatum est in campo ad tres horas consistentibus suo ordine militibus, interea vehementes flatus Caurorum cœlo sereno orti, signa quæ in terram defixa stabant, abripuerunt, & concerpserunt: quod pro tristi omine statim acceptum est. *Varnense prælium antecessit omen infaustum.*

Turci circumductis copijs suis per montes, agmen dextrum, vbi Episcopi cum suis Hungaris consistebant, aggressi sunt, quorum equi cum territi essent à Camelis, qui odore inimico solent esse graues equis, effusa fuga ad montes trepidè dilapsi sunt. Sed in altero cornu melior erat fortuna. Nam Huniades & ipse Rex, Turcos latè profligarunt & submouerunt: demum conuersi ad alterum cornu, vbi adhuc Iulianus Cardinalis cum paucis pugnabat, etiam hostem dissipant, magna multudine trucidata. *Varnense prælium.*

In hoc rerum statu, Huniades fugientibus nullum locum respirandi concedens, acriter eos persequitur, interea Rex adolescens cum parte copiarum non magna, in qua præcipua erat nobilitas Polonica, dissipato equitatu Turcico, inuadit Phalangem pedestrem Ianizerorum, vt nominant, in qua constiterat ipse Amurathes, & suos trepidos ex fuga recipiebat: neque videbatur periclitari velle de summa rerum, cum de victoria iam desperasset: Huniades, audita infœlici temeritate regis, magnis precibus eum frustra reuocat, & obtestatur, vt postquam satis gloriæ partum esset de hoste, aliqua ex parte superato, reciperet sese in castra. Suos enim dissipatos & defessos, non futuros pares robori Amurathis. Respondit Rex animosius quam cautius: Turpe esse illi, qui bellum intulisset, fugere. *Vladislaus Varnensis in principio pugnæ fuit superior.*

Adortus igitur Amurathem, contraxit cum eo acerrimam dimicationem, & quamuis equitum non magnus erat vsus propter imbrem sagittarum, quibus equi configebantur, & viæ cuspidibus impediebantur, tamen manus prætoria insignem edidit strage in hostili exercitu, adeò vt tota acies nutare & fugam spectare videretur. *Huniades frustra reuocat Vladislaum præliantem.*

Relatum etiam est, ipsum regem sua manu Bassam Asiaticum magni nominis virum mactasse, atque iudicatum est, tunc victoriam adhuc penes regem futuram fuisse, si Huniadi denuo monenti paruisset, & prælio excessisset. Sed cum nihilo secius in confertissimos hostium cuneos impetum faceret, & tamen sui, sole iam occidente, aut ad prædam, aut ad fugam dilaberentur, circumuentus à globo Ianizerorum, confosso equo periit, cum iam esset crepusculum. Exitum tamen Regis nemo certò retulit. *Vladislaus Varnensis interficitur.*

Nocte sequenti, qua pugnantes oppressi fuerant, vtraq; pars se victam credidit. Et cum Huniades, qui cadauer regis frustra conatus

Huniades colligit reliquias ex prælio Varnensi.

natus erat recuperare, reliquias exercitus per montes in Valachiam duceret, dicitur vnus ex Turcis eos inclamasse : Quo fugitis viri Hungari cum victoria vestra sit: & in castris regijs multi, qui fugam Turcorum conspexerant, regem suum victorem rediturum sperabant.

Episcopi interfecti in prælio Varnensi.

Tertio demum die castra capta sunt, edita miserabili cæde promiscuæ multitudinis, mulierum, puerorum, sauciorum. Episcopi ferme omnes, qui primi sese in fugam coniecerant, interfecti sunt. Iulianus Cardinalis, qui diutius restiterat, dicitur se adiunxisse Huniadi, & tamen etiam is, incertum quo casu, ab hostibus an ab amicis in reditu perijt. Narrant eum à Valacho spoliatum, & in flumen proiectum esse. Ex Polonis scribuntur tantum duo euasisse fuga, sed ex captiuis multi domum remissi sunt.

Amurathes adeptus victoriam cruentam.

Existimatum est, ex Christiano exercitu, in pugna non cecidisse supra quinq; millia hominum, cum Turcorum supra triginta millia perijssent, adeò vt ipse Amurathes dixerit, actum de se fore, si iterum hoc modo esset vincendum. Ex nostris tamen maior pars in longa fuga extincta est, nec effugisse putatur tertia pars. De Polonis captiuis memorabilis refertur hæc historia.

Varnense prælium secutum est memorabile factum.

Delecti fuerunt ex omni numero captiuorum, duodecim ingenui adolescentes Poloni, forma corporis, & pulchra carnositate eximij, illi secernebantur, vt circumcisi seruirent fœdæ libidini Tyranni. Deducti fuerunt in cubiculum, & cum intellexissent, qualis esset futura ipsorum conditio, in necem Amurathis coniurarunt, sed cum in societatem parum caute adhibuissent quendam Bulgarum, ab ipso sunt proditi. Illi tamen, re patefacta, vt crudelibus supplicijs, quæ in ipsos statuebantur, sese eriperent, foribus cubiculi obseratis, intus mutuis vulneribus sese confecerunt.

Varnensis clades fuit pœna violatæ fidei.

Hæc est illa clades Varnensis, post quam robur Christiani nominis Turcis cœpit esse despectui, & subinde crescente potentia Turcica, vicinorum regnorum ruinæ & interitus secuti sunt. Statuerunt autem, illa etiam ætate, pij & prudentes homines, hoc triste exemplum iræ Dei referendum esse ad has comminationes diuinas: Non habebit Deus insontem eum, qui vanè vsurpauerit nomen eius. Item: Væ qui spolias, quia spoliaberis.

Attraxerunt Regem adolescentem & imperitum in alienum patrimonium Hungari. Deinde contra datam fidem sub graui obtestatione nominis Dei, & imprecatione diuinæ iræ, rupta sunt fœdera, cum canerent classica sacerdotes, Cardinalis & Episcopi, ideo secutus est tam tragicus exitus, & ipsæ tubæ belli, vna cum rege & exercitu interierunt.

Scribitur

Scribitur Amurathem, in primo prælij concursu aspicientem statuam crucifixionis Christi, quam pro signo circumferebat Cardinalis, alta voce inclamasse: Crucifixe, si Deus es, effunde iram tuam in populum tuum, qui iuramentum sub tuo nomine factum, scelerate violant. Ipse Rex cum caderet, vix dum excesserat annum vigesimum. Indoles in ipso fuit mirifica ad omnes magnas virtutes, sed in illa ætate, cum regeretur aliorum consilijs iniustis & pernicijosis, & ipse nimis auidus esset gloriæ, incidit in hanc tam tristem calamitatem.

Amurathis uox in prælio Varnensi.

Vladislai Varnensis ætas & ingenium.

Eodem anno memorabile prælium ad Basileam factum est. Nam Delphinus Gallicus, incitatus à Romano Pontifice, ad dissipandam Synodum Basilienſem, exercitum viginti millium, qui plerique fuerunt collecti ex Armoricis, ad mœnia Basileæ adduxit. Etsi autem dilapsi sunt Episcopi, qui ad Synodum conuenerant: tamen Gallicus exercitus, qui in illa tota ora Germaniæ magnam crudelitatem exercuit, pœnas dedit.

Heluetiorum pugna ad Basileam.

Nam cum subito ex obsidione Tigurina, quatuor millia Heluetiorum accersita essent, ab hoc exercitu exiguo magna multitudo Gallorum interfecta est. Fuitq; tanta virtus Heluetiorum, vt, quanquam numero longè impares essent hostibus, tamen non cesserint, sed in prælio omnes pugnantes interfecti sint, præter nouem viros. Nec aliud exemplum legimus similius pugnæ Spartanorum ad Thermopylas.

Accidit & alius casus memorabilis. Nam cum postridie in loco prælij obambularet nobilis quidam, hostis Heluetiorum, & videret quendam ex suis lethaliter vulneratum ibi animam agere, monuit eum, vt læto animo tolleraret lotionem eam rosaceam, significans cruorem Heluetiorum copiosè fusum. Hunc sarcasmum cum exaudiret miles Helueticus, qui prope in eodem loco morie-batur, subsidens in genua saxum arripuit, eoq; caput nobilis illius fregit, ita vt paulò post etiam expiraret. Nunc reuertimur ad res Silesias.

Vagabantur in Silesia, præsertim superiori, magna agmina latronum Bohemicorum, Polonorum, & indigenarum, quibus sese coniunxerat Conradus Albus Olsnicensis, illi grauiter vexabant oppidanos & agricolas. Respub. Vratislauiensis fœdus fecit cum Vilhelmo Tropauiensi, qui tenebat etiam ducatum Monsterbergensem. Multas arces, occupatas à prædonibus, expugnarunt, & diruerunt anno 1443.

Silesia afflitgitur à latrocinijs.

Anno proximè sequenti, Conradus Episcopus, fratrem Conradum Album, qui iuuabat hostes Silesiæ, captum Vratislauiæ, misit Nissam, & tandem dimissus est, cum interuenisset grauis sponsio de seruanda pace. Sed tamen idem Conradus paulò pòst ad ingenium suum redijt. In Polonia minori belligerabatur Boleslaus Opolienſis, cuius fuit magna autoritas, & iuuabant eum vicini

Principes,

Principes. Causa belli erat, quod Sbigneus Cardinalis Cracouiensis, pecuniæ summa non magna, arte quadam vsus, ad se transtulerat agrum Seuerienſem in ditione Teschinensi.

Anno igitur isto Boleslaus mercatores Cracouienses ituros ad nundinas Vratislauienses ad diem nati Baptistæ oppressit, illisque ducenta millia aureorum ademit. Demum Rege interfecto fuit conuentus in Glogouia minori, & ibi inita aliqua pax quæ tamen non fuit diuturna.

Huniades captus à Dracula.

Anno 1445. in Hungaria res perditæ, seruatæ sunt Dei beneficio, & virtute vnius Huniadis. Huniadem reuertentem ex pugna Varnensi, ceperat Dracula Valachus, & tamen eundem paulò pòst dimisit. Huniades domi collectis, quas potuit, copijs, Turcos, qui inuaserant Pannoniam, ad Sauum fluuium nocturno prælio ingenti vicit & deleuit, atque ita eripuit Amurathi spem potiundi regni Hungariæ. Repressit etiam Vlricum Comitem Ciliæ, qui Prouincias aliquas Sclauonicas, pertinentes ad regnum Hungariæ, ad sese transferre conabatur.

Huniades rursus reprimit Turcos.

Deinde eo in conuentu, quo Hungari Ladislaum puerum regem suum nominarunt, Huniades ab omnibus ordinibus appellatus est Prorex Hungariæ, & statim post infidum Valachum, qui attrahebat Turcos, bello superatum cepit, & vna cum filio altero interfecit, alteri autem filiorum vitam & libertatem seruauit. Vere igitur fuit murus Christiani orbis illo difficili tempore.

Huniades renũciatur Prorex Hungariæ.

Huniades interficit Draculam Valachum.

In Silesia Conradus Episcopus Vratislauiensis, cùm iniquitate temporum, & infaustis bellis oppressus, maximam partem Episcopatus amisisset, aut valde debilitasset, volens cessit ea dignitate, & non multo pòst mortuus est: Ei succeſſit Petrus, quem nominant Nauacum: ea res præbuit occasionem nouo motui. Nam cum Principes, qui ipsi maluissent induere exuuias Conradi, dolerent prælatum ipsis esse alienum, Vilhelmus Tropauiensis arma conuertit in bona Episcopi, & paucis diebus ferme totam ditionem deuastauit. Tandem eodem anno, post clades acceptas, Vilhelmus reconciliatus est collegio sacerdotum, opera Vladislai Glogouiensis Principis.

Anno sequenti in Nouoforo oppido, mandante Senatu Vratislauiensi, capitali supplicio affectus est Leonhardus Hassenheimerus Dux copiarum Vratislauiensium, accusatus propter perfidiam & proditionem à suo magistratu. Propter eam causam Vladislaus Glogouiensis & Teschinensis denunciauit bellum Vratislauiensibus, illosque grauiter afflixit. Sedata est hæc controuersia triennio post à Petro Episcopo. Ita vere misera fuit conditio harum regionum, quarum Rex puer erat.

Leonhardus Hassenheimerus plectitur capite.

Vladislaus Glogouiensis infert bellum Vratislauiæ.

In Po-

In Polonia Vladislao succeſſit Caſimirus frater, etſi diu fuit tergiuerſatus, antequam acciperet regnum, vt à Polonis aliquid extorqueret pro Lithuanis, quibus fauebat. Anno 1448. in Hungaria infœliciter cum Turcis dimicauit Huniades.

Caſimirus Tertius accepit regnum Poloniæ.

Amurathes inuadebat Hungariam, illi vltro obuiam cum exercitu 22000. proceſſit Huniades, qui perpetuò erat in excubijs pro ſuo regno, & tunc oblata videbatur noua occaſio rei bene gerendæ. Nam fœdere coniunxerat ſeſe cum Huniade Alexander Princeps Epirotarum, quem Turci Scanderbaſſam appellarunt, vir acerrimus, & præliator fœlix contra Turcos: ita vt ab initio regni Turcici non legantur vixiſſe viri, quorum fuerit virtus & fortuna maior in reprimendis Turcis, quàm fuerunt iſti duo, Huniades & Alexander.

Huniades ſuperatur à Turcis.

Alexandri Scanderbaſſæ uirtus.

Tunc autem ad conſtitutum diem adeſſe non potuit Alexander. Quia Georgius Raſciæ Deſpotus, qui poſt cladem Varnenſem Amurathi fuerat reconciliatus, eiuſque beneficio ditionem ſuam recuperauerat, eum impediebat. Huniades tamen nihil formidans vim hoſtilem, conflixit cum Amurathe toto triduo. Tandem autem multitudine ſuperatus ceſſit.

Ceciderunt ex Hungaris Octo millia, ex Turcis triginta quatuor millia. Adeo cruenta fuit victoria Turcorum. Huniades fugiens interceptus eſt à Deſpoto, nec dimiſſus eſt, priuſquam pro ſe daret obſidem filium Ladislaum, quem tamen pater paulò poſt bello repetijt & recepit.

Huniades capitura Deſpoto.

Cum vero Turci, irati Deſpoto propter dimiſſionem Huniadum, inuaderent Raſciam armis, Huniades ſubito collectis copijs, eos ita terruit, vt ignominioſa fuga domum dilaberentur. Ita verum eſt, ſolam eam dextram, quam Deus heroica virtute & fortuna armat, eſſe fortunatam. Amurathes eodem anno mortuus eſt, & reliquit ſucceſſorem, terribilem generis humani tyrannum, Mahometum filium. Huniades non multo poſt reconciliatus eſt Cæſari Friderico, cui indixerat bellum, quod coronam regni Hungariæ, & Ladislaum Regem retineret apud ſeſe, cum puer, importunis poſtulationibus regnorum ſuorum omnium, expoſceretur.

Huniades uincit Turcos.

Mahometus incipit regnare.

Cæſar Huniadi, qui Auſtriæ oram vaſtauit, ignouit, Sed Ladislaum non dimiſit, cum hauddubiè præuideret & metueret euentum, qui poſtea ſecutus eſt. In Sileſia propter mutationem monetæ multum fuit diſſenſionum. Cudebatur enim

fermè in omnibus ciuitatibus moneta, eáque vilis, ideo Poloni eam non recipiebant, & impediebantur commercia.

Vrbs autem Vratislauiensis, cuius magni referebat, habito delectu, multarum ciuitatum & Principum monetam edicto publico vetuit expendi, vnde per multos annos ea de re litigatum est. Conradus Albus Olsnicensis pater à filio Conrado Albo iuniori vnà cum matre captus est, opera quorundam ordinum in Silesia, quia erat in odio, quod coniungeret sese cum Polonis contra Silesiam. Tandem intercedentibus Episcopo Petro, & Vladislao Glogouiensi, ex carcere dimissus est, cum filio omnem suum Ducatum cessisset, atque ita Vratislauiæ vitam suam finijt.

Ladislaus puer Romæ coram Pontifice perorat.

Anno 1452. profectus est in Italiam ad suscipiendam Coronam à Pontifice Cæsar Fridericus, qui in suo comitatu duxit Ladislaum Regem: is cum esset puer duodecim annorum, Romæ coram Pontifice Nicolao recitauit longam orationem Latinam, qua prædicabat dignitatem Romani Pontificis, eáque adhuc extat.

LADISLAVS POSTHVMVS,
Hungariæ & Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ, Princeps Silesiæ.

GRaue erat omnibus Prouincijs Ladislai, regem detineri in aula Cæsaris: & sperabant, futurum meliorem statum omnium regnorum, si ipse Rex sua præsentia turbulentos teneret. Sed Cæsar nullo pacto adduci potuit, vt puerum in ea ætate alienæ fidei crederet, & præceptorem Ladislai, virum alioqui eruditum, qui in itinere Italico, conatus fuerat furtim Regem abducere in sua regna, deprehensum, in carcerem conieccrat.

Ladislai Præceptor conijcitur in carcerem.

Ladislaus dimittitur à Cæsare Friderico.

Cæsari autem reuerso ex Italia, Austriaci, quorum princeps erat Vlricus Ciliæ Comes, bellum ob detentionem Ladislai intulerunt, ibi cum aliquas clades accepisset Cæsar, interuenientibus Germanis Principibus, Ladislaum Viennam ad suos dimisit, illiqúe Austriæ parte, quæ in hæreditatem ipsi obuenerat, cessit: Eo nomine Vratislauiæ, sicut & alibi, publicè edita sunt spectacula & ludi in signum lætitiæ facti.

Ipse

Ipse Ladislaus totum sese tradidit potestati Vlrici Comitis Ciliæ. Gubernator vero Hungariæ renunciatus est Huniades, quem Rex noua dignitate ornauit, & appellauit eum Comitem Bistirciensem. Bohemiam autem regendam tradidit Georgio Podiebracio, atque ita quasi triumuiratus in regno isto constitutus.

Sed anno proximo post orta est Vlrico Comiti Ciliæ calamitas in aula. Nam cum imperium eius esset graue nobilitati Austriacæ, & passim accusaretur ob auaritiam inexplebilem, singulari arte, apud Regem adolescentem, egentem tunc auro, perfectum est, vt iuberet Comitem ex aula emigrare, atque is ita paulò pòst cum ignominia aula & vrbe eiectus est. *Vlricus Ciliæ comes ex aula eijcitur.*

Anno 1453. capta est Constantinopolis 29. Maij à Mahometo Cæsare Turcico Tyranno omnium acerrimo. Anno superiori vicerat idem Mahometus regem Carmanorum in Cilicia, vbi olim etiam habitasse putatur gens Teutonica, & illi ipsi Carmanni diu ac fortiter arma Turcica sustinuerunt. Subactis Carmanis, Mahometus pacem, quam cum Imperatore Constantinopolitano pepegerat, subito abrupit, & instructa classe, & ædificata arce in ora Propontidos, vt vsum maris Græcis eriperet, aspirabat ad occupandam Constantinopolin. Prorupit eò cum paucis nobilibus, despecta classe Turcica, Isidorus Cardinalis Kiouiensis, vt Paleogolum suo aduentu confirmaret. *Constantinopolis expugnatur.*

Hoc verò anno Mahometus vrbem, terra mariqúe diu obsessam, tandem proditione, vt scribitur, Gertucæ hominis Græci (quem ipsum tamen, detestatus perfidiam eius, Mahometus postea diro affecit supplicio) expugnauit. Vbi, necato Cæsare Græco, inenarrabilia exempla impietatis, blasphemiarum & crudelitatis in Deum & hominem edita sunt.

Ita ista vrbs, quæ amplius mille annos fuit hospitium Ecclesiæ, sedes eruditæ doctrinæ, & arx Imperij, peruenit in potestatem barbari, qui intra proximum decennium, inde non solum Græciam, Peloponnesum, Mytilenen occupauit, Athenas captas solo æquauit: Verum etiam in Asia, alteram arcem Imperij Trapezuntem cepit. Hoc modo magna ex parte deletæ sunt Ecclesiæ Græcæ & Asiaticæ, & extincta studia in ea natione, quæ ingeniorum sagacitate cæteris gentibus omnibus antecelluit, & in possessione doctrinæ fuit amplius duobus millibus annorum. *Græcia redigitur in seruitutem Turcicam.* *Trapezuntinum regnum euertitur à Turcis.*

Exules Græci literas & Philosophiæ studia importarunt in Italiam: deinde, vt ille senex Græcus scitè de Capnione dixit,

Ladislaus Pragæ accipit coronam.

etiam Alpes Græcia transuolauit, & studia in Germania quoque accensa sunt. Ladislaus Regia pompa Pragam ingressus est 24. Octobris: Corona regni imposita est ipsi die Apostolorum Simonis & Iudæ.

RES LIGNICENSES.

LIgnicij hisce annis fuit status admodum turbulentus. Vidua Elizabetha educabat in spem successionis nepotem Fridericum, natum anno 1446. ex filia Heduige, sed huic consilio multi ex Lignicensibus aduersabantur, & cum ipsa decessisset anno 1450. plane repudiatus est vterq; Princeps, Iohannes Lubensis Friderici pater, & Henricus Goltbergensis. Electo igitur Iohanne Lubense, ciuitas iurauit in verba Ladislai Regis Bohemiæ.

Fridericus Primus post magnos motus recipit Lignicium.

Facta est deinde spes Principi Misniæ de possessione Ducatus Lignicensis, & varij secuti sunt motus intestini & alij. Iohannes Lubensis armis conatus est recuperare Lignicium, sed anno 1452. die Ruffi mediocri prælio victus & pulsus est, & anno sequenti post, mœrore animi extinctus.

Anno deinde 1454. Senatu obtruncato per seditionem, & expulso præfecto regio, reductus est Fridericus cum matre, & tamen nulla fuit firma concordia, donec tandem à rege Mathia, opera Alberti Marchionis Brandeburgensis, Fridericus possessionem vniuersi Ducatus consecutus est.

Iubilæus celebratur in Sisia.

Vratislauiæ anno 1451. Fuit Iubilæus Pontificius, quia Papa illectus quæstu superioris anni, vt plus emungeret, nundinas indulgentiarum his gentibus domum misit, ea conditione, vt mediam partem viatici, quod quilibet arbitrari posset, se insumturum fuisse, si Romam proficisceretur, poneret in arcam. Tanta tunc fuit impudentia Romana, & caligo Germanica.

Iohannes Capistranus hypocrita.

Venit etiam in Germaniam Iohannes Capistranus Monachus, quem nostra & Polonica gens penè viuentem adorauit. Consilium autem Pontificis fuit plenum calliditatis. Videbat Ecclesias Bohemicas nulla potentia posse opprimi, & cum illæ adeptæ essent patronum potentem Georgium Podiebracium, qui Regio nomine & autoritate præerat, metuebat ne serperent dogmata ipsorum ad vicinos, præsertim cum ex decreto Concilij Basilienſis, vsus sacri calicis, populo illi esset permissus, quod ægerrimè ferebat aula Romana, & quidem in Silesia superiori, & in Polonia minori iam multi erant æquiores Bohemis quam Pontificijs.

Delegit

Delegit igitur Capistranum, vt is mirabili specie sanctimoniæ, & promta facundia, quasi Gorgonis capite has gentes imperitas tum artium Italicarum, terreret, & in officio contineret. Profitebatur is se socium instituti cuiusdam Bernhardini Senensis, qui monachos Franciscanos, diffluentes nimio luxu, ad veterem rigorem reuocauerat, adhibitis multis exercitijs asperis & superstitiosis, illum Pontifex catalogo Sanctorum recens adscripserat, & Capistrano mandauerat, vt vbicq; in Germania colonos huius nouæ professionis sereret, quæ futura esset propugnatrix autoritatis Pontificiæ.

Iohannes Capistranus plantauit Monachos in Silesia.

Detinebat Capistranus, qui plerumq; in area publici fori diserebat, homines tanquam alter Hercules Gallicus, cui pinguntur catenulæ porrigi ex lingua, quibus auditores etiam nolentes attrahat, ita vt duas horas eum audirent concionantem lingua latina, quem eius sermonem alius deinde rursus duas horas lingua vernacula interpretabatur.

Iohannis Capistrani concliones.

Conciones ipsius erant aut de controuersia cœnæ sacræ, quæ erat Pontificijs cum Bohemis, vbi contendebat magno studio, non esse necessarium laico, vt nominant, vti poculo sanguinis Christi, aut hortabatur populum ad emendationem vitæ, grauiter accusatis sceleribus hominum.

Actum fuit de colloquio inter ipsum & Rochezanam Episcopum Bohemum, sed illud rursus arte quadam fuit discussum, quia apparebat Bohemos non admirari illam grandiloquentiam & hypocrisin Italicam. Vratislauiam venit anno 1453. 13. Februarij, & duxit secum monachos sui ordinis triginta. Inuectus est acriter in peccata hominum. Voluit aboleri ludos alearum, & vbique tabularum illarum magnos aceruos exussit. Inuisit etiam Suidniciam & Laurauiam.

Intulit autem in Silesiam duas res non bonas: Primum monachos Bernhardinos, qui se nominant Obseruantes, illisq; Vratislauiæ, Glogouiæ, & alibi sunt condita cubilia ocij & hypocriseos. Deinde aliud non minus pernicioſum, sæuitiam in Iudæos valde detestandam. Inflammabat magistratum, vt videretur ardere zelo pietatis in illud miserum genus hominum, quibus tandem inuenta est causa, quod diceretur contumelia affeciſſe panem consecratum, cui Pontificij etiam extra vsum institutum corpus Christi alligant. Ibi immani crudelitate totus grex miseræ huius gentis, viri, mulieres, pueri, in omnibus pene vrbibus Silesiæ captus est, & magna agmina sine vlla misericordiæ ostensione ad flammas ducta, & crudeliter combusta.

Iohannes Capistranus sæuit in Iudæos.

Lignicij, cùm vrbs arderet, multi Iudæi in carcere cremati sunt. Bona eorum illata sunt in ærarium publicum, & inde missa munera ad regem Ladislaum. Durauit hæc sæuitia amplius anno, tandem vero magistratus Vratislauiensis resipiscens, reliquam

turbam exemtam ex carcere vrbe excedere cum rebus suis permisit. Existimari potest etiam hac immanitate attractas esse pœnas publicas, quæ paulò pòst in illis infœlicibus bellis, Silesiam peruagatæ sunt. Iniustas enim cædes, præsertim promiscuas, Deus seuerissimè punit: & quamuis hæc gens blasphema est, tamen magistratus ab initio non debet illis præbere domicilium in suis regionibus, non autem postea contra ius hospitij, & pacem Politicam eos mactare.

Iudæi non sunt recipiendi à magistratu.

Ladislai soror nubit Casimiro regi.

Eodem anno splendidæ fuerunt legationes duorum Regum, Ladislai & Casimiri Vratislauiæ, post longam tractationem 20. Augusti soror Ladislai Elizabeth Casimiro cum dote centum millium aureorum, in vxorem promissa est. Legati isti secum abduxerunt Vratislauia Capistranum, quem magnis precibus accersebat Sbigneus Cardinalis Cracouiensis. Aduentanti ipsi Cracouiam, Rex, Cardinalis & tota vrbs tanquam numini, obuiam processit, & cum ad vnum annum ibi commoraretur, prope diuini honoris illi sunt habiti.

Iohannes Capistranus proficiscitur in Poloniam.

Tantum illi tribuebatur, vt scribatur etiam mortuos resuscitasse Ita animos hominum terrere & quasi fascinare solet opinio singularis cuiusdam sanctitatis, & quasi arctioris commercij cum Deo: sicut olim in vetustate ethnica legumlatores autoritatem sibi apud populum conciliarunt, quod existimarentur habere colloquia cum dijs. Minos cum Ioue, Lycurgus cum Apolline, Numa cum Egeria.

Silesia iurare solet in uerba regis præsentis.

Ladislaus post coronationem Pragæ mansit amplius anno. Decreuerat reuerti ex Bohemia in Austriam, & inde inuisere Hungariam: Sed cum per totum annum frustra cum ordinibus Silesiæ actum esset de præstanda fide, neque illi contra leges patrias iurare vellent, nisi Rex adesset coram, tandem profectio in Silesiam indicta est. Ladislaus Pragæ incensus à Sacerdotibus Pontificijs, etsi ipse fuit ingenio placidissimo, iniquus fuit in Bohemos, qui mutationem in religione fecerant, quæ res ipsi fuit exitio. Nam totum regnum pendebat ex nutu Georgij Podiebracij gubernatoris, qui erat constans propugnator religionis emendatæ.

Prutenici belli semina.

Anno 1454. fuit initium belli Prutenici, quod durauit annos tredecim: illud cum vna attigerit etiam Silesiam, opus est, vt præcipua capita historiæ belli illius referamus. Erat sancita pax ex vtriusque partis consensione inter Polonum & ordinem Prutenicum, sed non erant restincta semina veteris odij, & præcipuè Casimirus captabat qualescunque occasiones, quibus ad sese retrahere posset Prussiam, excussa nobilitate Germanica. Tandem sicut ingenia Heneta, præsertim vbi excoluntur, non obscurè referunt naturam gentis Græcæ, cum qua etiam Heneti vetustissimis seculis in Asia communes habuerunt sedes, mira vafricie inuenta est πρόφασις belli.

Heneta gens ualet ingenio.

Aliquot

Aliquot vrbes in Prussia querebantur de acerbitate Crucíferorum, illisq; aperte cœperunt resistere, & detrectare imperium Magistri, qui tunc erat ipsorum legitimus magistratus. Magister & nobilitas detulerunt querimoniam ad Casimirum, à quo tanquam confœderato opem aduersus seditiosos expectabant. Sed ille non modo non compescuit Prutenos, verum etiam, quod dicitur, fuit vnguis in vlcere: in fidem tamen eos non recepit, quia nondum eiecerant præsidia ordinis. Sequenti autem anno, cum Fridericus Imperator, ad quem reiecta erat cognitio de causa, damnasset Prutenos, tanquam seditiosos, & iussisset eos parere suo magistratui, quinquaginta sex oppida, & munitiones in Prussia simul ab ordine defecerunt, & missis legatis ad regem, qui tunc celebrabat nuptias cum Elizabetha, mense Februario, anno 1454. Pruteni Casimiro deditionem obtulerunt.

Prussica gens discedit à suo magistratu.

Disputatum fuit ea de re in consilio Polonico, & Sbigneus Cardinalis vir ingenuus, quem multi honestiores ex nobilitate Polonica sequebantur, acerrime hanc iniquitatem, quæ erat contra fœdera, dissuasit: sed vicit ratio vtilitatis. Instituta est accusatio in publico cœtu contra Ordinem, in qua commemorantur exempla tyrannidum & libidinum ipsorum, partim vera partim falsa, etsi etiam quidam ex illis sibi sumpserunt licentiam delinquendi non bonam, & ita paratum bellum in ordinem.

Dehortabantur Casimirum ab hoc instituto iniusto Cæsar cum vniuersa Germania, Pontifex, Galliæ Rex, Philippus Burgundus, Ladislaus Rex, & pene tota Europa, orabantq; vt omisso bello ciuili & iniusto, coniungeret arma cum ipsis contra Turcos: sed frustra fuerunt omnes preces. Recepit igitur Prutenos in fidem suam optimis conditionibus, permisit vt vterentur legibus patrijs, & inserti regno Poloniæ fruerentur honoribus & omnibus commodis regni, néue cogerentur tolerare in Prouincia gubernatores Polonos. Aboleuit vectigalia, donauit illis immunitates, & inprimis ciuitati Gedanensi magnam partem agrorum attribuit, quos antea possederat ordo, & solum sibi reseruauit annuam pensionem 20000. aureorum, & vt ciuitas sibi cum comitatu aulico, singulis annis quatridui sumtus præberet.

Prutenis donantur magnæ immunitates à rege Poloniæ.

His rebus ita constitutis in perniciem ordinis Germanorum, quorum maiores gladios barbaricos à ceruicibus Polonorum depulerant, & ciuitates istas sanguine suo emerant, Casimirus exercitum collegit & Prussiam inuasit. Nam seditiosi ciues ordinem, quem superabant multitudine, eiectum ex omnibus vrbibus & arcibus, in Mariæburgum incluserant. Huic igitur occasioni noluit deesse Casimirus, & videbatur facili negocio bellum finiturus. Sed affuerunt ordini in tempore auxilia collecta mercede ex vicina Silesia & Bohemia, quæ ducebant Rodolphus & Balthasar Principes Saganenses: neque tamen ea numerum octo millium excedebant.

Cruciferi superant Casimirum Regem.

Ea manus non magna, 17. Septembris ad oppidum Cunizam cum Casimiro, trahente exercitum numerosissimum, conflixit, & regem nobili clade affecit.

Nam quamuis Rodolphus fortiter dimicans in prima acie cecidisset, captus etiam esset Schombergius, vnus ex præcipuis ductoribus: tamen Balthasar Saganensis animose pugnam restituit, & ipsum agmen, in quo constiterat Rex, in fœdam fugam profligauit. Capta sunt castra regia, referta multis preciosis rebus, & plurimis impedimentis. Quatuor enim millia curruum sunt inuenta.

Venerunt etiam in potestatem ordinis, multi ex præcipua nobilitate, in Polonia minori, qui ab ordine nimis iracundè & asperè habiti sunt, vnde etiam odia creuerunt. Autores defectionis in potioribus vrbibus magno studio bellum redintegrarunt. In Silesia Rex Ladislaus venit Vratislauiam die S. Nicolai, quo die etiam anno 1563. diuus Cæsar Maximilianus Secundus eandem vrbem, celebri cum pompa, aduentu expectatissimo ingressus est.

Ladislaus rex ingreditur Vratislauiam.

Habuit Ladislaus in comitatu suo duos Principes Bauariæ, Vilhelmum & Ottonem, Albertum & Fridericum Marchiones Brandeburgenses, & deinde Principes Silesiæ, & proceres regni maximo numero. Vndecimo Decembris in area publica fori iuratum est in verba Ladislai, agentis tunc annum ætatis decimumquintum. Missa fuit Vratislauiam legatio Polonica, cuius Princeps fuit Iohannes Archiepiscopus Gnesnensis. Rogauerat Ladislaus sororium suum Casimirum, vt ipse accederet Vratislauiam, & esset arbiter inter Ladislaum & Principes Misnenses, qui ambigebant de finibus, deinde vt sedaretur bellum inter ipsum & ordinem Prutenicum. Verum Rex à pace fuit alienus.

Georgij Podiebracij sermo de religione Vratislauiæ.

Die natali Saluatoris missam more Pontificio in æde cathedrali cecinit Archiepiscopus, astante Rege & Principibus: ibi fuisse memorabile colloquium inter Georgium Podiebracium, & quendam nobilem histrionem gratum Regi, refert Aeneas Syluius.

Accesserat ille morio fictus, homo nobilis, Georgium spectantem pompam sacrorum, eumq; huiusmodi verbis affatus est: Vultu quidem satis commodo te sacra nostra aspicere video, sed cogitationum tuarum solus Deus est conscius. Rogo vero te, proloquere, an non speciosa & magnifica tibi nostra videtur religio? Vides ne, vt Rex & tot nobilissimi Principes, concordes sunt in seruandis ritibus Ecclesiæ Romanæ? Cur non igitur potius his assentiris, quam paucis Bohemis, quorum caput est Rochezana, qui suas opiniones recentes consensui tot seculorum antefert?

Georgius, vt vir sapiens, dedit illi responsum valde appositum. Si, inquit, hæc oratio ex tuo cerebro nata est, non es is, quem simulas,

simulas, & tibi tanquam prudenti respondeo: Sin autem alij te submiserunt, audi quod illis renuncies: Oportet Christianum hominem in religione intueri normam scripturæ Propheticæ & Apostolicæ, illudq; sequi, quod conscientia sua erudita & conuicta ex testimonijs diuinæ vocis sibi dictat. Ego igitur, cum Dei beneficio certus sim, doctrinam, quam amplexus sum, esse consensum veræ Ecclesiæ Dei, nec volo nec debeo ingratiam vllius hominis veritatem deserere, aut aliud externo gestu præ me ferre, aliud in corde credere. Nam nec Deus, qui est scrutator cordium, decipi potest, & simulatio falsa histrionem quidem, qualis tu es, decere potest, viro autem nobili fugienda est.

Hæc igitur tibi habeto, si sapis: aut illis referto, qui te subornarunt. Ladislaus profectus est Vratislauia vltimo die Ianuarij, anno 1455. & cum Suidniciam ex itinere diuertisset, in Austriam rediit. Non multo post rursus in aula, magna est facta mutatio. Nam Vlricus Ciliæ comes reconciliatus Regi, eiecit Eizingerum Austriacum, cuius hactenus summa fuerat apud regem autoritas. Tales nimirum sunt Euripi in aulis Principum, & tales fiunt conuersiones fortunæ, quando, vt Pindarus inquit, secundus ventus desinit spirare.

Vlricus Ciliæ comes reuocatur in aulam.

In Prussia vrgebat bellum Casimirus, & cum hyeme prioris anni frustra laborasset, Balthasar vero Saganensis Regium montem Prussiæ, & alia quædam oppida recuperasset, totam Poloniam ad arma vocat, iam instante hyeme. Conuenitur segniter, & sine pecunia, rapiuntur ornamenta templorum, nec tamen conficitur pecunia vltra sex millia aureorum.

Balthasar Saganensis militat in Prussia.

Interposuit deinde sese intercessorem Fridericus Elector Brandeburgensis, sed Casimirus conditiones pacis, quæ suadebant, vt vtraq; pars causam æquo iure coram Pontifice & Cæsare disceptari permitteret, repudiat, neque tamen aliud quid effectum est. Poloni vrgente hyeme domum dilapsi sunt, amissis plurimis equis, gratuiusque socios, quàm hostes afflixerant. Interea Capitanei quidam, quibus Rex stipendia non soluerat, conducta manu latrunculorum ex Morauia & Silesia, latè Poloniam vastarunt.

Eodem anno Sbigneus Cardinalis, vir magnæ dignitatis per Poloniam, decessit. Romæ etiam mortuus est Nicolaus Quintus, qui reliquit thesaurum duodecies centum millium aureorum, comparatum in bellum Turcicum. In Austria Cilianus, qui rursus totum Regem solus possidebat, insidias struebat vitæ viri clarissimi Huniadis, quem sublatum cupiebat, vt ipse eius potiretur exuuijs.

Sbigneus Cardinalis moritur.

Nicolai Quinti Pontificis thesaurus.

Vocatur igitur Huniades Viennam, & parabat ipsi necem Cilianus: sed Huniades præmonitus, ipsum Comitem, non procul à Vienna equitatu suo circundatum, in potestatem redegit & cum eum ob perfidiam & scelera accusasset, tamen incolumem in gratiam regis in vrbem remisit.

Huniades effugit insidias Ciliani.

Anno

Belgradenſis victoria in Hungaria.

Anno 1456. fama terribilis compleuit Europam, Mahometum, collectis omnibus regnorum ſuorum viribus, irruere ad occupanda reliqua regna Chriſtiani orbis, eumq; ſpe ingenti imperium totius orbis terrarum ſibi deſpondiſſe, & iam oræ Pannoniæ ab omni parte ardebant, flamma & rapinis excitatis ab antecurſoribus Turcorum.

Ladislaus, perſuaſus ab Huniade erat profectus Budam, ſed territus impetu aduentantis Turci, cui Hungari videbantur futuri valde impares, ſub ſpecie venationis vrbe egreſſus, Viennam ſeſe abdidit. Friderico Cæſari cum Ladislao non optimè conueniebat, & nulla erat vera concordia inter Principes Germaniæ, quare ab imperio nihil poterat expectari opis. Solus igitur Huniades ſuum & ſuorum corpora aſperrimo Tyranno obiecit.

Iohannes Cardinalis mittit copias uoluntarias in Hungariam.

Iuuit eum agmen voluntarium Germanorum, quos Iohannes Cardinalis, legatus Calixti Tertij, collegerat, & cruce ſignauerat. Capiſtranus etiam properè ex Polonia accurrens 600. ſecum adduxit, Polonos & paſſim in Hungaria concionibus homines ad iſtam piam militiam hortabatur. Interea nunciatur, Mahometum ad obſidendum Belgradum, cum exercitu 150000. hominum, accedere. Eo igitur ſeſe proripiunt, Huniades & Capiſtranus, cui Germani plus fidebant, quàm Huniadi Hungaro.

Erat Belgradum circundatum duplici muro, ita vt intermedium eſſet ſpacium vel pomœrium ſatis amplum. Mahometus, qui ſecum ducebat machinas ſtupendæ magnitudinis, primum murum ſine intermiſſione verberauit, tandemq; diruit, ibi Turci, propoſito ſigno à ſuo Imperatore, confertim truci cum vlulatu ſeſe infundunt: Sedacies Chriſtiana, quæ in illo ſpacio ad murum ſtabat, alacriter eorum impetum excepit, & Huniades cum expeditis cohortibus Hungarorum, omnibus ex partibus prælium inſtaurabat, & laborantibus opem ferebat.

Iohannes Capiſtranus Belgradi prælia-tur in Turcos.

Ex alta vero turri Capiſtranus vexillum crucis vibrans, magna voce Chriſtianos ad fortitudinem hortabatur. Virtute igitur noſtrorum Turci, amiſſis præcipuis ductoribus, extra mœnia pulſi ſunt, ſed rurſus paulò pòſt, vociferante & caſtigante eos ſuo Cæſare irruperunt, & tamen denuò cum clade reiecti ſunt. Poſtea in libero campo atrox contractum eſt prælium, quod cum ad vigeſimam quartam horam vſque duraſſet, vulnere Mahometi finitum eſt.

Mahometus Turcus accipit uulnus.

Nam cum Tyranno ipſi acerrimè dimicanti oculus haſta eſſet traiectus, & ipſe ſemianimis in caſtra relatus, Turci pugna exceſſerunt, & nocte ſequenti Mahometus incenſis caſtris trepidus in Thraciam ſedijt. Machinæ bellicæ, quarum fuit ingens numerus, in poteſtatem Huniadis, peruenerunt. Ita rurſum ope Dei virtus Huniadis, tanquam moles obiecta, exundans flumen Mahome-

tum,

tum, qui proculdubio Pannoniam & Germaniam erat completurus, repressit.

Capistranus historiam belli scripsit ad Pontificem, & sibi soli attribuit gloriam rei gestæ contra Turcos, nulla facta mentione Huniadis, ideo Aeneas Syluius, ridens ambitionem Monachi, inquit, in eo etiam apparuisse, cupiditatem gloriæ viros sapientes non omnino posse exuere. Pontifex Romanus in memoriam tantæ victoriæ, quæ salutaris fuit vniuerso orbi Christiano, instituit quotannis eum diem, qui fuit 6. Augusti, haberi festum, & celebrari sub nomine Transfigurationis Christi. Canciones festi illius, quæ sunt valde piæ & dulces, scripsit Aeneas Syluius Cardinalis, qui tunc præcipua negocia in aula Romana gubernabat.

Iohannis Capistrani ambitio.

Festum Transfigurationis Christi institutur.

Huniades defatigatus laboribus tanti prælij, mense proximo post, 10. Septembris placidè decessit, cum patriam pijs precibus Deo commendasset, & filios ad virtutem fuisset hortatus. In morbo, quamuis iam languidus & morti vicinus, tamen in ædem sacram se vehi iussit, vt ibi in publico cœtu sacra cœna vesceretur, & preces cum Ecclesia ad Deum funderet. Capistranus etiam 26. Octobris in Hungaria mortuus est. Hos belli motus antecessit terribilis Cometa, qui per multos dies arsit.

Huniades pie moritur.

Iohannes Capistranus moritur in Hungaria.

Prutenis iam hoc accidebat, quod olim Græci, qui fastidierant Athenienses, & adiunxerant se Lacedæmonijs spe libertatis, de Lycurgo dixerunt, eum vino libertatis triste acetum infudisse. Nam cum Toruniæ & Dantisci, multi ciues detestarentur auarum imperium præsidum Polonorum, miserabiliter interfecti sunt.

Sub exitum huius anni, Ladislaus adductus consilio Ciliani, statuit reuisere Hungariam, quia regi adolescenti insusurrabat Cilianus, hostis Huniadis, Regi non minus carum esse debere interitum Huniadis, quam cladem Mahometi. Nunc enim demum ipsum vere regno potiturum, quod antea fuisset in manu Huniadis, instillauit etiam ipsi crudelissimas suspiciones de filijs Huniadis, Ladislao & Mathia, & amicis per literas capita duorum adolescentum promisisse dicitur.

Ladislaus inuisit Belgradum.

Ducitur ex Buda Belgradum sub initium anni 1457. monstratur illi locus prælij, & castra Turcica, adhuc madentia tabo & cadauerum illuuie. Tenebat autem Belgradum valido præsidio Ladislaus Huniades, qui iam persenserat dolos Ciliani, ideo, sicut fuit magnanimus, Regem cum aulico comitatu in arcem intromisit, sed exercitum quatuor millium, quem Cilianus adduxerat, exclusit. Ea occasione vsus Comes, acerbè Huniadem apud Regem criminatur, tanquam insidiatorem vitæ regiæ.

Ladislaus, qui habebat studia multorum Principum in Hungaria, in consilio proterum conqueritur de iniuria Ciliani, qui & antea

antea patri esset insidiatus, & vniuersam familiam Huniadum extirpare conaretur. Moti rei indignitate proceres, mittunt qui Cilianum in Consilium vocent. Rex tum temporis rem diuinam spectabat: Comes autem fidens suæ autoritati & gratiæ apud regem, paulisper cunctatus accessit consilium, sed tectus lorica validissima. Cilianum venientem Ladislaus de insidijs sibi structis,& criminationibus apud regem, compellat, & dicitur etiam protulisse literas, scriptas à Comite,de nece Huniadum.

Comes verò inflatus opinione potentiæ suæ, Ladislaum proditorem appellauit, regiq; suo rebellem, & simul rapuisse dicitur gladium ex manu astantis satellitis,ibi cum alij proceres intercurrerent diremturi litem,& prohibituri Comitem iam ferientem,digiti aliquibus amputati sunt. Ladislaus vero sese colligens Vlricum repulit, quem deinde satellites Hungari, qui moto tumultu irruperant,multis vulneribus confectum obtruncarunt.

Vlricus Ciliani interficitur Belgradi.

Ladislaus cum proceribus eueſtigio regem, attonitum propter atrocitatem facti, accedit & exposita historia casus, petit sibi ignosci. Profitentur etiam omnes, sese cum vniuerso regno esse in ipsius potestate, & Comitem hostem regni, iure occisum.

Rex etsi adolescens, & qui commotus erat nece Vlrici, quem venerabatur vt patrem, tamen dissimulato omni dolore, tantum dixit, Non arbitrari se, Comitem iure esse occisum: & cum amici circumstantes monerent eum, vt casum hunc æquo ferret animo, respondit: Omnino ferendum est, quod mutari non potest. Non possumus reddere vitam ademtam Comiti. Ille suo fato functus est, nos nunc manent nostra, faciat modo propitius Deus, vt ea sint meliora: Quæ vox regis, tunc etiam visa fuit esse ominosa. Ladislao verò promittit fidem publicam, & cadauer Comitis in sepulchrum patrium iubet reuehi.

Ladislai regis sermo de nece Ciliani.

Ladislaus Rex reconciliatur filijs Huniadis.

Non multo pòst in reditu Rex clementissimè salutauit viduam Huniadis cum liberis, & non modo sanciuit ἀμνηστίαν, & ignouit Ladislao, verumetiam pronunciata insigni laude Huniadis mariti, iussit matrem & liberos deponere vestes lugubres,viduæ filijsq; ipse donauit vestes purpureas auro intertextas, & instituta est solennis pompa, epularum & chorearum, quasi nuptiæ celebrarentur. Ideo filij Huniadis nihil mali suspicati aulam Regis secuti sunt.

Sed cum peruentum esset Budam, amici regis quotidianis calumnijs animum regis sauciabant, & Huniadas atrociter criminabantur. Ita Rex adolescens incensus,Budæ filios Huniadis in arce, portis occlusis, cum aliquot familiaribus comprehendi iubet. Statim producitur Ladislaus adolescens egregius, natus annos 24. cui paterna virtus ex oculis spirabat, flauis crinibus, de more illius ætatis, per humeros fluentibus, indutus talari & aurata veste,eáque,

Huniadis filij conijciuntur in carcerem.

Ladislaus Huniades afficitur supplicio.

quam

quam ipſi Rex donauerat, reuinctis poſt tergum manibus. Vbi ad locum publici ſupplicij ventum eſt, pauca pro excuſatione ſui locutus, iuſſus, inter vota ad Deum, in genua procumbit, & erecta ceruice, forti animo mortem expectat.

Præco interea populo denunciabat, hoc modo puniri, qui domino ſuo eſſent infideles. Lictor autem religata Ladislai coma, ne collum tegeret, iuſſus ferire, nutans & tremens ter eum vulnerat, nec tamen ceruicem abſcindit. Ladislaus, quanquam pronus in terram lapſus, ligatus & vulneratus eſſet, tamen rurſus ſe erexiſſe ſcribitur, & cum Deum clara voce inuocaſſet, dixit eum eſſe teſtem ſuæ innocentiæ. Quarto demum ictu caput illi præcidi-tur.

Fuit etiam hoc ſpectaculum inter triſtia exempla, quorum ætas illa fuit ferax. Extinctus fuit miſerabiliter Vlricus Comes, qui fuit in odio, non ſolum apud ordines regnorum, verumetiam apud Cæſarem Fridericum, & tamen ex ipſius arbitrio tot regna pendebant. Deleta fuit memoria meritorum præſtantiſsimi Huniadis, quo nemo regum aut ducum res vtiliores Europæ contra Turcos geſſit, & crudeliter ſumtum eſt ſupplicium de filio, qui tamen & ipſe quadam inſolentia ex gloria paterna fortaſſis exitium ſibi attraxit. *Ladislai regis error.*

Geſſit morem ſtabellis aulicis Rex adoleſcens, & illa ſpecie aſperitatis, cum tamen ipſe natura eſſet alieniſſimus ab omni crudelitate, triſte ſibi creauit periculum & interitum. Capti ſunt cum filijs Huniadis etiam alij proceres Hungari, ſed illi tamen paulò poſt à rege dimiſſi ſunt, qui palam teſtatus eſt, importunitate conſiliariorum ſeſe ad iſta conſilia adactum. Mathiæ autem Huniadi cuſtodia in aula poſita eſt, quia metuebatur, ne eſſet vindex fraternæ necis. *Mathias Huniades ſeruatur in cuſtodia.*

Rex, Viennam poſteaquam reuerſus eſt, cœpit cogitare de coniugio, tandemq; promiſſa eſt ipſi Magdelena, filia Caroli Septimi regis Galliæ: & ſtatim conſultatum de loco nuptiarum eligendo, quæ futuræ erant ſplendidiſſimæ. Neq; enim in orbe Chriſtiano tunc erat Rex, cuius potentia poſſet anteferri viribus Ladislai. *Ladislai regis ſponſalia.*

Certatum eſt inter proceres aulæ ambitioſè. Auſtriaci flagitabant Viennam, Hungari Budam, Bohemi Pragam. Interea venit ad ſuburbia Viennæ Georgius gubernator Bohemiæ, trahens ſecum agmen octingentorum equitum armatorum, qui vrbem intrare noluit, ſed tandem obtinuit, vt Rex vrbe egreſſus triduum cum eo in caſtris colloqueretur.

Terrebant Bohemos, & præcipuè Georgium inſidiæ ſtructæ vitæ Huniadis, & ſupplicium Ladislai filij: ideo Georgius nulla ratione patiebatur ſeſe perſuaderi, vt caput ſuum fidei procerum aulæ crederet, qui Georgium propter religionem, & propter auto- *Georgius Podiebracius cõtendit cum rege Ladislao & uincit.*

ritatem eximiam quàm maximè oderant: ideo vrgebat importunius etiam, vt nuptiæ Pragæ fierent. Et cum hoc non impetraret, iratus domum rediit. In itinere tamen legati regij eum consecuti sunt, qui ei nunciarunt futurum, quod peteret, Regemq; nuptias Pragæ celebraturum. Nec multo post, ante diem dictum, Rex cum ingenti apparatu in Bohemiam profectus est.

Ladislaus Rex uenit Pragam.

Pragæ rursus valde offendit factionem Georgij, quia aspernabatur religionem ipsorum, & videbatur agitare consilia cum suis de opprimendis Ecclesijs Hussiticis, quorum autores erant legati Pontificij, qui regem sine intermissione ad sæuitiam incendebant. Regi etiam in illa ætate, grauato tanta mole curarum, fideles deerant amici & monitores, & suo quodam fato siniſtro exercebat inimicitias cum Friderico Cæsare, qui pro sua sapientia optimè potuisset gubernare imbecillem ætatem Ladislai. Quamuis etiam illud verissimè in historia Herodoti à milite Persico prolatum est, qui Thebano hospiti interroganti, cur Principi suo Mardonio, non significaret cladem & necem, quam ipse in conuiuio certò prædicebat, respondit: ξεῖνε ὅτι δεῖ γίνεσθαι ἐκ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ. διὸ οὐδὲ πίσας λέγουσι ἐθέλει πείθεσθαι ἀδελφεός: Hospes, quod Deo ita decernente euenturum est, non potest humano consilio auerti. Nam etiam recta monentibus nemo obtemperat.

Ladislaus Rex extinguitur.

Ladislao creatur periculum à Pontificijs.

Ladislao sponsa frustra accersitur.

Missa est legatio sumtuosissima in Galliam, quæ adductura erat sponsam, eius Princeps fuit Vlricus Episcopus Patauiensis, qui secum ducebat septingentos equites, & inter illos, equos octoginta candidissimo colore splendentes, secuta etiam pompa muliebris, regijs cum impedimentis & ornamentis, tota etiam Praga in apparando triumpho nuptiali strepebat.

Nunciabatur venturos esse, Cæsarem, regem Poloniæ, præcipuos Germaniæ Principes, frequentissimo cum comitatu. Maxime autem varij in omni populo ferebantur sermones: alius spondebat sibi expeditionem omnium regum Christianorum in Turcos: Pontificij sperabant reges deleturos esse Hussiticos, quod quidem Bohemi suspicabantur & metuebant. Sed, vt hic etiam exemplum inconstantiæ humanæ ederetur, omnes illas cogitationes mirificas insperatus regis interitus abrupit. Ita non frustra dictum est:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ ualuere ruunt. Item:
Eheu quàm leuibus pereunt ingentia causis.

Τί δ' τὶς, τί δ' οὐ τὶς; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος. Quid est aliquis, & quid est nullus? Homo est somnium vmbræ.

Historiam autem mortis Regiæ, de qua non modo dissimiles, verum etiam odiosæ & iniustæ fuerunt narrationes & opiniones, refero

refero, vt relata esse scribitur à Medicis & cubicularijs Regijs. Die Nouembris 22. Rex federat iudex in disceptatione quadam de nobilitate familiarum Podiebracij & Cernhauri Moraui. Nam hanc litem æmuli, vt Georgius premeretur, suscitauerant.

Visus est autem Rex eo die & corpore & animo paulum esse ægrior. Nam nec prodierat indutus ex more suo, sed iniecerat solum corpori longam vestem talarem, pellibus subductam. In vultu etiam apparebat mœror, neq; eo die visus est ridere. Cœnauit deinde astantibus proceribus aulicis, grauiter & modestè quædam locutus. Sub multam iam noctem in cubiculum suum ductus est, ibiq; rapulas, quæ apud Bohemos sunt mirè dulces, auidè comedit, & superbibit quid ex generosa quadam mulsa, & iam sermones hilariores miscebat cum cubicularijs, priusquam in lectum ascenderet, preces suas pro more ad Deum recitauit pias & ardentes, illisq; finitis conquestus est, stomachum sibi dolere, eumq; grauatum videri. Bohemus vero quidam monuit regem, vt lectum ingrederetur: nam dolorem somno desiturum. Obtemperauit Rex, & horam fermè vnam dormiuit.

Sub mediam noctem experrectus torminum, quæ iam magnam partem ventris occupabant, acerbitate, vocato cubiculario, ait, vim doloris sibi esse intolerabilem. Bohemus incogitantior & imperitior, atque etiam cupidus somni, respondit: Nihil magis lenire dolorem quàm somnum: daret igitur operam, vt dormiret. Rex modestus & placidus, ne turbaret quietem amicorum, dolores etiam sæuissimos, vsque ad horam decimam tertiam, quæ diei vicina est, pertulit.

Tunc demum vocati sunt Medici: Illi, cum frustra conarentur, natura iam superata, cordeq; incenso, per ductus aut superiores aut inferiores ventrem regium ab illa massa maligna exonerare, regi denunciarunt, videri sibi, ipsum hausisse venenum: quibus respondit, scire se ita factum: Sed moneo, inquit, ne hoc spargatis. Me enim non seruabitis, & vobis attrahetis periculum.

Inualescente vi morbi, vocatus est Georgius: qui primum ex Rege percunctatur, quid doleret, deinde hortatur, vt bono sit animo, Deum ipsi affuturum: rogauit etiam, vt sibi suisq; imperaret, quæ vellet, omnia posita esse in ipsius arbitrio. Eum Rex oratione, valde lugubri omnibus suis, allocutus est: Optime mi Georgi, inquit, perspecta est tua erga me fides & virtus egregijs documentis. Nam & tua ope in hoc regnum collocatus sum, illudq; tua virtute huc vsque mihi conseruatum. Speraram quidem me fruiturum hoc tuo beneficio: sed nunc aliter visum est propitio Deo: Ego ex hac vita euocor, regnum in tua manu erit. Peto autem à te duo maximis precibus: Primum vt iustus sis in gubernatione, & æquale ius potenti & inopi dicas: Deinde vt meos homines, qui aulam

Ladislai moriturí sermo ad Georgium.

meam ex alijs regnis comitati sunt, sine iniuria in patriam remittas. Hoc vltimum beneficium, quæso te, ne mihi denega.

Georgius respondit: Cogitationes has regis esse intempestiuas, colligeret sese, breui ipsum futurum esse sospitem, & Deo dante in multos annos beatum & florentem regnaturum. Desineret igitur talia loqui, quæ & ipse, & omnes circumstantes cum dolore audirent.

Rex vero apprehensa manu Georgij: Age, inquit, mi Domine Georgi, promitte. Nam ego quidem certo morior, si feceris, quæ peto, ego in altera vita æternum Deum pro te precabor: Scio enim me emigrare ad cœlestem & beatam Dei consuetudinem. Quare tu ne aduerseris meæ petitioni. Excusserat hæc oratio Regis, Georgio & omnibus qui aderant, magnam vim lacrymarum: & Georgius dedit fidem, se facturum imperata.

Finito sermone accersiti sunt sacerdotes, cum quibus de consolatione Euangelij multa locutus est, & pia vota ad Deum miscuit, simul etiam sacra cœna administrata, legauit sua ornamenta Ecclesiæ Pragensi: capillos autem, qui ad humeros vndiq; expansi, tanquam aurum fulgebant, iussit resecari, ne in morte adhuc videretur fastui indulgere: Sed ministri, prætexentes causas moræ, hoc neglexerunt.

Ladislaus rex pie expirat.

Nocte cum animaduerteret vires cordis languefactas iam concidere, apprehendens manu facem, & intuens imaginem Saluatoris crucifixi, precationem Dominicam inter ardentia suspiria ad finem vsque recitauit, & cum vltima verba: Sed libera nos à malo, pronunciaret, deficiente voce placidissimè expirauit.

Æneæ Syluij epiphonema de interitu Ladislai regis.

Subiungit huic narrationi sanè tristi, memorabile epiphonema Aeneas Syluius, commonefaciens nos de vicibus rerum humanarum: Ladislaus nobilissimus adolescens, natus annos octodecim, in ipso ætatis flore, in ipso gloriæ fastigio, tot regnis & gentibus imperans, tot delicijs atque opibus affluens, inter tot auxiliantium manus, intra trigesimam sextam horam, postquam ægrotare cœpit, extinctus est.

Hæc quidem est historia mortis Ladislai, quam ideo retulimus copiosius, non solum quia interitus regis tunc fuit in ore omni populo, & adhuc hodie in frequenti est memoria apud nostros homines, verum etiam, quia est insigne exemplum inconstantiæ rerum humanarum, quod meritò animos nostros ad timorem Dei & modestiam flectere debet.

Mariæburgũ deditur Polonis per proditionem.

In Prussia, proditione præsidiariorum, Mariæburgum oppidum & arx munitissima traditum est Regi Casimiro. Præfectus præsidij fuit Bohemus, qui accepit à Rege quinquaginta sex aureorum

rum millia. Sed multa alia oppida in fidem à Cruciferis recepta sunt.

Interea in Polonia minori crudeles factæ sunt vastationes à militibus, quibus Poloni debebant stipendia, eosq; iuuabant multi ex Silesijs. Missus est aduersus eos exercitus sexaginta millium, qui sæuierunt in suos sacerdotes, hostibus autem nihil nocuerunt. Die 24. Nouembris, Georgius in consilio procerum Bohemiæ proposuit, gubernationem Regni vsque ad festum Pentecostes sibi à Rege commissam, & postulauit, ne fieret mutatio: Neque aliquis ipsi, penes quem summa erat potestas, aduersatus est.

Die 25. Nouembris, qui sacer est diuæ Catharinæ, corpus Ladislai mortuum solenni cum pompa in sepulchrum Caroli proaui illatum est. Putatum est à nonnullis, ideo maturius, quam ferebat consuetudo, peractum esse funus, ne conspicerentur indicia veneni in cadauere regis. *Ladislai sepultura.*

Respublica Viennensis medicos Germanos, qui sese deprehendisse manifestas notas veneni affirmabant, tacere iussit, ne iram Bohemorum in vrbem concitarent. In vulgus fama edita fuit, regem pestilentia extinctum fuisse, & in inguine venenatum apparuisse tumerem, quem Medici Bubonem nominant.

Anno 1458. mortuo Ladislao Posthumo, 2. Martij renunciatus est Bohemiæ Rex Georgius Podiebracius. Appetebant regnum Bohemiæ præcipui orbis Christiani Monarchæ, Galliæ Rex ingentibus pollicitationibus propositis, postulabat, vt aut filium suum, aut illum, cui filiam, promissam olim Ladislao, traditurus esset, eligerent. Sed illa legatio facta iam electione primum fuit audita. Aspirabat etiam ad regnum Casimirus Polonorum Rex, qui habebat in matrimonio sororem Ladislai: Similiter Vilhelmus Saxoniæ Princeps, cui nupta erat soror Ladislai natu maior. Fridericus Imperator ad se reuocabat electionis potestatem. Sperabant etiam Austriaci Principes. Sed illi omnes præteriti sunt, & euectus ad dignitatem regiam Georgius, vir clarus consilio & armis, charusq; suis Bohemis ob studium religionis. *Georgius renunciatur rex Bohemiæ.*

GEORGIVS BOHEMIÆ REX,
quem Silesia fermè non agnouit pro Rege.

IN Hungaria mirabili fato eligitur Rex Mathias Huniades, qui erat captiuus in aula Ladislai. Abductus fuerat à Rege Viennam, sed non vnà Pragam profectus est. Quia mater Huniadum mulier generosa, & auunculus Mathiæ, Michaël Silagio, vt est apud Bonfinium, graue bellum minabantur Ladislao, nisi Mathiam dimitteret, *Mathias Huniades ex carcere uocatur ad Regnum.*

mitteret, & tanta erant ſtudia Principum Hungarorum erga Huniadas, vt etiam attracturi Turcos viderentur: niſi Rex morem ipſis geſſiſſet: Priuſquam tamen ex pacto Matthias dimitteretur, Ladislaus deceſſit.

Georgius, intelligens ſuum compendium, properè nomine Regis, cuius mors nondum euulgata erat, literis ſcriptis Mathiam accerſiit Pragam, eumq; in poteſtatem ſuam traduxit. Miſſa autem fuit ſplendida legatio Pragam, quæ Mathiam ad regnum repoſcebat. Georgius vir Prudens, acceptis quinquaginta aureorum millibus, non ſolum adoleſcentem dimiſit, verum etiam collocauit ipſi nuptum filiam ſuam, fecit cum eo fœdus, eumq; comitatum vſque ad fines Pannoniæ exercitui Hungarico tradidit.

Mathias ducit filiam Georgij.

Grata erat omnibus memoria patris, viri excellentiſſimi, & in ipſo Mathia præclara indoles ad maximas virtutes, iudicio patris, & aliorum ſapientum elucere videbatur. A teneris adhibitus ad optima ſtudia fuerat, & literas artiumq; multarum ſemina mirabili celeritate & auiditate didicit. Erat pater imperitus linguæ latinæ, in maximè arduis verò deliberationibus & tractationibus cum legatis Pontificis, aut aliorum Regum, qui negocia ſua lingua latina proponebant, non vtebatur alio interprete, quàm filio Mathia, qui cogitationes & conſilia patris eleganter & ſplendide exponebat.

Mathiæ indoles.

Animaduerſum eſt, eum in prima pueritia, cum audiret, Muſicos patrios ſonare poëmata de prælijs & laboribus Rolandi vel Theodorici Veronenſis, gaudio & animi alacritate exilijſſe, & geſtus pugnantium manibus & pedibus expreſſiſſe, in eáque intentione ſæpe magnam partem diei, oblitus cibi potusq;, immoratus fuit. Ideoq; & parentes optimè de illo ſperabant, & Iohannes Cardinalis legatus Pontificius, qui illa ætate laudem ſapientiæ habuit, palam dixit, ſe in hoc puero virtutem & fortunam regiam manifeſtè deprehendere.

Iohannis Cardinalis præſagium de Mathia.

Amiſit patrem anno ætatis duodecimo: inter gratulationes verò hominum, vbiq; occurſantium, & fauſta optantium, ex carcere Budam ad ampliſſimum Regnum ductus eſt, anno ætatis, vt ſcribit Galeotus Martius familiaris ipſius, decimoquarto.

Vniuerſa Sileſia ægerrimè tulit electionem Georgij, quia & Huſſitici, propter memoriam vaſtitatis factæ in Sileſia, erant in odio, & ipſe Georgius putabatur non fuiſſe ignarus necis Ladislai, de qua circumferebantur cantilenæ, & narrationes iniquæ & falſæ. Die 22. Martij Lignicij fuit conuentus Principum & ordinum Sileſiæ, in quo fœdus factum eſt contra Georgium Regem, quem ex communi conſenſu omnes repudiabant, propendebant verò ad Vilhelmum Saxoniæ Ducem, Ladislai ſororium. Erantq; in eo conuentu legati Ducum Saxoniæ, Vilhelmi & Friderici Electoris, qui in fœdus illud Principes ſuos aſſcripſerunt.

Georgius Rex repudiatur à Sileſijs.

Rurſus

Rursus Vratislauiæ 19. Aprilis fœdus illud confirmatum est. Venerunt ad eum conuentum legati Georgij, qui postulabant iuramentum fidelitatis ab ordinibus, sed reiecti sunt. Georgius, cuius prudentia & patientia, etiam in ista ætate prouectiori, fuit eximia, inibat rationes, quomodo pacatè & sine cæde posset componere turbas regni. Diligenter igitur per legatos suos egit apud Pontificem de concordia, illicq; reconciliatus est. Quia aula Romana meminerat, infœliciter olim Germaniam cum Bohemia fuisse commissam, & sperabat arte quadam emolliri posse animos gentis ferocioris, cui faciebat spem de concessione integri Sacramenti, quam maxime Georgius flagitabat.

Georgius reconciliatur Pontifici.

Missæ sunt igitur Roma Pontificiæ Bullæ, quibus titulus regni Georgio tribuebatur, atque ita, cum plurimorum animos flexissent, die 7. Maij Pragæ coronatus est. Circumlata est per Silesiam formula iuramenti, vbi Georgius promittit, se obseruaturum fidem traditam à viris Catholicis, quod Pontificij intelligi volebant de religione Romana: sed ipse Georgius postea interpretatus est de consensu Ecclesiæ Catholicæ, congruente ad normam scripturæ Apostolicæ.

Georgius iurauit in religionem Catholicam.

Peracta coronatione multorum studia, præsertim eorum, qui erant amantes quietis, ad Georgium conuertebantur. Ipse Rex in Morauiam & Lusatiam profectus est, easq; Prouincias mirifica humanitate & benignitate deuinctas sibi in fidem recepit.

Iodocus Rosembergius Episcopus Vratislauiensis, qui ante biennium ex commendatione Regis Ladislai Petro successerat, suadebat Silesiæ, vt idem faceret, neque inutili pertinacia clades patriæ accerseret. Non abhorrebant à studio pacis præcipui Silesiæ Principes, sed mirabili quodam fato Ciuitatis Vratislauiensis is fuit ardor contra Georgium, qualis fermè olim fuit vrbis Atticæ in reprimendo Philippo Macedonum Rege. Ideo constanter omnem mentionem pacis abijciebat, & spargebat, edicta Pontificia per fraudem esse extorta.

Vratislauiensis Episcopus suadet pacem.

Ipse etiam Episcopus publicè in concionibus laceratus est, præsertim à Monachis, & magna affectus contumelia, quòd contra acta prioris temporis nunc remolleseeret, & suaderet recipiendum esse in Regem hominem hæreticum, Ecclesiæ Romanæ hostem. Ideo Episcopus vir placidus, vt exploraret animum Pij Secundi Pontificis, qui recens in locum Calixti defuncti electus fuerat, mense Septembri Romam profectus est.

Fuit autem is Pius Aeneas Syluius Senensis, qui ex parentibus mediocris fortunæ natus, commendatione literarum, quæ tunc in Italia renascebantur, venit in noticiam potentum, & primum fuit scriba Concilij Basiliensis. Deinde à Casparo Sclicio, Cancellario Friderici Cæsaris, qui amabat studia doctrinæ, impetrauit

Pius Senensis Pontifex.

locum in aula. Ibi cum innotuisset Cæsari, & probaretur ipsius industria, commendatus est illi Episcopatus Tergestinus, tandem etiam Senensis, & cum migrasset in curiam Pontificis, asscriptus cœtui Cardinalium, præcipua negocia sub Calixto gubernabat, illiq; mortuo successit. Ita vt ætate illa lusisse videatur fortuna, quæ & ad præcipua regna euexit homines tenuiores, & fastigium Monarchiæ Pontificiæ tribuit homini inopi & penè ignobili.

Erat autem Pius non solum vir sapiens & callidus, verum etiam omnium rerum Germanicarum valde peritus, quas in aula Cæsaris didicerat: ideo, cum sciret Georgium non esse æquum aulæ Pontificiæ, astutè ipsi aduersarios concitabat, & tamen eum simulatione beneuolentiæ lactabat, ne manifestum bellum accenderet videretur.

In Prussia nondum conticuerat bellum Polonicum, sed hoc anno Casimirus Rex rursus suam nobilitatem ad expeditionem Prussicam euocauit. Cruciferi habebant exigua quædam auxilia Germanorum: Polonorum verò tanta fuit multitudo, vt teste Dugloso, singulis diebus ad centena millia aureorum insumerent. Nihil tamen memorabile gestum: sed, cum fame homines & iumenta perirent, Poloni domum reuersi sunt.

Matthias sedat seditiones in Hungaria.

In Hungaria Mathias adolescens compescebat seditiones domesticas, quas excitabant aduersus eum quidam ex suis nobilibus, adiuti à Casimiro Poloniæ Rege, qui Pannoniam ad se trahere nitebatur. Sed illud agmen penè vniuersum Mathias deleuit. Fuit deinde in iugis Carpathi nobilis latro Telephus, qui ex illis montibus latè prædas agebat, multis annis. Eum Matthias non sine difficultate cum manipulo suo seditiosorum hominum superauit, & ex Regno eiecit.

Georgius rex reconciliatur Friderico Cæsari.

Georgius verò Rex, recepta Morauia, inuenit rationem, qua sibi conciliaret Cæsarem Fridericum. Austriacos, qui paruerant Ladislao Regi, & quos alioqui oderat, quod illi frequenti sermone spargerent, quasi scelere Georgij Rex esset necatus, contractis copijs terruit, vt Friderico Cæsari sese dederent. Impetrauit igitur à Cæsare diplomata, quæ testabantur, autoritate Cæsaris Georgium in Regnum collocatum, & mandabant subditis Regni, vt eum agnoscerent. Posteaquam vero in Bohemiam regressus est Georgius, reliqui Principes Austriaci Morauiam latè vastarunt.

Anno 1459. mense Martio, Cotbusij, Principes Saxoniæ, Henricus Freistadiensis, Collegium sacerdotum Vratislauiensium, ciuitas Vratislauiensis, & plurimi alij ex ordinibus Prouinciæ, collocuti sunt de fœdere in annos aliquot faciendo aduersus Georgium Regem. Sed altero mense post tota res fuit discussa:

Quia

Quia Principes & vrbes plæræq́, cum intelligerent, Georgium etiam à Cæsare esse appellatum regem, promiserunt ipsi obedientiam. Sed Vratislauia vnà cum collegio, quod acerbè oderat Georgium, & quotidianis concionibus per suos oratores Monachos, ciues inflammabat, nulla ratione passa est sese flecti. Sacerdotibus, qui erant faces publici incendij, denunciarunt bellum, Capitaneus Glocensis, & Princeps Teschinensis, qui multa prædia eorum passim deuastarunt & exusserunt.

Georgius à tota ferme Silesia agnoscitur pro rege.

Georgius autem, qui sperabat æquitate & clementia sese animos Silesiorum expugnaturum, Pridie Calend. Septembris venit Suidniciam, ea vrbs cum vniuersa nobilitate honorifice regem excepit. Iauroniæ deinde ab omnibus Principibus & ciuitatibus salutatus est Rex, soli Vratislauienses & Namslauienses, qui eorum sequebantur autoritatem, eum repudiarunt.

Vratislauia opponit se Georgio.

Inijt autem rationem, quomodo Vratislauiam posset adducere ad officium sine magna immanitate. Distribuit præsidia in varia loca, vt vrbi commeatus intercluderetur. Præcipui duces copiarum erant Boleslaus Opolienſis, Vladislaus Glogouiensis, & Conradus Albus Olsnicensis. Occupauerant Bohemi iam Nouoforum oppidum, & aliquot vicinas arces: Principes vero isti Calen. Octobris subito contractis suis militibus, ex ripa Viadri Aquilonari adorti sunt monasterium S. Vincentij in suburbijs Vratislauiæ, quo si essent potiti, facilem habuissent aditum ad vrbem. Sed virtute ciuium & præsidiariorum militum, acre cum illis est commissum certamen, & cum glande vulneratus esset Vladislaus Glogouiensis, pugna diremta est, & Principes cum magna clade repulsi sunt, ita vt postridie totus exercitus dilaberetur. Vladislaus ex vulnere illo quadriennium decubuit, & nullo hærede relicto, Glogouiæ decessit. Eruperunt deinde milites Vratislauienses, & plures ex nobilitate, qui ipsis erant iniqui, profligarunt. Georgius omisso infelici bello, in Bohemiam redijt.

Vladislaus Glogouiensis ad Vratislauiam letale uulnus accipit.

Cretensis Archiepiscopus non bene rem gerit in Silesia & Polonia.

Pius vero Pontifex, vt audiuit litem Bohemicam in manifestum erumpere bellum, misit in Germaniam Hieronymum Landum Archiepiscopum Cretensem, cui mandauerat cognitionem & compositionem belli Bohemici, & iusserat eum quoque esse arbitrum inter Casimirum & Cruciferos.

Venit is Vratislauiam die S. Martini. Iodocus Episcopus in senatu ordinum grauiter differebat, sedandum esse pernicioſum illud bellum ciuile, & Georgium recipiendum pro Rege, in eum acriter inuectus est Cretensis, adeoq́ incanduit, vt Iodocum venenum patriæ appellaret. Sed Episcopus masculè & appositè respondit: Bene, inquit, pronunciauit de Cretensibus D. Paulus, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Eorumq́ tu es Archiepiscopus, & rectè quidem. Nam qualis populus, talis Pastor.

Vratislauiēsis Episcopi contercertatio cum Legato Pontificio.

Tandem

Tandem multorum grauium virorum opera, quibus illa consilia exitiosa displicebant, Cretensis duxit secum aliquos præcipuos Senatores & Canonicos Pragam, & cum Georgio rege inducias ad triennium pactus est, vt hoc temporis spacio appareret, vtrum Georgius serio Ecclesiam Romanam veneraretur.

Inter Casimirum & Georgium Reges, interea hisce annis mirificæ fuerunt simulationes, cum Georgius metueret, ne Casimirus Silesios nutantes in fide, sibi coniungeret: Casimirus autem nollet implicari Bohemico bello durante Prutenico. Legatio Archiepiscopi Cretensis ingrata fuit Polonis, quia Pius Pontifex Mantuæ in Synodo publicè testatus fuerat, Casimirum gerere iniustum bellum cum Cruciferis, & iusserat Casimirum ordini restituere vrbes ademtas.

Pius Pontifex damnauit Casimirum.

Ardebat præterea tota Polonia ciuilibus dissensionibus & factionum studijs: Casimirus Rex placidus & mitis, ita contemnebatur, vt etiam pueri publicè eum per ludibrium, tanquam parum prudentem inclamarent. Proceribus regni in publico conuentu longa oratione ipsius segnitiem insectantibus, breuiter respondit, nihil se rectè posse facere, cum destitueretur neruis, hoc est, pecunia, & ipsi bona regia occupata tenerent.

Mathias infert bellum Friderico Imperatori.

In Pannonia intercessit Mathiæ bellum cum Friderico Cæsare, quod deinde sequentibus annis subinde solitum est recrudescere. Retinebat Fridericus coronam regni Hungariæ, quam olim vnà cum puero miserat ad eum mater Ladislai, & habebat studia aliquorum procerum, qui ipsi faciebant spem de regno, copiæ etiam Cæsaris hoc anno fuerunt victrices. Motus tamen sedati sunt, & Cæsari multæ factæ promissiones.

Anno 1460. vbiq; fermè atrox sæuijt pestilentia. Pius vero Pontifex, misertus calamitatum & sumtuum Vratislauiensium, largitus est illis in quinquennium gratiam anni Iubilæi, vt nominant. Conflata est per nundinas illas grandis pecunia, cuius tamen bona pars Romam sub specie belli Turcici translata est. Propter mutationes etiam monetæ multæ fuerunt in Silesia dissensiones.

Pius Senensis donat Vratislauiæ Iubilæum.

Anno 1461. Fulsit Cometa, qui proculdubio significauit cladem regni Bohemiæ, quæ paulò pòst secuta est. In Prussia segne & infœlix bellum Casimirus gerebat cum Cruciferis. Nobilitas Polonica succensebat suo regi, & omnia domi ipsorum plena erant discordiarum. Legatus Pontificius in nulla erat autoritate apud regem. Quia Pontifex existimabatur fauere Cruciferis, & odisse Poloniam, quæ ipsi aliquando negauerat Episcopatum Varnensem.

Acerbe autem Rex à legato obiurgatus est, quòd contra voluntatem Pontificis vellet Episcopatum vni ex suis attribuere, repudiato

pudiato illo, quem designauerat Pontifex, & ita incaluerunt, vt cum Rex diceret, potius se regnum amissurum, quàm passurum, vt Craconiam iste collocaretur, Legatus responderet, præstabilius esse, tria regna Christiani orbis euerti, quam autoritatem Pontificiam conuelli. Tanti nimirum tunc fuerunt spiritus Pontificiorum.

Casimiri regis disceptatio cũ legato Pontificio.

Casimirus igitur, cum finem belli Prutenici nullum prospiceret, & metueret ne Pontifex alicunde sibi concitaret hostes, amicitiam Georgij expetiuit, cui ipsi quoque cum Pontifice non optime conueniebat. Decretum est igitur, vt anno sequenti ipsi reges Glogouiæ conuenirent.

Anno 1462. 15. Maij venit Georgius Rex Glogouiam, habuit in comitatu equites bis mille, duos Episcopos, Vratislauiensem & Olomucensem, & quatuor Principes Silesiæ, Conradum album & nigrum Olsnicenses, Henricum Freistadiensem, & Iohannem Pribusiensem. Casimirus traxit secum quinque millia equitum, & præcipuos regni sui proceres, 18. Maij.

Georgius & Casimirus reges congrediuntur Glogouiæ.

Georgius sperauerat se superaturum Polonos splendore, sed fuit inferior. Processit Casimiro obuiam ad vnum milliare, salutationes mutuæ ex equis factæ sunt. Casimirus ductus est in arcem, Georgius diuertit in curia vrbana. Collocuti sunt totos dies nouem, & tandem fœdus initum, quod ad vtriusque mortem vsque esset stabile. Valde istum congressum regum detestati sunt sacerdotes. Quia intelligebant, vtrumq; regem sese munire contra Pontificem.

Casimirus Georgium superauit splendore.

Decretum est inter alia, vt subinde alternis vicibus in Polonia & Silesia proceres conuenirent, & controuersias finium & alias amicè dirimerent. Scribitur Casimirum, Georgium adeo magnifico excepisse conuiuio, vt ipse Georgius, cum se victum videret, non auderet Casimirum inuitare ad sese. Post illud fœdus Georgio creuit animus, coëgit Fridericum Marchionem Brandeburgensem cedere sibi de Lusatia inferiori, quam obtinuerat à Ladislao Rege: Marchio solum sibi Cotbusium cum paucis alijs oppidis retinuit. Nam Marchio tunc etiam in odio erat apud Casimirum, quod existimaretur fauere Cruciferis.

Georgius & Casimirus iunguntur fœdere.

Lusatia inferior recipitur à Georgio rege.

Postea mense Iulio Georgius euocauit ordines omnium suarum Prouinciarum Pragam, ibi tandem in publico conuentu totum se aperuit. Retulit quàm demissè & apud Calixtum, & recens apud Pium Pontifices laborauerit de concordia Ecclesiarum Bohemicarum cum Romana: Sed nihil æqui sese posse in superba illa aula impetrare. Nam etiam vsum sacri calicis, quem Bohemis Basiliense Concilium concesserat, sibi negari.

Georgius Rex palam religionem suam profitetur.

Quare

Quare se nunc publicè coram Deo & coram ipsis suis subditis profiteri, etsi ipse pacis & quietis sit studiosissimus: tamen, cum veritas cœlestis vocis anteferenda sit omnibus rebus humanis, non se toleraturum esse idola Pontificia, sed pro defensione veritatis etiam cerebrum suum se velle effundere, & honestam, si Deus ita velit, oppetere mortem.

Sedebat Rex, cum ista loqueretur, augustis suis indutus ornamentis, & assidebat ipsi regina splendide etiam ornata. Hæc oratio Regis tam vehemens vniuersum cœtum commouit, & dissimiliter affecit. Nam Bohemi quidam magnanimitate & constantia sui regis lætabantur. Reliqui autem, addicti Pontifici, dolebant Regem, quem crediderant reuersurum ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ, in sese concitare iram & fulmen Pontificis, & præsagiebant secutura mala.

Dimisso conuentu, Georgius cogitauit de via, qua sibi arctius adhuc deuinciret Imperatorem. Discordia erat inter Cæsarem & Principes Austriæ reliquos, qui ægrè ferebant, partem Austriæ, quam habuerat Ladislaus, ad solum Cæsarem peruenisse, & habebant studia aliquorum in ciuitate Viennensi. Hoc vero anno, cum Cæsar sex Senatores captos inclusisset carceri, multitudo concitata, Cæsarem vnà cum Maximiliano in arce duos menses obsidebat, & reposcebat captiuos. Iuuabant vero ciuitatem reliqui Principes Austriæ.

Fridericus Cæsar oppugnatur à ciuibus Viennensibus.

Georgius igitur contractis ex Bohemia copijs tulit opem Cæsari, eumq; eripere ex arce conatus est. Etsi autem Viennenses armis reijcere non potuit, prohibitus à Principibus Austriæ, tamen hostes ita terruit, vt Cæsari reconciliarentur. Viennensis ducatus ex transactione attributus est Maximiliano Friderici filio, & puero, qui tunc quartum ætatis annum nondum excesserat, tutor datus est in ducatu illo Albertus Austriæ Princeps, frater Cæsaris.

Monsterbergensium Principum origo.

Fridericus, vt gratus esset Georgio, creauit filios ipsius Principes Monsterbergenses, quorum familia, Dei beneficio, adhuc superstes est. Fuit hoc anno 1463. Ad Rhenum etiam crudele bellum fuit inter Principes.

Pius Senensis, qui etiam Cardinalis adhuc oderat Moguntinum Archiepiscopum, quod is aduersaretur expilationibus Pontificijs in Germania, constituit eius autoritati, quæ est præcipua, inijcere frenum.

Bellum ad Rhenum.

Fuit electus Comes Isenbergius, huic inter alias conditiones Pius etiam hanc proposuit, vt iuraret se non conuocaturum esse Electores, nisi Romano Pontifice consulto & assentiente. Ita enim astutè autoritatem Electorum languefacere, & ad ipsos Pontifices transferre conatus est. Aduersatus est Isenbergius, ideo Papa eligi iubet Comitem Nassauiensem, & fulmen excommunicationis edit

contra

contra Isenbergium, & Fridericum Palatinum cum socijs, qui Isenbergium defendebant.

Hinc magnum bellum ortum est, & hoc anno Pridie Calend. Iulij facta pugna, à Palatino victore capti sunt Carolus Marchio Badensis, Georgius Episcopus Metensis, Episcopus Spirensis, Vlricus Comes Virtembergensis, & præterea quingenti Comites & nobiles. In cœna primi diei nullus illis est appositus panis, quod non imitati essent legem Cyri, qui iussit parci agricolis & segetibus, tandem numerata pecunia dimissi sunt. *Palatinus Rheni cepit multos Principes.*

Mense Martio eiusdem anni Pontifex, qui resciuerat Georgium abiecisse spem pacificationis cum Ecclesia Romana, ciuitatem Vratislauiensem & Namslauiensem ipsius obedientiæ exemit, & sub pœna excommunicationis vetuit, ne quis Georgio oppugnaturo Vratislauienses ferret opem. Fuit hoc leue principium fulminis Pontificij, quod deinde longe terribilius emissum est. *Pius Senensis denuo persequitur Georgium regem.*

Georgius, qui præuidebat, iram Pontificis, quæ maximis etiam Imperatoribus grauis fuisset, sibi futuram intolerabilem, Vratislauiensibus post finitas triennales inducias, alias quatuor annorum obtulit. Sed Vratislauia, Cretensi eos ad bellum instigante, hoc repudiauit.

In Polonia Cretensis nihil perfecit: Quia videbatur esse æquior causæ Cruciferorum, & interceptæ erant literæ ipsius, quibus scribebat, gentem Polonicam ignaram esse timoris Dei, atque ita pene cum contumelia regno eiectus est. Neque dubium est, Polonos subituros fuisse indignationem aulæ Pontificiæ, si diutius vixisset Pius. *Cretensis Archiepiscopus offendit Polonos.*

Mahometi Turcici ingentes fuerunt hoc anno successus. Nam & Lesbon insulam potentem, & paulò pòst regnum Bosnæ, opibus & munitionibus florens, in suam potestatem traduxit: Regem Stephanum, cum vrbe præcipua Iaiza in deditionem acceptum, contra datam fidem palo alligatum sagittis confixit, increpante Mahometo auaritiam & ignauiam ipsius, quod perire maluerit, quam immensos thesauros auri & argenti, qui apud ipsum reperti fuerant, attingere. Ex gente illa Triballica, & Heneta, quæ robore corporis præstat, Mahometus multos phalangi suæ prætoriæ ascripsit, quos milites Ianizeros vocauit. *Mahometus occupat Lesbon & Bosniæ regnum.* *Stephanus Rex Bosnæ trucidatur.* *Ianizeri delecti ex Henetis.*

Imminebant vicinæ Pannoniæ iam vndique Turci, sed virtute & diligentia Mathiæ frustrati sunt successu. Nam præsidium, quod collocauerat ad limites regni Australes versus Bosnam, fœliciter dimicauit cum Turcis, deleto toto agmine, in quo fuerunt quater mille exercitati milites, & magna caterua Rascianorum, quæ in seruitutem abducebatur, liberata est. *Mathias recuperat Bosnæ regnum.*

In altero limite Aquilonari ad Transsyluaniam, rursus duces sui fœliciter pugnarunt, & repulerunt Turcos. Inuitatus hoc successu Rex, pacem cum Cæsare & alijs vicinis confirmauit, & expe-

ditionem in annum sequentem aduersus Mahometum meditatus est.

Anno itaq; sequenti magno animo adortus Turcos, Halibecum Ducem Mahometi celebrem fudit & fugauit: eadem æstate Iaizam munitissimam arcem, vnà cum viginti septem alijs oppidis Bosnæ & Rasciæ recepit. Eodem tempore Anconæ moritur Pius Pontifex, qui euocauerat omnes Christianos Principes ad piam militiam contra Turcos, cuius ipse volebat esse ductor.

Pius Senensis moritur.

Extant de ea expeditione rescripta ipsius plena mirifici ardoris. Professi fuerant militiam illam Mathias Rex, Philippus Burgundiæ Dux, & Princeps Venetus. Confluebat vndique magna multitudo ex omnibus regnis Christianis. Sed cum totam administrationem belli mors Pontificis interrupisset miseri aduenæ cruce signati malè ab Italis accepti sunt, ita vt magni greges passim fame extinguerentur. Plærique deinde in reditu latrocinia exercuerunt.

Bellum sacrũ mors Pontificis interrupit.

Electus est in locum Pij Paulus Secundus, qui inclementior erat Bohemis quam Turcis, eaqúe consilia Europam euerterunt. Initia Pontificatus sui exorsus est à classico contra Bohemos, omissa cura belli Turcici, & terribile fulmen excommunicationis emisit in regem Georgium, quem dignitate priuauit, & vniuerso regno deturbare conatus est.

Paulus Secundus concitat bellum in Bohemiam.

Exemplum edicti Pontificij lectum est Vratislauiæ 5. Augusti, Anno 1465. & magnam in populo excitauit lætitiam. Venit etiam Vratislauiam nouus legatus Pontificius Rodolphus, homo Germanus, sed imbutus arte & dignitate Italica.

Erat autem Episcopus Lauantinensis, is, sicut habebat in mandatis, iniquissimis etiam conditionibus omnes controuersias inter Monarchas tollebat, & vniuersos in Bohemos concitabat. Episcopus Iodocus, ipso accedente, profectus est in Bohemiam, vt patriam de suo periculo doceret. Non multo post inde reuersus, reconciliauit Conradum Olsnicensem Casimiro Regi, cum quo ipsi erat lis propter hæreditatem vxoris suæ in Masuonia, placatus est dono aureorum octies mille, summa nempe exigua, si æstimari debebat pretium patrimonij.

Missa fuit eo anno legatio ad Tartaricos reges, quæ nomine Cæsaris & Pontificis eos incendebat ad bellum contra Mahometum Turcicum, promissis grandibus stipendijs.

Tartari ostenderunt se facturos postulata, si iuberet hoc Casimirus Rex. Sed ab eo, vrgente adhuc bellum Prutenicum, hoc non potuit impetrari. Ita odia & ambitiones iniustæ Christianorum Regum exacuerunt gladios Turcicos, quibus nunc nulla potentia par est.

Tartaris non permittitur ut inuadant Turcos.

Anno

Anno 1466. facta est pax inter Casimirum & ordinem Prutenicum, post bellum tredecim annorum. Redactus erat ordo ad paucos, & Germania implicata ciuili bello parum eos iuuabat: Cæsar etiam à Mathia rege distinebatur, ne posset ipsis adesse, ideo facilius legato Pontificio, qui sitiebat cruorem Bohemicum, obtemperauit in accipiendis conditionibus pacis. *Cruciferi transfigunt cum Casimiro Rege.*

Præcipuum caput transactionis hoc fuit, vt Prussia auelleretur ab Imperio, & Magister ordinis esset sub clientela Regis Poloniæ. Nam reliquæ conditiones fuerunt tolerabiles. Magna enim pars Prussiæ illis relinquebatur, quia ipse Casimirus etiam expetebat pacem, quod exhaustus esset pecunia, & præuideret bellum Mathiæ regis Hungariæ, viri acerrimi.

Fuit igitur etiam ille euentus belli non funestissimus Germanis. Nam cum nobilitas ordinis, seditione suorum ciuium ex tota terra penè esset pulsa, & in duas munitiones incluſa, & præterea, inuaderet eos potentia vniuersæ Poloniæ, regni populosissimi, tamen Dei benignitate, & virtute sua, tot annos impetum hostilem egregiè sustinuerunt, & magnam partem Prouinciæ recuperarunt: ita vt & hoc exemplum non malè congruat ad sermonem Isocratis, qui dixit, se vidisse exitium omnium bellorum, quæ maximè varia sua ætate in Græcia gesta sunt, non secundum vires: sed secundum iusticiam fuisse.

Rodolpho legato splendida munera oblata sunt, sed ipse impetrauit, vt eadem donarentur Magistro ordinis: qua re ostendit, se affici calamitate Cruciferorum oppressorum per vim. Prutenis, qui manserunt in potestate Regis, hoc accidit, quod Xenophon habet in Epiphonemate suæ historiæ de bellis Græciæ: Cùm existimaretur esse debellatum, plus fuit confusionum in Græcia, quàm ante bellum. Nam mutatione imperiorum raro mutantur calamitates, & sæpe, vt aliàs dictum est, liberatores Rerumpublicarum solent vino libertatis acerbum acetum infundere, neque illa prudentis Poëtæ querela vana est, qui dicit:

Libertatis amor stultum cur decipis orbem.

Rodolphus confecta pace, Casimirum incendebat aduersus Georgium: cui quidem ad inuadendam Bohemiam voluntas non deerat, sed malebat eum arte quadam excutere, ne videretur fœdus factum frangere. *Rodolphus legatus Pontificius est tuba ciuilis belli.*

Reuersus in Silesiam, publicis concionibus & execrationibus plebem inflammabat in Bohemos, & euocabat homines, proposita spe de merito vitæ æternæ, non secus ac contra Turcos prius factum fuerat. Conuenit magna multitudo ex plebe, sed nobilitas detestabatur furores Pontificiorum, qui patriæ attracturi erant clades. Dux copiarum constitutus est Balthasar Saganensis, qui exercitus in Prussia duxerat.

Anno 1467. die 15. Maij egressi Vratislauia occuparunt Monsterbergam, & paulò pòst Francosteinum. Reliquerunt ibi præsidia equitum & peditum non contemnenda. Verum Duces regij ex ditione Glocensi collecto exercitu ex vicina Bohemia, adiuti etiam à Marchionibus Misnensibus & Brandeburgensibus, Vratislauienses in vrbem inclusos obsederunt, ibi re desperata, equitatus profugit, pedites autem & promiscua multitudo die S. Viti à Bohemis oppressi, iugulati & capti sunt.

Vratislauienses superãtur à ducibus Georgij regis.

Venerunt in potestatem hostium multæ insignes machinæ bellicæ, quas adduxerant Vratislauienses. Rursus die S. Iacobi Vratislauienses cum exercitu quatuor millium tentarunt Francosteinum, sed cum clade tunc etiam reiecti sunt. Ita πολυπραγμοσύνη, præsertim quæ regitur iniusta cupiditate sacerdotum, nunquam est fœlix.

Paulò pòst tumultus bellici ad Saganum & Freistadium, furente Iohanne Pribusiense, exorti sunt, & restincti ab Henrico Freistadiense, de quibus in altero libro scribetur. Legatus Pontificius, cui recens Roma noui socij superuenerant, post cladem Francosteinensem Cracouiam rursus excurrit, & Casimiro nomine Pontificis denunciauit, nisi ipse acciperet Regnum Bohemiæ, Pontificem illud traditurum alteri, eumq; nullo modo passurum, vt ibi dominaretur hostis Ecclesiæ Romanæ.

Paulò ante fuerant apud Regem legati Georgij, qui orabant, ne contra fœdus pateretur sese inflammari à Pontificijs ad iniustum bellum. Casimirus, Rex circumspectus & astutus, videbat Georgio nec vires nec fortunam adhuc deesse, & iuuabant eum etiam missis auxilijs Principes Misnenses & Brandeburgenses, ipseque Georgius multos ex Proceribus seditiosis fœlici bello persequebatur & vlciscebatur, ideo ratus expectandos esse flatus fortunæ, reiecit negocium in aliud tempus, & respondit: Sine assensu omnium suorum in re tanta nihil posse statui.

Misit tamen legationem in Bohemiam, quæ moneret Georgium, vt supplex fieret Pontifici, & qualicunque ratione cum eo transigeret. Georgius oppositit Polonis, quàm nullam causam tanti odij in ipsum haberet Pontifex, à quo concessionem Synodi Basilienſis non posset impetrare: Si tamen putaretur ipsi esse iniurius, non recusare sese iudicem ipsum Casimirum, ex cuius sententia errata sua velit corrigere.

Rodolphus, qui cognouerat responsum Georgij, conuocauit ordines Morauiæ, Bohemiæ & Silesiæ, qui defecerant à Georgio, mense Decembri Vratislauiam, & perfecit, vt significaretur Casimiro, non se posse ipsum accipere pro arbitro, causa iam iudicata à Pontifice, cui necesse esset parêre, & Georgium ex regno deturbare.

In Si-

In Silesia & Polonia rursus magna hoc anno grassata est pestilentia. Valachiam infœliciter tentauit Mathias Rex magna cum strage suorum, à Stephano Valachorum Principe, viro supra modum strenuo & impigro, ex insidijs oppressus & cæsus est. Ipse acceptis tribus vulneribus æger lectica in Hungariam relatus est.

Mathias uincitur & uulneratur in bello Valachio.

Rodolphus legatus, feruore suo contra Bohemos ita sibi conciliauit studia sacerdotum, vt mortuo Iodoco eligeretur in Episcopum Vratislauiensem. Pontifex regnum Bohemiæ tanquam pomum Eridos proiecit inter Monarchas, de quo mirificis studijs, odijs, artibus & bellis certatum est. Deferebat illud Mathiæ, cuius sciebat eum esse ardorem, vt semel moto bello, non esset conquieturus, nisi parta victoria. Fridericus etiam Cæsar, persuasus à Pontifice, cui totus erat addictus, ab amicitia Georgij Regis sese auertit, & non spernebat consilia suorum, qui monebant, vt in Regnum illud filium suum Maximilianum, egregiæ indolis adolescentem, collocaret.

Rodolphus legatus Pontificius eligitur in Episcopum Vratislauiensem.

Fridericus Cæsar transigit cum Mathia.

Renouauit igitur fœdus cum Mathia, hoc postulante, ab eoq; assentientibus Hungaris designatus est successor in regno Pannoniæ. His ita constitutis, anno 1468. mittitur legatus ad Casimirum, qui & ipse hoc pomum captabat, Prothasius Episcopus Olomucensis, is secreto hortatus est Regem, ne irritaret aduersus se arma fortissimi Regis Mathiæ, qui iam haberet amicum Cæsarem, sed affinitate vtrumq; sibi conciliaret, cum Mathias esset viduus, & Maximilianus adhuc puer. Hoc modo enim filias ipsius regnaturas, &, si nullus superstes relinqueretur hæres masculus, sine sanguine regna illa ad suos filios reditura.

Rex, qui optime & poëma & autorem eius agnoscebat, respondit alienius & penè rusticè, Successionem in regno Bohemiæ sibi ex lege & pacto deberi, si quis igitur illud esset appeturus, se ius suum non neglecturum. Mathiam nolle sese generum, qui aliquoties grauiter ipsum offendisset. Post Prothasium eueſtigio aduenit nuncius Georgij, qui iam omnia erat odoratus, orabat regem, vt constanter fœdus seruaret, daturum sese operam, vt vnus ex filijs Casimiri ad regnum accerseretur.

Fuit hoc gratum Casimiro, renunciauit igitur ipsi, seruaturum se pacta, modo Georgius etiam faceret, vt promissa apparerent. Interea Mathias collecto ingenti exercitu, omissa expeditione Turcica, quam habebat in animo, inuadit Morauiam: cui quidem ad fines Bohemiæ Georgius occurrit, sed impar Mathiæ, amissis multis militibus & equis, domum regreditur: reliquit vero in castris filium Victorinum; natu maximum, qui paulò ante Austriam populatus fuerat, & à militibus Cæsaris, cum incautius oberraret, cum clade reiectus, eum Mathias inclusum in quandam munitionem arctissimè obsedit.

Mathias infert bellum Georgio.

Frater Henricus eum liberaturus acceſſerat, ſed fruſtra laborauit. Victorinus tamen, deceptis ſtationibus vigiliarum, elapſus eſt. Arces verò & munitiones multæ in prima ora Bohemiæ, & in Morauia, Mathiæ deditionem fecerunt. Caſimirus, qui videbat premi Georgium, callidè conatus eſt ipſi detrahere regnum. Poſtulauit enim, vt vni ex filijs ſuis regno cederet, ita enim tam graue bellum commodiſſimè poſſe ſedari. Sed Georgius, qui technas illas fraudulentas deteſtabatur, hoc ſe facturum negauit.

Sileſiæ populus trucidatur in finibus Bohemiæ.

In Sileſia Vratislauienſes cum ſocijs expugnarunt & diruerunt arcem Francoſteinenſem. Eodem tempore ex vtraque Luſatia, concitante vbique plebem Rodolpho Epiſcopo, collecta eſt multitudo ſignata cruce, illicq; magna miſit auxilia Henricus Freiſtadienſis Glogouia & Freiſtadio: verum imperitus ille populus, dum ſibi parum cauet, magna edita ſtrage repulſus eſt, & plurimi ex ſubditis ducis Henrici deſiderati.

Rodolphus Epiſcopus eadem æſtate Principes Olſnicenſes & Fridericum Ligñicenſem, quibus ingrati erant illi tumultus, emiſſo fulmine excommunicationis Eccleſia excluſit, quòd non ferrent opem cæteris in profligando Georgio. Inuenio annotatum, eo etiam anno terribilem conſpectum eſſe Cometam, & quidem orbis terrarum penè vniuerſus, bellis & cædibus hominum tunc concutiebatur. Nam & in Gallia circumferebant arma, Galliæ Rex Ludouicus Vndecimus, & Carolus Burgundus, qui hoc anno Leodium, vrbem potentem & claram, quinto anno belli captam exuſſit, magna hominum multitudine trucidata, aut in flumen proiecta.

Leodium urbs ſolo æquatur à Carolo Burgundo.

Fridericus Imperator, poſteaquam ſibi fœdere nouo coniunxerat Mathiam, de quo ita bene ſperabat, vt eum appellaret filium ſuum, eiqúe abiens Auſtriam tanquam tutori commendaret, profectus eſt in Italiam: cuius itineris cauſa vulgo quidem ferebatur eſſe religioſum votum, ſed Cæſar vir omnium prudentiſſimus Pontificis autoritate res ſuas ſtabilire coram cogitabat. Reſpub. Veneta habuit ei honores exquiſitiſſimos, quam vrbem ſecundo tunc reuiſebat. Celebris fuit ſermo ætate auorum noſtrorum, Fridericum inter epulas narraſſe, ſe quidem Rempub: Venetam amicè complexurum, ſuos autem filios & nepotes graues futuros eſſe hoſtes eiuſdem.

Fridericus Tertius Cæſar denuo adit Romam.

Romam venit Pridie natalis Saluatoris, & vt hoc etiam annotem, tanquam exemplum eximiæ pietatis in principibus veteribus, ingreſſus eſt vrbem hora quinta noctis, ſicut ab occaſu Solis ſolent numerare horas Itali & Sileſij. Iam tunc autem, pro more illius noctis, Paulus Secundus Papa precibus & cantibus nocturnis in æde Diui Petri præſidebat. Cæſar nihil moratus eueſtigio in templum cum aulico ſuo comitatu intrauit, ibique

indutus

indutus ornatu, vt nominant, Diaconi, historiam Euangelicam de nato Christo publicè cecinit, cuius initium est: Exijt edictum à Cæsare Augusto. Paucas deinde horas ad lucem vsque, in aula Papæ quieuit. Mane autem ab orto sole pompæ missæ Pontificiæ, quæ mirabili cum strepitu & splendore peragitur, indutus ornamentis Cæsareis, ad vesperam vsque astitit. *Friderici Cæsaris pietas.*

Sequentibus diebus cum Pontifice & Senatu Cardinalium multa secreto tractauit, denunciatum tamen est, eum à Pontifice pro se & filio Maximiliano, confirmationem regnorum Hungariæ & Bohemiæ petiuisse, rogasse etiam Pontificem, ne ratam haberet pacificationem Prutenicam inter Casimirum & ordinem, quæ expressa videbatur vltima necessitate, & facta in detrimentum Imperij Germanici. Sed dum optimus Cæsar obit Italiam, & præsidium quærit à Pontifice, cui sua modo Monarchia cara erat, interea in Bohemia ea facta est rerum conuersio, vt Fridericus Mathiæ grauiter inciperet succensere.

Ineunte enim vere anni 1469. Mathias ducens exercitum 16000. hominum, in quo erat equitatus decem millium, adortus Bohemiam & Morauiam Georgij, ita crudeliter prouincias illas deuastauit, vt ab omni hominum memoria, Bohemi cladem tristiorem sese non expertos esse dicerent. *Mathias grauiter affligit Georgium.*

Georgio deerant vires, quas tam rapido flumini posset opponere, impetrauit igitur à Mathia colloquium, eumq; oratione valde querula & demissa affatus esse scribitur. Quæ mea peccata in te tanta sunt, inquit, optime mi fili, vt in me ita aspere sæuire statueris, qui te ex carcere, vbi vitæ & necis tuæ potestatem habebam, ad locuples regnum emisi, etiam filia mea nuptum tibi data, tu verò nunc, proiecto omni humanitatis sensu, mihi dignitatem & vitam eripis. *Mathiæ & Georgij regum congressus.*

Mathias generosè respondit: Nullo priuato odio, inquit, in te incensus sum, sed quia Pontifex caput Ecclesiæ, te, tanquam hæreticum & hostem Ecclesiæ, damnauit, regno deturbauit, mihiq; mandat, vt te excutiam, & accedit etiam autoritas Romani Cæsaris, ego tanquam Princeps pius & religiosus obedio. Georgius, lacrymis obortis, Mathiæ respondit: Deus, qui est inspector & iudex cordium, testis erit meæ affectionis, & ille mihi benignè tribuet, vt in vera fide & agnitione ipsius ex hac vita migrem: Oro autem te, paciscere mecum paucorum dierum inducias, & vocato ad te legatos Pontificios, ego ipsis audientibus meam innocentiam demonstrabo.

Assensus est Mathias, qui, etsi erat asper, tamen libenter parcebat supplicibus. Constitutus est dies colloquio, quartus Aprilis, in vrbe Olomucensi, eò cum accessisset Georgius, diuertit in vicinum oppidum Sternbergam. Inchoata est ibi quidem tractatio,

sed cum videret Georgius, Episcopos, qui aderant magno numero, omnem spem pacis interuertere, petijt vt ipsi Reges soli inter sese colloquerentur.

Obtemperauit Mathias, & ita duo Reges in vicino prædio sæpe & diu collocuti sunt. Etsi autem non prorsus constabat, quid ibi actum esset, tamen apparebat, Georgium conquestum de Casimiro, à quo esset desertus, & qui, ipso excluso, conaretur filium in Bohemiam collocare. Mathiæ etiam spem successionis, præterito Casimiro & Cæsare, feciſſe putatur. Factæ sunt igitur inducíæ in vnum annum, vt interea de conditionibus perpetuæ pacis ageretur.

Mathiæ regis ingenuitas.

Ostendit Mathias eo in congressu exemplum Principis generosi & verè heroici. Comitati ipsum fuerant Olomuciam in vrbem vsque duo Georgij filij, Victorinus & Henricus, allecti regis comitate, & beneuolentiæ significatione. Hoc cum odoratus esset accipiter, legatus Pontificius, regem adit, eumq; nomine Pontificis orat, faceret tandem finem difficilis huius belli, & totum orbem Christianum periculo, socios vero grauissimis sumtibus liberaret. Mathias inopinata petitione motus, proloquere, inquit, Pater, quánam ratione existimes nos victoria potiri posse. Equidem ego viam talem nondum reperio, qui video Bohemiam viris & munitionibus egregiè munitam, diu adhuc nostros impetus posse sustinere. At tu, inquit legatus, filios Georgij, qui incaute vrbem intrarunt, detineto: hoc enim modo pater, cuius spes omnes ex filijs pendent, potestati tuæ sese permittet. Nec tamen perfidiæ crimen subibis, cum illis salutem & reditum non promiseris.

Mathias irritatus scelerato consilio sacerdotis: Apage te, inquit, sacerdos, neque ego hoc modo fidem meam regiam contaminauero. Comiter & amicè ego adolescentes regios in via affatus sum, ipsiq; fidem meam & sermonis benignitatem secuti, vrbi sese crediderunt, hos ego nunquam fefellero, neque magis vultus meus, quam expressa oratio vel sponsio, mendax futurus est, cum simulatio insidiosa animo verè regio sit maximè indigna. Tibi etiam, ne posthac in regnis meis talia consilia seras, serió veto. Atq; ita Rex adolescentes, honorificè donatos, patri remisit.

MATHIAS HVNIADES
Hungariæ & Bohemiæ Rex, Princeps Silesiæ.

GEorgius plenus bona spe domum proficiscebatur. Interea Episcopi, qui nullam mentionem pacis tolerare poterant, perfecerunt apud quosdam ordines Bohemiæ, vt etiam inconsulto Cæsare, tertio Maij, Mathias Olomuciæ renunciaretur Rex Bohemiæ.

Mathias

Mathias aliquandiu tergiuersatus, tamen, cum putaret placari posse Georgium, qui simile aliquid proposuerat, regnum accepit, & digitis pro more in codicem Euangeliorum impositis, iurauit se dominaturum sine iniusticia & crudelitate. Facta electione, Mathias vrgentibus Episcopis profectus est in Silesiam. Ingressus est Vratislauiam 26. Maij, qui fuit dies sexta post ferias sanctæ Pentecostes, adduxit equitatum quinque millium, in quo fuerunt Principes magni nominis. Deductus est à nobilitate & populo ad pontem vsque Viadri, vbi ab Episcopo & sacerdotibus exceptus est: Mathias equo descendens osculatus est reliquias Sanctorum oblatas à sacerdote, tandem templum intrauit, & peractis sacris cantionibus, in curiam Cæsaream diuertit.

Mathias renunciatur rex Bohemiæ.

Mathias uenit Vratislauiam.

Reperio apud Mathiam tunc fuisse Vratislauiæ Principes Silesiæ octodecim. Venit etiam eò Albertus Marchio Brandeburgensis: is honorificè fuit acceptus à Rege, & reconciliauit Mathiæ Fridericum Lignicensem, nepotem suum, quem Rex in Ducatum illum collocauit, & nauauit deinde Fridericus Mathiæ egregiam operam in bellis Bohemicis & Polonicis. Calendis Iunij ciuitas Vratislauiensis iurauit in verba Mathiæ, eam deinde secuti sunt Principes, & alij ordines, cum Silesiæ tum Lusatiæ. Mathias etiam Vratislauia excurrit, & sepulchrum beatæ Heduigis inuisit.

Fridericus Primus collocatus in ducatum Lignicẽsem à Mathia.

Regi tunc non bene conueniebat cum Conrado Nigro Olsnicense, & Iohanne Pribusiense, qui adhuc Georgio fauebant. Quinto Iulij Mathias Vratislauia digrediens, in Morauiam redijt. Georgius Rex Pragæ quidem istos conatus Mathiæ ægrè ferebat, sed tamen, ne ipse inducias rumpere videretur, quiescebat. Cum autem mense Iunio denunciasset illi Mathias, non se posse impetrare vsum sacri calicis Bohemis à legatis Pontificijs, sicut promiserat, Georgius amicitiam ipsi renunciauit, atque ita assentiente Rege, & proceribus regni, qui erant partium Georgij, electus est in Regem Bohemiæ Vladislaus, filius natu maximus Casimiri.

Casimiro hæc electio denunciata est 19. Iulij, sed fuerunt adiunctæ tales conditiones: Georgius teneat regnum vsque ad mortem, illi succedat Vladislaus: Casimirus interea impetret à Pontifice, vt Georgius legitimo modo audiatur, aut si hoc non obtinetur, contra hostes eum quoscunq; defendat. Reginæ Iohannæ, coniugi Georgij seruentur bona dotalia, filijs sui ducatus, proceribus regni magistratus & honores, quos habuerunt sub Georgio. Casimiro non placebant omnia, & dehortabantur eum ab amicitia Georgij magno studio Episcopi, tamen ne videretur fastidire Bohemos, misit legationem Pragam, quæ de illis conditionibus cum Bohemis ageret.

Vladislaus Casimiri filius eligitur in regem Bohemiæ contra Mathiam.

Mathias reuersus in Morauiam, nactus est Victorinum filium Georgij, qui cum exercitu vastabat Morauiam, eum profligatum, &

Victorinus Georgij Regis filius captus à Mathia.

tum, & demum 29. Iulij captum misit Budam, vbi per biennium fuit in custodia. His rebus perfectis, reuisit Hungariam, turbatam à Casimiro, qui illi vndiq; submittebat aduersarios. Nam & proceres regni ab eo abalienabat, & Stephanus Valachiæ Princeps, socius Casimiri, Transsyluaniam populatus fuerat.

Henricus Monsterbergensis acerbe depopulatur Silesiam.

Interea autem dum Rex medetur turbis Hungaricis, grauiter fuit afflicta Silesia. Sub initium enim Septembris, Henricus Monsterbergensis, filius Georgij, vlturus iniurias patris, collecto exercitu Silesiam inuasit: Vrbes quidem, Sittauiam, Laubenam, Bolesłauiam, Goltpergam, Hannouiam, pecunia mulctauit, sed omnia bona sacerdotum, & pagos plurimos diripuit, & exussit.

Metuebat suæ ditioni Henricus Freistadiensis, ideo collectis copijs non contemnendis, processit ad Lubenam, vt opponeret se Henrico irruenti: sed is deflexit in agros Vratislauienses, vbi rapinis, flamma & ferro cuncta deuastauit. Sæuijt autem inprimis in prædia Episcopi & Sacerdotum, qui erant flabella huius incendij.

Mathias re cognita, etiam pecunia Silesios iuuerat, vt sese opponerent hosti, sed ea fuit ordinum segnities, vt nulla mitterentur auxilia. Occurrit Henrico Monsterbergensi in Morauia cum tumultuaria manu suorum Mathias: sed à Bohemis victus & fugatus est. Vratislauiæ magnum periculum fuit de seditione, quia promiscua turba vociferabatur, consilijs Episcopi & Senatus accersitum esse Mathiam, & tantas clades regno attractas.

Mathiæ Regis ingenium apertum.

Ardente eo bello, & satagente Mathia, venit ad Regem quidam ex familiaribus Georgij, qui ferro se Georgium confixurum spondebat, si à rege premium aureorum quinquies mille sibi promitteretur. Mathias, scripto chirographo, argentum, quod postulabat, pollicitus est. Promisit etiam vberiora, si quidem præstitisset, quod in se receperat. Non multo post nunciauit idem regi, gladio quidem Georgium, fidis satellitibus stipatum, iugulari non posse, sed eundem veneno certò, modo hoc iuberet Rex, sese sublaturum. Mathias vero ne venena Georgio misceret edixit, & addidit, delectari se voce verè heroica Fabricij, qui dixerat, Romanos ferro non venenis pugnare consueuisse, exemplumq; illius imitatus, monuit Georgium, vitaret venena, nullisq; cibis, nisi prius à fidissimis prægustatis, vteretur.

Stephani Valachi res gestæ in Tartaros.

Tartari eo anno effusi in Prouincias regni Poloniæ, supra decem millia hominum in seruitutem abduxerunt. Attigerunt etiam Valachiam, sed Stephanus Valachiæ Princeps, quo tunc vix alius fuit Dux bellicosior, ex loco oportuno Tartaros adortus, ingenti strage eos profligauit, capto filio Regis Tartarici: eum

pater

pater postea, missa legatione, in qua erant centum oratores, repetijt, addita graui comminatione. Sed Stephanus, vir non modo imperterritus, verumetiam crudelis, Regium filium in conspectu legatorum in quatuor partes dissecari curauit, legatos vero palo transfixit, vno tantum resectis naribus & auribus ad suum regem remisso, qui historiam rei gestæ exponeret.

Eadem hyeme, fluminibus omnibus glacie concretis, Turci irruptione facta, oras maritimas Hungariæ per Sclauoniam ad vsque Ciliam atrociter & impunè vastarunt, cum Cæsar & Mathias, arte Romani Pontificis, alijs bellis essent impliciti. Initio anni 1470. Mathias, qui formidabat iram Cæsaris, conatus est eum placare, & inuenio annotatum, Mathiam, qui inter alios in suo comitatu habebat Fridericum Principem Lignicensem, accessisse Viennam ad Cæsarem, neque tamen facta est concordia. Nam paulò pòst Cæsar misit legatum ad Casimirum, qui Mathia obsidente omnes vias, vix potuit penetrare in Poloniam.

Conquestus est is de iniurijs Mathiæ, exposuit quàm amanter ipsum esset complexus Cæsar, quomodo illum iuuisset sua commendatione apud Pontificem: verum ipsum ardentem cupiditate iniusta proferendi Imperij, Cæsari non seruare pacta, concitasse etiam seditionem in Austria contra Cæsarem, vt hoc modo ipsum distineret. Quare Cæsarem deinceps Mathiam deserturum, & quæsiturum amicitiam Polonorum. *Fridericus Cæsar auertit se ab amicitia Mathiæ.*

Grata fuit hæc legatio Casimiro, qui alioqui societatem Cæsaris expetebat. Mittit igitur idoneos homines ex suis in Austriam, qui fœdus cum Imperatore faciant, & etiam de affinitate mutua deliberent. Verum cum Cæsar Regem Hungariæ sese scriberet, Senatus Polonicus fœdus illud non probauit: quia putabat filijs Casimiri deberi successionem in regno illo.

Mathias hoc anno fuit occupatus in pacando suo regno, & colligenda pecunia. Nam & domesticæ seditiones ipsi, arte Polonorum, concitabantur, & superiori anno magnos fecerat sumtus. Interea Georgius mediocri cum successu percurrit Morauiam, & ex altera parte Henricus Monsterbergensis Silesiam ex ditione Glocensi acerbè rapinis & flamma vexauit. Mandante rege Mathia, vetus moneta edicto prohibita est, & excusa noua, & quidem adhuc hodie extant tales grossi. Iubente etiam Rege, aliqua pecuniæ summa, vt populus oppressus miserijs bellorum placaretur, in multitudinem coniecta est.

Pontifex, qui erat fax tanti ciuilis incendij per Europam, cum intelligeret, malè audire se, quod suis consilijs attraheret & confirmaret arma Turcica, eò perduxit Venetos, quibus tunc Mahometus grauis erat hostis, & recens Chalcidem illis ademerat, vt Mathiam

thiam eligerent Imperatorem in bellum Turcicum, ipſiq; ſumtus promitterent. Intelligebat Mathias conſilia Italica, quæ ipſum ita irretire cupiebant bello Turcico, vt progreſſus in Græciam, inde ſe non poſſet explicare, niſi bello ex ſententia confecto: neque ſolum vires ſuas metiebatur, quæ valde impares erant Mahometo, verum etiam meminerat Vladislaum Polonum deſertum & deceptum fuiſſe ab Italis, & videbat inhiare ſuis regnis, ab omnibus partibus, hoſtes inteſtinos, eoſque grauiſſimos. Ideo, quod olim dictum eſt, Cretizans cum Cretenſi, reſpondit, aſſenſurum ſe poſtulatis, modo Veneti prius oram Dalmatiæ, interceptam à Pannonia, redderent. Ibi cum Veneti tergiuerſarentur, nihil fuit perfectum.

Mathias reſpuit titulum Imperatoris in bello Turcico.

Annus 1471. rurſus plenus fuit ingentibus motibus. Mathias, cum hoſtes experiretur Turcum, Fridericum Cæſarem, Polonum, Bohemum, Stephanum Valachum, & domi gliſceret ſeditio, ſtatuit tranſigere cum Georgio, miſertus infœlicitatis ipſius. Promittit igitur illi regnum ad mortem vſque: Victorino filio libertatem, & dominatum aliquem in Morauia aut Sileſia. Placuit hoc vehementer toti Bohemiæ, & iam nemo cogitabat de accerſendo Polono. Sed gratum nomen pacis mors Georgij conturbauit, is confectus ſenio & ærumnis, 22. Martij ex hydrope deceſſit.

Georgij Regis mors.

Fuit vir cupidus gloriæ quidem, & vaferrimus, ſed alienus à ſæuitia, & conſtans in ſua religione, à qua nec oſtentatione opum, nec vllo metu periculorum potuit auelli. Monumento Adriani VI. Belgici, Pontificis Romæ inſcriptum eſt: Hic nihil ſibi infœlicius in vita duxit, quàm quod imperaret: ita profecto longè fœlicior fuiſſet Georgius, ſi nunquam regnaſſet. Corpus pro more Principum vbi euiſceratum eſt, deprehenſum eſt, mediam fermè epatis partem fuiſſe conſumtam, eáque cœnoſæ cuidam putrilagini ſimilis fuit. Inuenti ſunt etiam calculi grandiuſculi in fellis veſicula.

Pontificij, tanquam oſtentum æternæ damnationis, hoc ſparſerunt, ſed notum eſt, hydropicis hoc modo ſenſim colliquari & abſumi epar, lapillos vero cum in bilis folliculo, tum in ipſa epatis maſſa, in ſectionibus Italicis crebrò vidimus: quod ipſum nos commonefacere debet, primam generis humani originem eſſe ex materia cœnoſa & lapidoſa, & tandem fore, vt corpora noſtra rurſus in lutum tranſmutentur. Rodiezana moriens quindecim diebus regem præceſſerat.

Rodiezana moritur.

Etſi autem fortaſſis ſua habuit vitia: ſicut impetus ardentes, & grauium negociorum moles, non ſemper ſine erroribus procedunt, tamen certum eſt, fabellas, quæ de horrenda ipſius deceſſione euulgatæ ſunt, confictas eſſe à Pontificijs, hoſtibus Bohemorum.

In Bohe-

In Bohemia ordines in diuersa studia propter creandum nouum Regem scindebantur. Nam alij cupiebant Mathiam, alij Cæsarem, alij Polonum, alij alios. Albertus Princeps Misnensis, cui & ipsi iuris aliquid videbatur esse in illo regno, cum exercitu 5000. Bohemiam ingressus est, & denunciauit proceribus, vt liberam facerent electionem, se ipsis præsidio futurum. Tandem arte Bohemorum Hussiticorum, qui Mathiam & Cæsarem, tanquam nimis acres propugnatores aulæ Pontificiæ, oderant, comitia in montes Cuthnos translata sunt: ibi inter magnas rixas & confusiones, aut ipse Casimirus, aut filius natu maximus acclamatus est Rex Bohemiæ. Mouerant consilium legati Poloni, qui promiserunt, Casimirum pro sua autoritate placaturum esse Pontificem, & abolitu- *Vladislaus uocatur ad regnum Bohemiæ.*
rum omnia edicta edita contra illud regnum. Præterea pollicíti sunt, Vladislaum exoluturum debita regni, quorum summa trecenta millia aureorum excedebat. Missa est statim legatio Cracouiam, quæ accersiuit Vladislaum.

Interea Mathias, qui cognita morte Georgij, Iglauiam venerat, & frustra quosdam ex præcipuis proceribus suarum partium ad comitia miserat, à legatis Pontificijs, qui Romana diplomata proferebant, in Regem Bohemiæ consecratus est. Deinde celeriter in Hungariam regressus est, vt colligeret exercitum, quem Vladislao profecturo in Bohemiam, opponeret. Interea Fridericus Lignicensis, & Iohannes Pribusienſis, qui militabant Mathiæ, & præterea Franciscus Hagecus, qui erat Dux belli apud Vratislauienses, cum copijs subitarijs Bohemiam grauissimè deuastarunt, grassati in bona illorum, qui Mathiæ aduersabantur.

Albertus Misnensis, Ernesti Electoris frater, rebus hoc modo in Bohemia turbatis, domum redijt. Pater Casimirus filium Vladislaum instruit ad profectionem Bohemicam, eò quidem maturius, ne eum anteuerteret Mathias, qui hærebat adhuc in Hungaria, & occupatus erat in sedandis intestinis motibus, quos ipsi concitabat Casimirus.

Proficiscitur Vladislaus ex Polonia cum equitatu septem *Vladislaus peruenit in Bohemiam.*
millium, peditatu duorum millium. Adiunxerant se ipsi in primo aditu Silesiæ aliqui Principes, inimici Mathiæ, inter quos erant præcipui Olsnicenses: raptim verò transibat, quia metuebat Mathiam, ne is eum consequeretur. Et properauit quidem Mathias magno studio, sed extremum agmen adipisci vix potuit non procul à Glocio: atq; ita Vladislaus à Bohemis ibi eum expectantibus cum exercitu, receptus est, & Pragam ductus. Impositа est ipsi coro- *Vladislao imponitur corona regni Bohemiæ.*
na regni Bohemiæ 16. Augusti, ab Episcopis Polonis, quos deinde pœna excommunicationis affecit Pontifex.

Autumno huius anni fulsit Cometa per quatuor septimanas *Cometa conspicitur.*
ante ortum Solis, percurrit signa Virginis & Libræ: putabatur

accensus esse & regi à Marte. Denunciauit vastationem & æruminas Silesiæ. Casimirus, vt Mathiam distineret domestico bello, conciliauit sibi studia quorundam procerum Hungaricorum, illi facta conspiratione, accersunt ad regnum Hungariæ Casimirum filium, quem pater instructum exercitu viginti millium in Hungariam misit: & erat plenus bona spe, Mathiam ex vtroq; regno, Bohemiæ & Hungariæ, posse excuti.

Casimirus filius regis Poloniæ infœliciter inuadit Hungariam.

Habuit in castris illis quadringentos equites Silesios, quos ex Ducatu Glogouiensi collectos, adiuuante eos Principe Primislao Canonico, ducebant Abrahamus Baro Donauiensis, & Iohannes Lestius. Sed expeditionis illius exitus fuit infaustus. Nam Principes Hungari, territi à Mathia, nihil sese commouerunt, & Mathias munitiones limitaneas præsidijs firmis tuebatur, & Polonos mora frangebat. Hyeme per ocium exacta, & profusa pecunia, quam aduexerat Casimirus, sub initium noui anni reduxit exercitum in Poloniam.

Mathias vero, edoctus de illo receptu, qui erat simillimus fugæ, adortus est eos, intercepit omnia impedimenta exercitus, & plurimos equos adeptus est: Poloni vero cum suo Principe, inglorij, & cum clade domum redierunt. Interea dum ita dissident, & cruorem ciuilem fundunt Christiani Monarchæ, Mahometus vsus ea occasione, emisit Isabecum, magistrum equitatus Europæi, virum impigrum & immitem, qui non solum oras maritimas Illyrici, verum etiam Prouincias Austriæ ad ipsos vsque Italiæ limites, facta miserabili populatione, percurrit: & cum diu in Stiria, & tota illa vicinia vagaretur, scribitur abduxisse vltra quinquaginta millia hominum.

Mahometus late uastat prouincias Christianorum.

Fridericus Cæsar, qui erat Dominus illorum locorum, agebat tunc conuentus ordinum imperij Ratisbonæ, & proponebat Principibus controuersiam de regno Bohemico, vbi, etsi legati Pontificij & Mathiæ valde intercederent, ne Cæsar probaret electionem Vladislai, quam Pontifex dicebat esse factam ab hæreticis, odio religionis Romanæ, tamen, cum Cæsar vehementer iraseceretur Mathiæ, facta est inclinatio ad Vladislaum: vnde postea luctuosa bella in Austria secuta sunt, & Pontifex irritatus in Cæsarem, non modo optimum & placidissimum senem, asperrime per literas obiurgauit, verum etiam Mathiam contra Cæsarem quantum potuit armauit.

Mense Ianuario & Februario anni 1472. rursus conspectus est Cometa, per quinque Septimanas, qui, vt annotatum est à Sacerdotibus, fuit Pogonias. Fulgebat post Solis occasum & vagatus est per signa Zodiaci tria, Aquarium, Pisces & Arietem. Iudicatum est tunc excitatum & ductum eum fuisse à Mercurio & Saturno: Portendit clades præcipuis Europæ regnis, Galliæ, Belgico,

Cometa denuo conspectus.

gico, Hungariæ & Poloniæ. Secuta est ingens aëris siccitas, ita vt magna flumina exaruerint, & plurima passim fuerunt incendia. *Siccitas aëris inusitata.*

In Pannonia Mathias deleuit reliquias exercitus Polonici, puniuit etiam seditiosos, & Episcopos, Strigoniensem & Quinque-ecclesiensem, qui fuerunt autores conspirationis, ita terruit, vt ex mœrore animi Apoplexia superueniente extinguerentur. Casimirus autem Rex fuit in magna sollicitudine propter res aduersas filij, & egestatem suam. *Mathias mulctat Episcopos sui regni.*

Cum enim vrgeretur multis bellis, adeo tamen erat inops, vt, sicut narrant scriptores Poloni, deessent ipsi sumtus ad quotidianum victum. Et cum equitibus, qui superiori anno in Pannonia militauerant, inter quos Silesij etiam erant, non soluerentur stipendia, omnia itinera in Polonia fuerunt infesta latrocinijs. *Casimiri Tertij Regis egestas.*

Cæsar princeps sagacissimus, reuersus à conuentu Ratisponensi, motus precibus Pontificis, & quod cuperet Mathiam bellum transferre in Turcos, ostendit se non abhorrere à concordia. In pactis superiorum temporum promiserat Mathias Cæsari, sese non ducturum vxorem, vt successio in Hungaria Cæsari esset certa, ea conditio tunc ipsi est remissa, facta etiam spes de confirmatione regni Bohemici. Alebat ita Cæsar beneuolentiæ significatione vtrumque, Hungarum & Polonum, & ipse iam tunc respectare cœpit coniugium Burgundicum: vbi Mathias, cui optimè cum Carolo conueniebat, poterat eum impedire. *Fridericus Cæsar respicit ad amicitiam Mathiæ.*

Venit deinde in Poloniam, missus à Sixto recenti Pontifice, vir magnæ dignitatis per Italiam, Marcus Patriarcha & Cardinalis Aquilegiensis Venetus, vt constitueret pacem inter tres Reges, & accenderet bellum Turcicum. Mathias, etsi prosperitas præsens ipsi addebat animum, tamen Casimiro petenti inducias aliquot mensium, assensus est: & ipse magno apparatu moliebatur bellum Turcicum. Sed cum legatus Pontificius, de pace nihil efficeret, Mathias pecuniam, quam grandem corraserat, reseruare statuit in bellum Polonicum, quod omnino futurum videbatur. Atque ita rursus domestica discordia, occasio, rei præclarè gerendæ, amissa est.

Hussancanus enim Persarum Rex, genere Turcus, Asiam minorem penè omnem vastauerat ferro & flamma, captis vrbibus præcipuis, Trapezunte & Sinopoli. Is hortabatur Christianos reges, vt, dum ipse Mahometum in Asia retineret, illi Græciam nudatam robore militari inuaderent. Sed frustra hæc occinebantur Regibus, quorum animi domestica ambitione & odijs ardebant. *Turcicum regnum creuit ex intestinis dißidijs regũ Christianorũ.*

Nam Mathias, Rex plenus spiritus feruentissimi, cum audiuisset proponi à Casimiro conditiones pacis sibi incommodas, renunciauit ipsi per legatos, nihil opus esse tali pace, se propediem Casi-

miro regi caluo, reliquos etiam pilos euulsurum. Interim præfectus Turcicus, qui putauerat reges processuros in Græciam, & iustas copias armauerat, ne esset ociosus, triplici excursione omnem oram Sclauonicam, Istriam, & illum Italiæ aditum, qui forum Iulij nominatur, ad ipsum vsque oppidulum S. Danielis, quod vix bidui itinere ab vrbe Veneta distat, depopulatus est, & abegit vltra 12000. hominum, nec vlla in tanta voluntatum distractione, illi opposita est defensio.

Turci latissime faciunt uastitatem.

In Ducatu Saganensi Silesiæ inferioris, crudele est editum facinus, quod altero libro exponetur. Anno 1473. Cardinalis Venetus, Nissæ, Tropauiæ, & alibi, multum laborauit de pace conficienda inter reges, sed eo successu, qui iam olim significatus est: Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas Impatiens consortis erit. Tandem cum Casimirus Mathiæ quosdam latrones immisisset in Hungariam, tota spes pacis turbata est.

Erat in Pannonia agmen quoddam militum, collectorum ex varijs populis, quod nominabatur Acephalum, illud, vbi domi ocium erat, aut vacatio à bellis, passim grassabatur: & cum Cæsari in Austria quidam proceres aduersarentur, latrones illi seditiosis operam suam nauarunt, & quia putabatur hoc factum Mathia non nesciente, Cæsar denuo illi grauiter succensuit. Attraxit etiam ad se ex illo agmine manum Polonicam, eamq; clam auxit & instruxit Casimirus, eámque in Pannoniam misit, vt Mathiam domi retineret.

Sed Mathias, tanquam minimè cunctator, collectis copijs non magnis, Polonos non difficulter vicit, recuperatis omnibus locis, quæ iam occupauerant, & præsidijs in limitibus firmauerant. Addidit autem Mathias ignominiæ notam præsidiarijs Polonis. Eripuit illis arma, attribuit in manum fustes, eosq; ita armatos in patriam remisit. Nobiles ex illis iurauerunt, etiam pro rege & patria sua, nunquam tamen arma in Mathiam sumturos. Tanta autem fuit acerbitas odij inter istas gentes, vt quidam præfectus Mathiæ, magni nominis, iuberet nunciari Polonis, se etiam pœnas inferni æquo animo toleraturum, modo prius insignem cladem Polonorum vidisset.

Hungari & Poloni acerbissime dissident.

Fridericus Cæsar ea æstate congressus est in vrbe Treuirorum, cum Carolo Burgundico, qui hoc diu multumq; petiuerat. Fuit ibi actum de multis rebus, & inter alia de coniugio Maximiliani & Mariæ Burgundicæ. Sed perfici tunc nihil potuit. Nam Carolus nolebat pacisci cum Cæsare, nisi in pace simul comprehenderetur Mathias Rex, amicus Caroli. Cæsar vero, cui iam nunciatum erat, Casimirum graue bellum in Mathiam moliri, noluit assentiri: Præterea cum in omnibus rebus esset splendor plus quàm Persicus Caroli, & fastus in oratione & gestu valde indecorus, ita vt fastidire videretur tenuitatem Cæsaris, præ se ferens parsimoniam

Friderici Cæsaris & Caroli Burgundici congressus.

niam & modestiam quandam Laconicam, secuta est animorum alienatio, & Cæsar insalutato Carolo illinc discessit.

Reuersus in Germaniam superiorem, Augustæ legatis Casimiri promisit, se Vladislao insignia regni Bohemici collaturum. Cardinalis Venetus proposuerat, vt vterq; regum, Mathias & Vladislaus, Bohemia sese abdicarent, & paterentur arbitros, vel Galliæ Regem, vel Carolum Burgundicum, vter causam foueret iustiorem, sed hoc frustra fuit. Præfectus Turcicus ex Bosna rursus omnem ferè Stiriam & Carinthiam depopulatus est.

Sed in Asia Mahometum, qui omne robur Asiaticum contraxerat ad delendos Persas, Hussancanus Rex Persicus duobus prælijs superatum fudit & fugauit, cæsis de exercitu Turcico 56000. hominibus, inter quos fuerunt ductores ordinum 150. Mahometus territus tanta clade, non obtulit sese amplius ad pugnam, sed ex castellis, extructis in faucibus montium, machinis bellicis graui detrimento Persas affecit, inter quos filius etiam Hussancani discerptus est.

Hussancanus Rex Persicus uincit Mahometum.

Cracouiæ eo anno mortuus est celebris Theologus Silesius Iohannes Cantiensis, is & ob doctrinam, sua ætate, & vitæ sanctimoniam, fuit clarissimus, ita vt eum Polonia pro numine post mortem adorauerit, & multa ipsi miracula, Pontificia nempe, asscripserit. Fuit eius Apophtegma memorabile, commonefaciens de modestia:

Iohannes Cantiensis celebris Theologus Cracouiensis.

Conturbare caue, non est placare suaue.
Infamare caue, nam reuocare graue.

Etiam hoc anno fuit torrida aëris siccitas, rebus terra nascentibus perniciosa, & magna fuit secuta annonæ caritas. In celebri memoria apud patres nostros fuit annus 1474. quo duo Reges Mathiam Vratislauiæ obsederunt & oppugnarunt, infœlici cum euentu. Historiam rerum illarum breuiter recensebo.

Sub initium Februarij Mathias, vt vlciscereturPolonum, qui toties ipsi latrones in regnum immiserat, exercitum sex millium hominum in Polonos armauit, qui subito oras Poloniæ vndiq; grauiter vastarunt. Exusti sunt supra bis mille vici & pagi, occupatæ etiam aliquot munitiones, & multa millia hominum in Hungariam abducta.

Mathias uastat Polonia.

Casimirus Rex lenis, interea agebat conuentus suorum ordinum, & frustra disputabat de cohercenda licentia nobilitatis, & puniendis homicidis, nec suos potuit colligere, vt repelleret Hungaros. Pugnauit tamen suis artibus, hoc est, callida dexteritate, & rursus proceres quosdam Hungariæ, præsertim in Transyluania, sibi coniunxit, & contra suum regem concitauit. Verum paulò pòst denuò fiebat mentio inducarum, à quibus ne abhorreret Mathias, duæ eum causæ mouebant. Cupiebat enim prius pacare motus intestinos,

testinos, & imprimis metuebat Mahometum, qui tunc grandi cum exercitu obsidebat Iaizam vrbem, quæ parebat Mathiæ. Et quidem tantus fuit ardor huius regis, vt subito arma in Turcum conuerteret, quem tamen sciebat robore & multitudine longè esse superiorem. Nec virtuti defuit salutaris euentus.

Mahometus cedit Mathiæ uenienti.

Nam Mahometus, cum vrbem per aliquot dies acerrimè, sed frustra oppugnasset, certior factus aduentare Mathiam, bombardis in profluentem demersis, celeri abitu cum ignominia in Thraciam rediit. Inde apparuit, quam prodesse potuisset orbi Christiano regis huius vigor, si omissis ciuilibus bellis, Turcos, adiutus à cæteris Monarchis, fuisset adortus.

Mathias regressus in regnum, multos ex suis proceribus affixit, ademtis illis oppidis & arcibus, quod existimarentur colludere cum Polono, cui propter moderationem & facilitatem multi erant æquiores. Interea ex Silesia etiam bellum Poloniæ illatum est. Iohannes Pribusiensis, qui ducatum suum Saganensem Principibus Saxoniæ vendiderat, & tunc Mathiæ militabat, ex mandato regis contraxerat exercitum sex millium bene armatorum. Senatus Vratislauiensis, ita iubente rege, misit ipsi machinas bellicas. Depopulatus est magnam partem Poloniæ maioris, incendit vicos & pagos supra sexcentos. Oppositus est ipsi exercitus 12000. quem collegerant Palatini illius regionis, illi tamen cum hoste animosc, & instructo bombardis, non ausi sunt congredi: ideo deinceps admodum contumeliosè in Polonia, ob socordiam & infidelitatem, traducti sunt.

Iohannes Pribusiensis inuadit Poloniam maiorem.

Auxit autem eam suspicionem Dux Iohannes, qui prædijs Palatinorum parcebat, vt hac ratione eos magis inuisos suis redderet. Nullus autem fuisset finis illarum vastationum, nisi Iohannes in flammam in oppido Kifelio lapsus esset, vnde semiuiuus vix extractus, & Stinauiam ad socrum relatus est. Casimirus tunc desidebat in Prussia, vbi Mathias etiam illi aduersarios conciliauerat: audita vero vastatione Poloniæ, grauiter exarsit contra Silesiam, eamq; aspere castigare decreuit.

Iohannes Pribusiensis lapsus fuit in ignem.

Edixit igitur expeditionem vniuersalem regni, & omne robur suum ad medium mensis Augusti sibi præsto esse iussit: Vladislao etiam filio, regi placido quidem, sed hebeti & inopi, misit in subsidium belli Silesij 24000. aureorum, eumq; monuit, vt sub finem æstatis ad Vratislauiam cum Bohemico exercitu accederet. Sed dum hoc modo indulget iræ Casimirus, & parat bellum ingentem nostram, acerbum accepit nuntium, qui tamen à proposito eum nec auertit, nec permouit, vt cogitaret de defensione.

Casimirus parat bellum in Silesiam.

Tartari enim infusi in vicinas Poloniæ Prouincias, tractum æquantem longitudine milliaria centum, peruagati sunt, ferro & flamma sæuientes promiscuè, & nemine resistente innumerabilem turbam hominum secum raptauerunt. Postea quam fama per Europam

Tartari deuastant Poloniã.

ropam euulgata est, tres Reges omnibus viribus collectis bellum ciuile instaurare, multi ex Monarchis intercedebant, & de pace agebant, Pontifex, Carolus Burgundicus, & alij Principes. Verum Casimirus, qui omnino sperauerat, Mathiam non toleraturum impressionem totius Poloniæ & Bohemiæ, cum Hungari ipsum in Silesiam non essent secuturi, fuit alienus à pace.

Mathias denuo uenit Vratislauiam cum exercitu.

Mathias, vt anteuerteret Casimirum, etsi adhuc erat imparatus, tamen cito Vratislauiam aduolauit, & eò peruenit 13. Septembris. Secutus est eum post aliquot dies exercitus sex millium hominum, qui dicebatur legio nigra, collectus ex militibus veteranis multarum gentium, quos perpetuo alebat in armis grandi cum sumtu. Poloni segniter conueniebant, & sine disciplina militari, atq; domi gerebant bellum in suos, præsertim in bona sacerdotum. Mathias vero copias in vicinum agrum Vratislauiensem hinc inde distribuit, vt haberent alimenta, sed milites, Hungari præsertim, graues erant hospites Silesijs, & penè minus tolerabiles quam hostes.

Silesia grauiter afflicta à militibus.

Mathiæ sermo ad Episcopum Vratislauiensem.

Rex, qui non abundabat pecunia, sæpe cogebatur conniuere. Dicitur appellatus esse ab Episcopo, & rogatus, mandaret militibus, vt parcerent prædijs sacris. Rex subridens, Optime pater, inquit, tantæ sunt meæ huius temporis occupationes, vt ego non possim omnes coercere, oportet vos etiam partem aliquam communium malorum ferre, & cogitare non frustra vos illud in templis sonare: Pinguis est panis Christi, præbebit delicias regibus. Extorsit etiam à ciuitate ipsa ad 12000. aureorum.

Eodem mense venit Vratislauiam Ernestus Saxoniæ Elector, qui adduxit equites sexcentos, optimè armatos, & præterea in comitatu suo habuit multos egregios viros, dignitate & eruditione præstantes. Is persuasit Mathiæ, vt denuo legatos de pace ad Casimirum mitteret, & ipse diligenter per suos intercedebat. Sed cum dilata res esset, & Mathias ignaua arma Casimiri metuere desijsset, Ernestus tunc nihil perfecit, à Casimiro tamen impetrauit, vt in vastatione Silesiæ abstineret à Ducatu Saganensi, qui ipsi parebat, ipse autem Pridie Calend. Octobris publicè Vratislauiæ fidem dedit Mathiæ regi, propter Ducatum illum, quem à Iohanne emerat. Magis enim probabat causam Mathiæ, quam Vladislai.

Ernestus Elector Saxoniæ iurat in uerba Mathiæ.

Casimiri exercitus quem duxit in Silesiam.

Casimirus trahens exercitum 60000. in quo erant Lithuani & Scythæ, sub initium Octobris processit in Ducatum Opoliensem, & grassatus est in pagos, & ignobilia oppidula regionis, quæ fermè erant deserta. Viadrum, qui admodum exaruerat, facilè transiuit, nec tentauit Opoliam. Subinde tamen in pabulatores, qui incaute vagabantur, impetum fecerunt equites Mathiæ & grauibus eos affecerunt cladibus. Deinde Casimirus castrametatus est prope oppidum Olauiam: ibi duodecimo Octobris mediocre prælium commissum est.

Mathias enim ante ortum Solis agmen suorum emiserat, vt illud antecursores exercitus Polonici inuaderet. Sed cum illi elati primo successu, & magna Polonorum multitudine trucidata, progrederentur vlterius, accurrentibus sensim pluribus, cum clade aliqua in vrbem compulsi sunt. Mathias initio castra posuit in ripa Viadri meridionali: sed cum intelligeret, hostem prætergressum esse flumen, transtulit ea in ripam aduersam prope Monasterium S. Vincentij: ibiq; diligenter se communijt, ne incommodo tempore ad dimicationem posset cogi. 24. Octobris venit in castra Casimiri Vladislaus filius cum exercitu 20000. pedestri ferme: Is ad Monsterbergam grauia damna à militibus Mathiæ passus fuerat, qui ex insidijs magnam multitudinem Bohemorum deleuerant.

Mathiæ castra ad Vratislauiam.

Vladislaus cũ exercitu uenit in Silesiam.

Vladislaus ea clade irritatus, Francosteinum exussit. Reges, pater & filius, post mutuam salutationem, cum tanto exercitu, qui robori Turcico opponi potuisset, profecti sunt ad oppugnandam Vratislauiam: & primum castris locum ceperunt prope flumen. Sed Mathias, qui ex suis castris perpetuo grandine globorum ex machinis ingentibus, Polonorum castra verberabat, coëgit eos vt retrocederent.

Casimirus & filius infœliciter obsident Vratislauiam.

Omissa igitur oppugnatione deflexerunt ad Austrum ad oppidum Cantium, & longam obsidionem instituere cœperunt. Sed eius consilij fœdus fuit euentus. Nam cum ipsi reges ingenio & consilijs bellicis parum valerent, nec adessent fideles monitores in castris, præterea esset licentia detestanda, culpa præcipuè Bohemorum, qui nihil regem suum reuerebantur, ad omnes partes quotidie sine vlla disciplina, aut ordine, multæ turmæ prædatum excurrebant: ex illis Mathiæ ductores & milites, quos aut Vratislauia emittebat, aut quos in vicinarum vrbium præsidia distribuerat, singulis diebus plurimos trucidabant, magnásque cateruas captas secum raptabant, adeo vt Vratislauiæ & in vicinis vrbibus omnes turres, carceres & ergastula, Polonis & Bohemis repleren-tur.

Casimiri exercitus sine disciplina militari.

Mathiæ uox de exercitu regum hostium.

Accedebat etiam fames grauis in castris. Nam annona Silesia erat comportata in vrbes: itinera autem Polonica & Bohemica à Mathia, cui multi ex Polonia sese adiunxerant, erant intercluſa. Ipse Mathias, quo die exercitus adhuc incolumis, in conspectum ad mœnia Vratislauiæ venit, in altera ripa impauidus stetisse scribitur, & cum tantas copias tantumq; apparatum armorum cerneret, gemens & fremens capillos vulsit, addens, se dominum orbis terrarum futurum fuisse, si tales & tantæ copiæ sibi militassent, istos vero imbelles & desides nihil sua fortuna vti didicisse.

Vratislauia tempore obsidionis nunq; clausit portas.

Toto autem tempore obsidionis, Vratislauia portas vrbis nec die nec nocte clausit. Præterea, vt Poloni remanerentur domum,

mum, ſtatum ab initio Sileſij, ductore Melchiore Löbelio, ex oppido Suibuſio vicinam oram Poloniæ maioris vaſtarunt. Deinde ſub finem Octobris Glogouiam venit Fridericus Lignicenſis & Stephanus Palatinus Zepuſienſis, illis equitatum ſuæ nobilitatis addidit Henricus Freiſtadienſis, ductore Caſparo Noſticio. Iſte exercitus diuiſus in plures turmas, in Polonia maiori magnam fecit vaſtitatem, & oppidum Meſericium, quod in illis locis magni eſt nominis, cepit. In altera ora Orientali, Nicolaus Opolienſis etiam populationibus Poloniam afflixit. Graſſabatur etiam ſæua lues in caſtris.

Mathiæ ductores uaſtant Poloniæ oras.

Moti igitur his incommodis reges, pater & filius, flecti ſe ad pacem paſſi ſunt. 19. Nouembris in libero campo primum congreſſi ſunt Caſimirus & Mathias, vbi quidem ambitione quadam ridicula inter reges certatum eſt. Vladislaum Mathias ad colloquium non admittebat: ipſe autem non ignarus moris Polonici, ſciebat Polonos poſtulaturos, vt Caſimirum nudato capite, cum ſignificatione demiſſionis, ſalutaret. Hoc vt eluderet, progreſſus eſt in equo veſte aurata pulcherrima indutus, caputq; nudum, etſi aura erat aſperrima, corona ex foliis rutæ ornauerat.

Caſimiri & Mathiæ congreſſus ad Vratislauiam.

Caſimirum ſui multis pellibus texerant, easq; de induſtria collo obuinxerant, vt honorem Mathiæ habere non poſſe videretur: In via tamen de conſilio & cultu Mathiæ certior factus, ipſe etiam capitis tegumenta abiecit. Impetratum eſt à Mathia, vt pateretur vocari etiam Vladislaum, & colloquio dies dictus ad 21. Nouembris, ibi prope pagum Mocor erecta ſunt tria tentoria, ſed eo die, cum in collocutione Mathias in Vladislaum excandeſceret, nihil fuit perfectum, & tota res in conuentum conſiliariorum in vrbem Vratislauiam reiecta.

Caſimiri, Mathiæ & Vladislai Regum congreſſus.

Mathias exercitum Polonicum, qui inedia contabeſcebat, & miſeram vitam vix eſu raparum fermè ſuſtentabat, totum triduum ex vrbe pauit. Nam ſuper alias clades, 18. Nouembris, incendium in caſtris ortum fuerat, quod magnam partem caſtrorum conſumſit, perierunt multi homines, iumenta, & ſupra 500. currus, onuſti victu & inſtrumentis bellicis, cremati ſunt.

Mathias exercitum Polonorũ paſcit.

Polonorum caſtra inuaſit incendium ad Vratislauiam.

Mathias in tractatione pacis, vnicam & ſimplicem proponebat conditionem, qua bellum perpetuo finiri poſſet. Appetebat nuptias Heduigis filiæ Caſimiri. Sed turbauit hoc Elizabetha Regina mater, quæ Mathiam maximè oderat, & illi generis ignobilitatem obijciebat: Impediebat etiam hoc magno conatu Fridericus Cæſar. Coniugi autem omnia indulgebat Caſimirus Rex. Mathias igitur, cum ſe ſperni videret, noluit de perpetua pace paciſci cum Regibus, ſed aſſenſus eſt, vt fierent induciæ in menſes triginta, oppida intercepta vtrinq; reddita ſunt, & captiui dimiſſi: in ea pace etiam Pruteni, qui Mathiæ fauebant, comprehenſi ſunt.

Elizabetha Poloniæ regina noluit Mathiam generũ.

Mathias paciſcitur induciás cum Regibus.

Anno-

Historia de Pacificatione perfecta ab Electore Saxoniæ & Brandeburgico.

Annotatum est à nostris præceptoribus, celebrem fuisse sermonem Principis præstantis sapientia & virtute, Electoris Saxoniæ Iohannis, Ernestum Saxoniæ Electorem & Iohannem Brandeburgicum, eo tempore contraxisse equitatum sex millium, eumq; adduxisse Vratislauiam, & fuisse hortatores Regibus, vt sinerent rem amicè componi, quos vt facilius flecterent, professos etiam esse Principes, se futuros hostes illius, qui foret in accipienda pace durior. Causam autem eam in conuentu Regum & Principum splendide proposuisse Marchionem Iohannem, cuius fuit eloquentia & virtus eximia, & ita pacem factam esse.

Hoc vtrum ita acciderit, mihi non constat, neque in annalibus Silesijs aut Polonicis, qui eo anno scripti sunt, hæc narratio extat, quam tamen propterea non reprehendo. Magna enim fuit nostrorum historicorum incuria & imperitia. Septimo quidem anno post, opera Principum Saxoniæ, bellum, quod inter Mathiam & Electorem Brandeburgicum exarserat, sedatum fuit, eò vtrum hæc historia spectet, non scio.

Gabrielis Veronensis Monachi fortuna.

Rebus hoc modo compositis, Poloni & Bohemi domum reuersi sunt, non modo post inutiles sumtus profusos in tanta expeditione, sed etiam amissis septem millibus hominum, & plærisque impedimentis. Fuit tunc inter alios literatos, quorum magnum semper cœtum secum circumducebat, in castris Regijs, Gabriel Veronensis, quem literæ & mirabilis fortuna altè euexerant. Erat ille ex sodalitio Monachorum, qui S. Francisci institutum profitentur, & missus fuerat à Paulo Pontifice ad Mathiam in negocijs Pontificijs.

Rex post Paucorum dierum colloquium ingenium & solertiam viri agnouit, & præcipuè eruditionem ipsius, in studijs Oratorijs & Poëticis valde probauit, nec multo post, vt eum ciuem sui regni haberet, locupletem Episcopatum Agriensem, præteritis multorum Principum filijs, qui eum ambiebant, ipsi attribuit. Post paucos deinde annos, nesciente hoc Gabriele, maximis precibus à Pontifice Sixto petijt, ne Gabriel Collegio Cardinalium asscriberetur.

Pontifex & Collegium regi rescripserunt, aulam Romanam libenter parituram voluntati Mathiæ, modo quemuis alium magis idoneum indicaret. Hunc enim Monachum, obstrictum voto paupertatis, ad tantam dignitatem euehi non posse, nec eum qui inter sordes inopiæ enutritus esset, ad maxima negocia politica in aula Romana posse adhiberi.

Non desijt Rex contendere postulando, donec Pontifex ipsi morem gessit, & Monachum illum olim mendicum, nudisque pedibus incedentem, in senatum Cardinalium legit. Qui tamen, vbi Romam migrauit, opinionem sui vicit, & cum in maxime arduis

rebus

rebus mirifica eius esset sagacitas & industria, probauit Mathiam inprimis sapientem esse ingeniorum æstimatorem. Tunc autem, cum adhuc esset Episcopus, Satyrico carmine Polonorum fortunam exagitauit, cuius tale fuit initium:

Bruma venit, nix alta ruit, migrate Poloni
O fugite ad proprios algida turba lares.

Responsum illi fuit ab Archiepiscopo Leopolienſi Polono simili satyra, plena nigri salis. Vladislai milites in reditu ad Suidniciam, & in tota illa vicinia, Casimiri autem in Ducatu Volauiensi & Stinauiensi grauiter spoliarunt loca agrestia, sacra & profana, contra pacta. Stinauiæ Casimirus transijt per pontem Viadri, qui pressus pondere concidit: Perierunt in flumine multi homines & impedimenta, fuit hoc sub initium Decembris. *Casimirus ex Silesia redit in Poloniam.*

Bello huic nihil se immiscere potuit Fridericus Cæsar, quia procul tunc aberat alio bello detentus, cuius tamen, quia illustris eius vbiq; fuit fama, breuem facio mentionem. Carolus Burgundiæ Dux vir spiritus excelsi & cupiditatis infinitæ, insidiabatur Germaniæ, & conabatur in suam potestatem traducere omnem ripam Rheni. Inuenit πρόφασιν belli, quod diceret, se opem ferre Episcopo Colonienſi Ruperto, quem sui profligauerant. Hoc prætextu obsedit vrbem Nouesium.

Fridericus Cæsar, assentiente senatu Imperij, edixit expeditionem contra Carolum, & collecto exercitu florentissimo ex robore Germaniæ, Carolo obuiam profectus est: præcipui Duces belli illius fuerunt Albertus Brandeburgensis Elector, & Albertus Saxonicus. Durauit ea obsidio amplius anno, & neuter Principum fortunam belli experiri statuit: Cæsar tamen alias etiam habebat causas, cur nollet dimicare. Nam occultè sibi Carolum conciliauit, & rursus nuptias filiæ Mariæ pro Maximiliano petiuit. *Fridericus Cæsar soluit Obsidionem Nouesianam.*

Carolus etiam, qui videbat se imparem esse potentiæ Germanicæ, Cæsari assensus est, & impetrauit à filia literas scriptas ad Maximilianum, quibus testabatur obtemperaturam sese voluntati patris, illisq; muneris loco addidit Adamantem magni pretij. Quæ sponsio sola deinde coniugium illud, mortuo iam Carolo, & rebus omnibus valde turbatis, Maximiliano ratum fecit. *Fridericus Cæsar conciliat filio nuptias Mariæ Burgundiæ.*

Egregiè vero tempore illius obsidionis Cæsar eluſit artes & simulationem Ludouici Regis Galliæ, qui putabatur calliditate sua ludificari posse omnes homines: Promiserat Ludouicus, cui Carolus perpetuus, & quidem grauis erat hostis, Cæsari auxilia contra Carolum, quæ tamen non mittebat, quia malebat bellum illud in longum tempus duci, & vtramq; partem atteri. *Fridericus Cæsar deriſit Ludouicum XI. Galliæ Regem.*

Cæsar tandem illi nunciauit, se velle paciſci cum Carolo, cum in Gallia nihil [illegible]ueniret præsidij. Illi renunciabat Ludouicus, rectè facturum

facturum Cæsarem, si omnes Prouincias Caroli, quæ essent deuinctæ Imperio, armis ad se traheret, sese idem facturum de illis, quæ à regno Galliæ penderent. Legatis ista proponentibus, Cæsar senex sagaciſſimus, recitauit Apologum, eumq; vt domum ad regem suum referrent iussit.

Apologus de Vrso.

Vagatus est, inquit, in mea Germania Vrsus vastissimæ magnitudinis, qui omnem vicinum agrum fœde vastabat. Tres autem iuuenes oppidani, præditi singulari, vt videri volebant, animi robore, accedunt Cauponem vrbis, ab eo impetrant apparari sibi lautum conuiuium, intra biduum verò omnem se sumtum præstituros spondent. Nunc enim inquiunt venatum egredimur necaturi illum truculentum vrsum, quem vbi iugulauerimus, non solum corium magno vendemus, verum etiam munus luculentum à Repub: propter beluam illam vastatricem interemtam, impetrabimus.

Conueniunt inter se, prandetur hilariter & liberaliter, pransi egrediuntur in syluam ad latibulum feræ, in quam cum opinione citius incidissent, maximo metu perculsi, illico omnes in pedes se conijciunt. Et quidem vnus in altam arborem conscendit, alius recta ad vrbem currit, tertium autem, qui erat ignauior, Vrsus comprehensum prostrauit, & pedibus fortiter conculcat, rictum deinde prope os admouet. Ille consilio valde vtili, plane mortui speciem simulat, spiritu quantum potest compresso. Ea enim vrsi natura est, vt cadauer non attingat: cum igitur existimaret istum esse extinctum, in suum antrum regreditur.

Adolescens tandem surgit, & vrbem petit, qui in arborem confugerat, vbi illum videt euasisse, consequitur eum, & age, inquit, oro te, quid in aurem tibi immurmurabat bestia. Hoc mihi, inquit, præceptum dedit, ne quod deinceps vendam corium, nisi fera prius capta. Præter hanc fabulam nihil tunc aliud legatis respondit Cæsar, quæ tamen regem monebat, ne partiretur exuuias Caroli, nisi eum prius profligasset.

In Silesia Mathias abeunte hoste vocauit ordines Vratislauiam, à quibus summis precibus exoratus est, vt coleret pacem cum Polonis, & parceret Silesiæ. Deliberatum est etiam de corrigenda moneta, quæ rursus confusiones multas excitauit. Ineunte anno 1475. profectus est Suidniciam, & expugnauit arcem Furstenstei-num, vbi dicebatur esse receptus latronum Bohemicorum.

Mathias mulctat Principes Silesiæ.

Falso verò relatum est à scriptoribus Polonis, Mathiam tunc profligatum esse ab equitatu aulico Vladislai, qui tunc procul in Bohemia aberat. Deinde afflixit multos ex principibus Silesijs, præcipue Duces Ratiborienses, qui putabantur contulisse consilia cum Polonis. Olsnicensem etiam Ducatum vniuersum ad se traduxit, hac, vt reperio, occasione. Decesserat Conradus Niger Olsni-

Olsnicensis, vidua illius, mulier Masouiensis, æqua suæ genti, Casimirum in Silesia consilio & ope iuuerat, & inter alia monuerat Polonos, vt Viadro, qui tunc admodum decreuerat, in alium alueum traducto, vndiq; Mathiam & vrbem obsiderent, quod quidem cum præsenti periculo Regis & vrbis factum fuisset, si Poloni sapere voluissent.

Ideo, finito bello, Mathias iratus mulieri minabatur, se ipsam ex Silesia eiecturum. Conradus vero Albus frater, qui & ipse non satis propitium habebat regem, cum Mathiam placare non posset, & suam ditionem, & eam, quam ex morte fraterna adire debebat, vendidit Ducibus Saxoniæ, quos sciebat valere gratia apud Mathiam, & quidem Rex initio bonam spem fecit Principibus, sed tandem consilijs suorum immutatus, qui dicebant, hac ratione paulatim Silesiam in potestatem Principum exterorum venturam, ipse omnem eam ditionem se emturum professus est, & Cunrado numeraturum pretium quod petebat.

Mathias Olsnicensem ducatum ad se transfert.

Mathias Vratislauiæ resciuit Heduigen Casimiri, quam sæpe appetiuerat, promissam esse Georgio Bauariæ Duci, Ludouici filio. Abiecit tunc omnem spem veræ concordiæ, & planè à Polonis se abalienauit, & vt in illa vicinia ostenderet ipsis, se non esse in exigua autoritate apud exteras gentes, expectauit ibi splendidam legationem Ferdinandi Regis Neapolitanorum, in qua fuerunt multi viri Principes, Senatores Veneti, & comitatus ducentorum equitum, quæ quinto die Februarij Mathiæ promisit coniugium Beatricis filiæ naturalis Regis Ferdinandi, cum dote centum millium aureorum.

Mathiæ promittitur coniugium Beatricis filiæ Ferdinandi regis Neapolitanorum.

Ipse autem Rex profectus est Vratislauia tertia Martij, & transiuit per ditionem Olsnicensem, quæ vniuersa in verba ipsius iurauit. Conradum tamen Album ad mortem vsq; gubernatoris loco Ducatum administrare iussit. Grauis fuit hospes Silesiæ istis mensibus Mathias, & non solum grandibus exactionibus eam exhausit, sed etiam nimium existimabatur indulsisse libidini militum, qui violenter fuerunt grassati. Ideo multorum studia, quæ prius erga ipsum fuerunt eximia, refrixerunt: & quidem vetus est illud apud Thucydidem, qui inquit: In omni bello malè audire gubernatores, propterea quod etiam in bello non infœlici multæ ærumnæ redundent in populum.

Mathias offendit Silesios.

Mahometus, vsus occasione dissidentium inter se Regum Christianorum, sub exitum anni superioris miserat exercitum 120000. militum ad domandam Valachiam, quam volebat constituere pro arce, vnde Poloniam & Hungariam posset inuadere. Sed Stephanus Valachus, etsi desertus erat ab omnibus Principibus, tamen ex suis popularibus & militibus mercede conductis, armauit mediocres copias, quæ non excedebant 40000. vsus autem

Stephanus Valachus profligat ingentes copias Mahometi.

opportunitate loci, exercitum Turcicum pene vniuersum deleuit, magna multitudine trucidata, & alia in Istrum demersa.

Captiuos omnes palis confixit. Bassas vero Principes ad Monarchas Christianos hinc inde misit. Stephanus ea victoria nihil elatus, sed publice professus est, agnoscere se, à Deo hostem esse profligatum, quem tamen irritare alia expeditione noluit, sed vicinos reges appellauit de auxilijs, quæ non impetrauit.

Datur Mathiæ vitio à scriptoribus Polonis, quod literis missis in omnem Europam, & præsertim in Italiam, narrauerit, suis auspicijs & à suo subdito Stephano deuictos esse Turcos. Constat tamen præcipuam partem exercitus Valachici fuisse Hungaros, & de ipso Stephano disceptabant inter se Polonus & Mathias. Dies pugnæ fuit 17. Ianuarij, anni 1475.

Capha urbs occupatur à Mahometo.

Tyrannus Turcicus non est fractus illa calamitate, verum sub initium æstatis terra mariqúe, adiutus etiam à Tartaris, obsedit Capham vrbem Genuensium, quæ olim fuit Theudasia, eamq; sexto die lunij prodentibus vltro, vt scribitur, vrbem Italis, in suam redegit potestatem, & simul plærasq; ex vicinis munitionibus occupauit, atq; ita reliquiæ honestissimæ gentis Gotthicæ in illis locis aut deletæ, aut tristi seruitute oppressæ sunt.

Gotthicæ gentis reliquiæ in Taurica Chersoneso opprimuntur à Mahometo.

Nauis quædam Caphensium, magnitudine insignis, quam Tyrannus Constantinopolin duci iusserat, mirabili Dei beneficio seruata est. Vehebat ea 150. adolescentulos captos, forma egregios, segregatos ad spurcitiem libidinosam Tyranni, & præterea nobilem supellectilem multam, eam remiges appulerunt Ciliam, & Turcis, qui erant in naui, interfectis, dediderunt sese Stephano Valacho, qui illam vrbem obtinebat.

Stephanus Valachus eripit insignem prædam Mahometo.

Mathias reuersus in Hungariam nihil defatigatus tanta mole continuorum bellorum, cito parauit se ad expeditionem Turcicam, & sub initium mensis Octobris exercitum suum familiarem 10000. militum, in quo erant Episcopi, eduxit, instructum machinis bellicis insignibus, & in ripa Saui fluminis Sabaciam arcem munitam à Turcis, & firmatam præsidio 5000. Turcorum, magno cum labore expugnauit, interfectis omnibus Turcis, vicinam deinde oram Turcicam depopulatus est, & propter frigus hybernum intolerabile domum regressus est.

Mathias Sabaciam arcem eripit Mahometo.

In ea oppugnatione in ipso rege memorabile quid animaduersum est. Erat is somni breuis & leniissimi, adeo vt leuissimum murmur quietem illius turbaret. Tunc autem, cum horrenda tonitrua ex machinis inusitatæ magnitudinis ederentur, muri ex verberatione continua creparent, terra fragore illo sub pedibus quassata quasi mugiret, tamen ipse Rex in multas horas altum dormiuit, quod ipsum pathos heroicum fuisse existimari potest.

Mathiæ singulare symptoma accidit in oppugnatione arcis Sabaciæ.

Nam

Nam & Alexander ante prælium ad Arbela in multam lucem profundo oppreſſus ſomno dormiſſe, vt à Parmenione vix excitari poſſet, ſcribitur, animo nimirum heroico, ex longa ratiocinatione de inſtanti periculo ſuperando, defatigato, & tandem ex certa ſpe fœlicis exitus corpus grata tranquillitate & quiete perfundente.

Amiſit in ea expeditione Franciſcum Hagecum ducem magnæ virtutis, eum in Alba regali ſplendido funere extulit. Nec multo poſt Turci fluminibus glacie concretis ſubitaria excurſione Hungariam depopulati ſunt. Volauit æſtate huius anni monſtroſa caterua locuſtarum in Bohemia, Sileſia & Polonia, quæ agros multum vaſtauit. Romæ Pontifex Sixtus, cui graue erat expectare annum quinquageſimum, Iubilæum, vt ærarium ſuum expleret, indixit: ex Sileſia multi hoc anno Romam profecti ſunt, & inter alios Fridericus Lignicenſis. Sed Pontifex, cui odor lucri erat ſuauis, ſub exitum anni, domi noſtræ nundinas eas inſtituit, vt plures ineſcaret.

Locuſtarum agmina Sileſiam & Poloniam implent.

Sixtus Pontifex cumulat Iubilæos.

Vere anni ſequentis, qui fuit à nato Saluatore 1476. Mathias miſit ſplendidam legationem in Italiam, quæ adduxit ipſi ſponſam ſuam Beatricem Ferdinandi filiam, virginem optimis artibus bene eruditam, & quæ grata cum facundia, multa ex veteribus ſcriptoribus latinis appoſitè recitabat. Eius legationis Principes fuerunt Rodolphus Vratislauienſis, & Iohannes Varadienſis Epiſcopi: duxerunt ſecum equites 700. Corona regni Hungariæ Beatrici impoſita eſt die S. Lucæ Budæ, & ibi nuptiæ ſuperba cum pompa peractæ, ad quas Mathias per ironiam etiam Caſimirum Polonum inuitauit.

Beatrix coniunx Mathiæ regis excelluit eruditione.

Mathias Rex celebrat nuptias.

Mahometus tandem finiturus bellum Valachicum, cum excidio gentis, ex Thracia exercitum adduxit, conduxerat etiam regem Scythicum, vt ab altera parte ſe in Valachiam infunderet. Stephanus fruſtra petiuit auxilia à Polonis, neque tamen ideo animum deſpondit. Sed collectis ſuis copijs, obuiam progreſſus Tartaris, eos magna ſtrage ad Boriſthenem vſque cæcidit & fugauit, ademit illis omnem prædam, impedimenta, arma, veſtes, & vix pauci per flumen enatarunt.

Interea autem Mahometus abſente Stephano prætergreſſus erat Iſtrum: Stephanus, quia hoſti impar erat, ſuos ipſe vrebat agros, & Turcos, qui longius excurrebant à caſtris, ſubinde expedita cum manu equitum opprimebat, ita vt ad triginta millia Turcorum trucidaſſe dicatur. Sed cum Mahometus eum tandem ingenti cum exercitu circumfunderet, Stephanus in montes ſeſe abdidit. Turci omni Valachia deuaſtata, etiam vicinis regionibus Poloniæ non pepercerunt.

Stephanus Valachus rurſus Tartaros & Turcos reprimit.

Mahometus ad extremum coactus ex inedia, peſtilentia, & propter claſſem in Iſtro tempeſtate diſiectam, exercitum reduxit.

Neq; sic tamen satis sibi nocuisse Christianis videbatur, verum dum Mathias nuptias facit Budæ, ipse ex regno Bosnæ ingentem manum prædatoriam emittit, ea perruptis castellis ligneis, quæ ad ripam Danubij extruxerat Mathias, latè Carinthiam & Stiriam populata est.

Traducitur Mathias, quod hoc etiam anno Italiæ nunciauerit, Mahometum metuisse suum aduentum, ideoq; reliquisse Valachiam. Hoc tamen verum est, Mathiam Stephano deserto, à Polonis, misisse auxilia, quæ Turci non expectarunt, illis deinde vsus est Stephanus in reprimendis Transalpinis populis, qui magis sæuiebant in Valachos, quàm ipsi Turci, neque obscurum est, hunc regem solum tunc fuisse formidini Turcis, & potuisse eum prodesse orbi Christiano ardore & fortuna sua, nisi fata Europæ, quæ orta fuerunt ex tristibus, ijsq; diu cumulatis peccatis, obstitissent. Italia, annitente Ferdinando Neapolitano, misit ipsi 200000. aureorum in bellum Turcicum, quam pecuniam sequenti anno dissipauit in crudeli bello Austriaco.

Mathias accipit sumtus in bellum Turcicum ex Italia.

Fridericus Cæsar iniquissimus erat Mathiæ, & fortassis, sicut ingenia iracunda multum peccant, ipse præbebat causam offensionum. Reuersus igitur ex Germania inferiori, & à nuptijs Bauaricis, statuit Mathiam bello persequi, quæ consilia in sene alioqui sapientissimo fuerunt plena errorum. Confidebat ipse fœderi Bohemico, & Polonico, quod recens ictum erat inter Cæsarem & duos illos Reges: verum sero tandem apparuit, recte dictum esse à Lacone illo: Pueros ludere consuesse astragalis, reges fœderibus & iuramentis.

Fridericus Cæsar infœliciter lacessit arma Mathiæ.

Hyeme istius anni, quæ fuit asperrima, adiutus à Vladislao Bohemico exercitu 4000. militum, animaduertit in proceres Austriæ, quorum fides erat suspecta, & qui colludere putabantur cum Mathia. Captæ & per deditionem acceptæ sunt multæ arces, sed moles belli in annum futurum dilata est. In ducatu Glogouiensi hoc anno, mortuo Henrico Freistadiense sine liberis, magna est facta mutatio, & factum initium belli Marchici, quod describetur suo loco.

Celebris est iste annus propter interitum Caroli Burgundici, cuius tantus fuit splendor & fortuna, vt pene omnes Principes Europæ anteiret. Attraxit autem sibi exitium superbia & πολυπραγμοσύνη, quæ vitia multos sapientes & potentes homines euerterunt. Discesserat ab obsidione Nouesiana inflatus opinione potentiæ suæ, & appetebat multas aliorum prouincias.

Caroli Burgundici miserabilis interitus.

Anno 1475. decreuit bellum in Heluetios, qui ipsum non læserant. Miserunt ad ipsum legatos deprecatores, qui obtulerunt ipsi satisfactionem, si quid deliquisse viderentur, & inter alia narrarunt Carolo, tantam esse inopiam populi Heluetici, vt calcaria & frena

Heluetiorum inopia.

& frena equorum per ipsius exercitum, pluris debeant æstimari, quam omnis ea pecunia, quæ ex agris ipsorum posset cogi. Sed Carolus indulsit iræ, & cum Gransonium oppidum potestati ipsius sese permisisset, milites præsidiarios Germanos 500. contra pacta, laqueo strangulauit. Heluetij irritati ea crudelitate & perfidia, raptim collectis suis militibus, obuiam iuerunt hosti.

Exercitus Caroli, qui erat instructissimus, quasi panico terrore perculsus, ne quidem conspectum Heluetiorum tulit, sed subito in fugam omnes sese coniecerunt. Cædes non magna facta est, verum Heluetij adepti sunt omnem ferme thesaurum Caroli: Nam, vt esset admirationi legationibus Regum exterorum, quæ castra sequebantur, vniuersam suam pretiosam supellectilem, quæ vix apud aliquem Regem erat magis exquisita, domo secum aduexerat. *Heluetij potiuntur ingenti thesauro Caroli Burgundici.*

Heluetij, quæ tunc fuit gentis simplicitas, pretia tantarum rerum nihil intelligebant. Tentorium Caroli, quod auro & gemmis mirabili arte contextum fulgebat, ab eis in frusta discerptum, & inter plures diuisum est: patinas argenteas vilissimo pretio pro stanneis vendiderunt. Adamantem ipsius, qui erat in toto orbe terrarum, tanquam miraculum naturæ, celebris, quidam vbi reperisset, tanquam inutilem lapillum abiecit, postea aliquid suspicans, eundem vendidit sacrifico sui oppidi aureo nummo, is dono dedit eum suo Magistratui vrbano, & ab eo accepit duos aureos. Nostra ætate cum peruenisset in manus illustrium Fuggerorum, æstimatur superare pretio suo reditus magnorum regum. *Adamas nobilis Caroli Burgundici.*

Carolus ex mœrore animi incidit in Melancholiam, hoc est, in mentis quandam alienationem, quæ ipsum totum immutauit. Est quidem πάθος hoc familiare viris heroicis, sicut ostendunt exempla Nabuchodonosor, Herculis & aliorum, vt etiam hoc modo ostendatur exemplum iræ Dei, qui heroicæ animæ quoque potest adimere eximiam sapientiam & robur, propter peccata. Conflixit demum sub initium anni 1476. cum Heluetijs, qui habebant auxilia ciuitatum Germanicarum, & ab illis ingenti strage victus est. *Carolus Burgundicus incidit in Melancholiam.* *Carolus Burgundicus ruri⸗sus superatur ab Heluetijs.*

Tandem sub exitum anni, cum bellum transtulisset in Lotharingiam, quem Principem Heluetij & Germani iuuabant, ad Nanceium oppidum ex magna pertinacia, cum tamen à suis proditus esset, conflixit cum Germanis, copijs suis exiguis, in qua pugna miserabiliter trucidatus est, & sero tandem inter cadauera interemtorum inuentus, eo penè modo, vt de Pompeio olim dictum est: *Carolus Burgundicus ad Nanceium uincitur & occiditur.*

Iacet ingens littore truncus,
Auulsumq; humeris caput & sine nomine corpus.

Interfectus est Carolus, vt reperio in annalibus manuscriptis, die Thomæ Apostoli. Sed nos ad nostra reuertimur.

Anno 1477. Vladislaus vocatus à Cæsare profectus est in Austriam cum exercitu 8000. fecit spem Friderico, etiam secutu-

Vladislaus accipit insignia Regni Bohemiæ à Cæsare Friderico.

ras esse copias Polonicas. Exceptus est à Cæsare exquisitis honoribus, & collata sunt ipsi insignia regni Bohemiæ solenni cum pompa Viennæ, multum dissuadente Pontifice & præcipuis Cardinalibus, qui prouidebant, inde funestum oriturum bellum. Vladislaum paulò pòst, apud Viennam agitantem conuiuia, defecit pecunia, & Bohemi, nihil morati imperium Regis, reuertuntur domum, dilabuntur etiam copiæ Cæsaris, ibi Mathias, frustra intercedentibus proceribus Hungaris, & orantibus, vt potius Turcos bello peteret, instar torrentis in Austriam irruit, duxit secum in castra nouam suam nuptam, virilis animi mulierem.

Totam vero Austriam ad fines vsque Bauariæ peruastauit, & in potestatem suam redegit: Viennam tamen frustra obsedit, ab eáque fortiter repulsus est. Optimus Cæsar, quem sero pœnitebat

Fridericus Cæsar transigit cum Mathia.

suæ credulitatis, frustra implorabat opem Bohemorum & Polonorum ex fœdere. Tandem Casimirus excusans se de auxilijs, misit ipsi in sumtum belli decem millia aureorum. Cæsar iratus pecuniolam illam in Poloniam remisit, & cum Mathia durissimis conditionibus transegit. Renunciat iuri suo in regno Hungariæ, Ma-

Mathiæ conferuntur insignia regni Bohemiæ à Cæsare Friderico.

thiæ confert insignia Regni Bohemiæ, sicut Vladislao: pro munitionibus Austriæ numerat ipsi 180000. aureorum: etsi Mathias, cui non dabatur pecunia, diu postea eas munitiones retinuit.

Accipiebat pacem eo libentius Mathias, quia Turci rursus littus Adriatici maris ad ipsam vsque Venetorum ditionem vastauerant: & respiciebat etiam Silesiam, ne, ardente tunc bello Marchico in Ducatu Glogouiensi, consociarentur arma vicinorum Principum, & ipse aliquid detrimenti caperet.

Annus 1478. paulò fuit quietior, etsi priores motus nondum plane resederant. Casimirus, qui vbiq; bellum infœliciter procedere videbat, animum ad pacem faciendam cum Mathia adiecit. Missi sunt legati, subinde ex vno regno in aliud cursitantes, qui proponebant conditiones. Audita fuit præcipua legatio Polonica à Mathia Vicegradi, non procul à Buda, vbi Mathias arcem regio & Italico cum splendore, sicut in ædificationibus fuit sumtuosus & exquisitus, condiderat.

In consilio Hungarico, quod fuit valde augustum, solus Rex linguam Sclauonicam callebat: & quamuis legati non ignari essent

Mathias in disceptatione de pace appositè respondit legatis Casimiri Regis.

linguæ latinæ, eáque ipsos Rex vti malebat, tamen ipsi, ne intelligerentur à familiaribus Regis, de industria orationem sermone patrio ad duas integras horas pronunciarunt. Audiuit eos Rex patienter

patienter & attentè, cumq; peroraſſent, ſciſcitatus eſt Latinè ne an Polonicè ſibi mallent reſponderi. Legati hoc arbitrio Regis permiſerunt.

Tum Mathias ſplendidam orationem ſermone latino exorſus eſt, in qua capita concionis Polonicæ diſſipata, optimo ordine diſtinxit: Poſtulatis Regijs ſapienter reſpondit, & ea, de quibus ſecum expoſtulabat Caſimirus, grauiter & conſtanter refutauit. Propoſuerant vero oratores Poloni in veſtibulo ſui ſermonis, exiſtimare Caſimirum, Mathiam præter officium feciſſe, quod Epiſcopos quoſdam regni Poloniæ à Caſimiro alienaſſet, eoſq; in oppugnando ſuo Rege pecunia iuuiſſet. Artem enim eſſe illaudatam, minimèque magno Principe dignam, alterius regis ſubditos ad ſeditionem concitare, & contra ius gentium religionem iuramentorum, neruum humanæ ſocietatis euertere.

Caput hoc, quod plurimum habebat aculeorum, Mathias de induſtria ad finem vſque ſibi reſeruauerat, & exiſtimabant Poloni, diſſimulari hoc ſtudioſè, quod excuſari non poſſet. Verum Mathias tandem ſubridens: Renunciate, inquit, Regi veſtro, olim me puerum à præceptoribus meis tale noëma dediciſſe: Honeſtus eſt error eorum, qui magnos duces ſequuntur. Anteit me ætate Caſimirus Rex, eo igitur magiſtro & duce vſus ſum. Concitauit ipſe in me non ſolum præcipuos regni mei Epiſcopos & proceres, verum etiam ſeditioſos numeroſo iuuit exercitu, vt me ex regno deturbarent. Non igitur mirabitur, ſi ego leniter exemplum illud aliquando imitari conatus ſim. Erubuerunt legati, qui meminerant vera Regem loqui.

Animaduerſum eſt, in tam longo & non præmeditato latino ſermone ſemel omnino in Grammaticam peccaſſe Regem, quem tamen lapſum eueſtigio correxit. Promittebatur inter alia Mathiæ magna pecuniæ ſumma, ſi regno Bohemiæ vellet renunciare. Inter iſtas tractationes pacis, præfecti Vladiſlai conati ſunt occupare Pilſnam, quam tenebat Mathias: profligati ſunt vero ibi cum magna clade, & Mathias ad faciendam pacem factus eſt durior: Pepigit tamen poſtea inducias, quæ ſubinde extractæ ſunt, donec ſequenti anno inter ipſos conuenit. Turci rurſus hoc anno in Carinthiam excurrerunt.

Mathias Rex fuit peritus latinæ linguæ.

Vratislauiæ fuit nuncius Pontificis Balthaſar de Piſcia, vir valde incogitans & turbulentus. Is ex mandato Pontificis, vt præſe ferebat, emiſit fulmen anathematis in Vladiſlaum Regem, quem dicebat probare dogmata Huſſitica, & in Caſimirum Poloniæ Regem, quod is hæreticos defenderet. Vladiſlaus enim Rex mitis non patiebatur ſe accendi ad ſæuitiam in Eccleſias Huſſiticas, hoc ægre ferebat Roma. Ciuitates etiam Sileſiæ denunciauit pro ex-

Balthaſar legatus Pontificius ſæuit in Principes.

communicatis, quod haberent commertia cum Bohemis, eosq; ad nundinas admitterent.

Mathiæ & Vladislai Regum congressus in urbe Olomucensi.

In Ducatu Glogouiensi ardebat bellum Marchicum: Et misit hoc anno Mathias Iohanni Saganensi equitum Pannoniorum 1800. ductore Seleno Bohemo. Seriem belli recitat alter liber. Anno 1479. Mathias, quamuis omnibus rebus superior, tamen ad pacem se flecti passus est. Fuit conuentus Regum Olomuciæ, Mathiæ & Vladislai, & aderant multarum gentium Principes magno numero. Mirificus ibi fuit splendor Mathiæ, qui suo sumtu Vladislaum excepit.

Accidit in illis pompis conuiuiorum res non illepida, quæ & ipsa de natura Regis Mathiæ docere potest. Conuiuia Regis non solum luxu & magnifico apparatu, aut heluationum immanitate strepebant, sed aut audiebantur viri docti de aliqua parte doctrinæ vtilis differentes, aut instituebatur dulcis & sedata Musica. Tunc in illa dissimilium hominum frequentia, admissus fuit ad mensam Regiam homo Germanus, histrio, vt putabatur, nobilis. Rex linguam Germanicam, quam in carcere didicerat, & postea multo vsu familiarem sibi fecerat, amabat: ideo istum audiuit facilius.

Mathias festiue castigat impudentem Poëtam.

Pronunciauit autem ὁμοιοτέλευτα Germanica, scripta à Poëta, vt apparebat, non infœlici, sed parum prudenti: ipse addebat gestus mimicos non indecoros. Primum caput poëmatis recensebat nomina Regum & Principum Christianorum longo ordine, nominabat etiam qualia, & quanta singuli daturi essent auxilia in Tyrannum Turcicum, illiusq; exercitus ampliſſimi spondebat futurum Imperatorem Mathiam, qui propter excellentem peritiam rei militaris, præsertim in bellis Turcicis, meritò omnibus esset præferendus.

Ex ea deinde mentionis occasione ille Rhapsodus longam telam laudum Mathiæ texebat, in qua virtutes quidem veras in Rege, vt sapientiam, amorem doctrinarum, fortitudinem, recitauit, sed illis parum verecundas hyperbolas immiscuerat, quæ Mathiæ asscribebant robur Giganteum, & speciem corporis excellentiorem humana. Epilogus postremo admodum impudenter erat petax. Nam flagitabat amplum præmium pro tam eleganti Poëmate à Rege.

Mathias, quem in illo præsertim principum cœtu, valde ista impudentia offenderat, iram tamen repressit, & ciuili reprehensione coruum hiantem Iudificatum dimisit: Audiui, inquit, carmen tuum non inuenustum, quod mihi maximas virtutes & ornamenta tribuit. Etsi autem optimè sciam, me non esse talem, qualem tu me depingis, tamen tibi non irascor, sed hoc ita interpretor, moneri me, vt seriò coner imaginem istam præstantem in vita exprimere, & quidem dabo operam, ne frustra admonitus esse videar.

Verum

Verum illud robur Giganteum, illamq; Ganymedis vel Absolonis pulchritudinem deinceps mihi non asscribas. Tui oculi me iam intuentur, qualis sim, ideo, si deinceps tam manifesta adulatione peccares, non impetrares veniam. Præmium autem illud luculentum, quod postulas, equidem tunc liberaliter dabo, vbi euenerint ea, de quibus tu vaticinaris. Nunc autem tale tempus est, vt optare potius quam sperare ea, quæ tu dixisti, possimus. Imminet nobis bellum Turcicum asperrimum, ista vero Christianorum armorum consociatio nusquam apparet. Eodem quidem isto vrbano sermone Rex & fatuitatem Mimi, & ignauiam Principum Christianorum salsè & prudenter reprehendit.

Mathias & Vladislaus quibus conditionibus transegerint.

Transegerunt Reges his conditionibus. Vterq; regum habeat titulum regni Bohemiæ, sed dignitas electionis Cæsareæ maneat penes Vladislaum, qui ipsam quoq; Bohemiam possideat. Prouinciæ vero tres, quæ regno Bohemiæ dicuntur insertæ, Morauia, Silesia & Lusatia, pareant Mathiæ, quæ, si Mathias prior decesserit, redeant ad regnum Bohemiæ, eo tamen euentu Vladislaus exoluet regno Hungariæ 400000. aureorum: sin vero Mathias Vladislao superstes erit, in regno vniuerso succedet, neque Bohemi summam illam numerabunt.

Nouigrodum urbs amplissima capitur à Moscho.

Interea dum ita disceptant & transigunt reges, magnum vulnus inflictum est Lithuaniæ, Poloniæ, atque, vt nostra ætas sentit, reliquis etiam regnis Christianis. Nam Iohannes Moschus vir bellicosus & impiger, qui post trecentesimum annum fermè iugum Tartaricum excusserat, hac æstate Nouigrodum vrbem amplam ad fines Liuoniæ, quæ annuum tributum centum millium aureorum Principi Lithuanico soluebat, nemine defendente occupauit, in qua gaza incredibilis reperta esse dicitur, ita vt consentienti testimonio scriptorum referatur, trecentos currus totos auro & argento onustos ex ea vrbe in Moscouiam translatos esse, qui autem reliquam prædam auexerunt, fuerunt innumerabiles.

Casimirus Rex bonus & timidior, etsi monitus à suis, tamen Moschos noluit irritare, sed inducias cum hoste, post cladem acceptam pactus est. In Pannonia vero egregiam operam orbi Christiano nauauit Mathias. Mahometus, etsi iam ad senium vergebat, tamen nihil de cupiditate amplificandi regna sua remittebat, & plenus erat bona spe, se adhuc Monarchiam constituturum, deletis reliquis regnis in Europa.

Mathias deuicit quinq; Bassas Turcitos.

Hoc igitur anno misit in Transyluaniam exercitum centum millium, quem ducebant quinq; præcipui Bassæ. Mathias, nuper reuersus ex Morauia, nihil cunctatus, copias suas, quas continuo in armis suis stipendijs alebat, hosti misit obuiam, & vocauit in Hungaria ad arma quos potuit. Exercitui tres præfecit duces, quorum

Princeps

Princeps erat Stephanus Bathorus, ipse correptus graui articulorum dolore, decumbebat non procul à castris. Tria agmina ordinauerant Hungari, ex quibus in illud, quod ducebat Bathorus, Turci primi inciderunt, & acerrimam pugnam cum illis conseruerunt: Hungaris vero iam penè defatigatis, superuenerunt reliqua duo agmina, & Turcos præter expectationem ex lateribus inuadunt, eosq; conturbatos in fugam deiiciunt. Conciſi sunt fermè omnes, neque Hungari supra quinquaginta captiuos seruarunt, reliquos vero mactarunt.

Iohannes Pannonius Episcopus Varadiensis familiaris Mathiæ Regis.

In Silesia fuit Iohannes Episcopus Varadiensis & Olomucensis familiaris Regis, qui magnam pecuniam nomine Regis ab ordinibus poscebat, & habebat administrum Georgium Stenium, qui propter artes quæstorias deinde factus est gubernator Silesiæ, cum magno damno huius prouinciæ. In Italia hoc anno fuit illa cruenta seditio Florentiæ, vbi Medicei iuuenes à parte aduersa in templo ex insidijs petiti sunt, ex quibus alter iugulatus est, alter vulneratus euasit. Autores cædis, homines illustres, & prædiuites miserabiliter strangulati & mactati sunt. Historiam descripsit Iouius.

Florentina seditio.

Anno sequenti 1480. in Austria rursus bellum erupit: Mathias enim, qui vi morbi superatus nunciabatur mortuus esse, probauit sese viuere. Nam per legatos & exercitum suum familiarem, Austriam fœdè vastauit. Narratur fuisse belli causa, quod Bernhardus Archiepiscopus Strigonienſis magnum auri pondus, & coronam regni Hungariæ in Germaniam asportasset. Sed tamen bellum illud rursus cito conquieuit.

Mahometus frustra oppugnat Rhodum

Mahometus hoc anno oppugnauit Rhodum, v irtute tamen militum Germanorum ex ordine Cruciferorum vrbs fortiter est defensa, & Turci ab Insula pulsi. Misit eadem æstate classem in Italiam, quam nudatam præsidio Germanorum Cæsarum, capi posse sperabat. In Apulia multa ignobilia oppida vi cepit. Hydruntum vrbem validam expugnauit, in victos nullum crudelitatis genus prætermisit, Archiepiscopum vrbis medium dissecuit, in promiscuam turbam hominum passim sæuijt, vrbemq; ipsam valido præsidio munijt. Bellum hoc administrauit per suos Bassas.

Mahometi exercitus occupat Hydruntum Apuliæ urbem.

Mahometus Tyrannus Turcicus extinguitur.

In Ducatu Glogouiensi hoc anno Iohannes Princeps ex vrbe eiecit Margaritam viduam Vladislai Ducis. Series euentuum alibi describitur. Annus proximus celebris fuit propter mortem Mahometi Tyranni Turcici. Adortus fuerat Rhodum anno superiori, expugnauerat Hydruntum in Italia, & ipse cum tertio exercitu per Asiam, ineunte vere huius anni, in Syriam proficiscebatur. Sed tertio Maij ad Nicomediam Bithiniæ vrbem inter sæuos cruciatus, qui aut fuerunt colici, aut potius, vt arbitror, ex inflammatione alicuius visceris, extinctus est.

In Italia

In Italia Alphonsus Calabriæ princeps adiutus, à cæteris Italis, & præsertim auctus auxilijs Hungaricis Mathiæ regis affinis sui, Hydruntum Turcis eripuit, præsidio Turcico cæso, & captos Turcos ad duram seruitutem hinc inde distribuit. Enituit ibi opera Hungarorum, qui in bellis Turcicis erant exercitati. Ortum est ciuile bellum inter filios Mahometi, Baiazetum & Gemem, qui pulsus à fratre fuit in Aegyptum, & rursus amisso exercitu venit in Rhodum, petens opem à Germanis, qui eum miserunt in Italiam ad Pontificem, vbi ludibrio multos annos habitus est, & tandem apud Carolum 8. Galliæ regem, scelere Alexandri Pontificis, in Campania veneno necatus.

Turci pelluntur ex Italia.

Gemes Mahometi filius fit supp. ex Christianis & male tractatur.

Erat quidem occasio tunc rei præclarè gerendæ contra Turcos, sed ciuiles lanienæ Christianorum Principum omnia corruperunt. Mathias iam incipiebat languere ex morbo articulorum, ita vt minus esset idoneus ad longas expeditiones, & perpetuo litigabat cum vicinis. Etsi enim interdum erat imago pacis inter ipsum, Cæsarem, Bohemum & Polonum, tamen nulla erat fides & beneuolentia, nec reliquorum regnorum vlla erat coniunctio, Deo nimirum puniente peccata Europæ. Atq; ita vindex dextera potentiæ Turcicæ subinde est confirmata.

Mathias semper litigabat cum vicinis.

Hisce annis grauibus bellis implicitus fuit in Belgico Maximilianus, qui ducta filia Caroli Mariæ, etsi potentes habuit aduersarios, & initia gubernationis erant infirma, tamen fortiter repressit Ludouicum Vndecimum, qui fraude & aperta vi patrimonium Mariæ inuadebat. Sed anno 1482. Maria Burgundica auia Imperatorum Caroli & Ferdinandi, domina præstans naturæ bonitate, infœlici casu, grauida ex equo in venatione lapsa est, & cum ex illa corporis concussione febris superueniisset, inter lacrymas mariti Principis, & totius populi expirauit.

Maria Burgundica extinguitur.

Reliquit superstites filium Philippum, & Margaritam, quam Ludouicus Vndecimus, filio suo Carolo Octauo despondit, & tamen ab eodem Carolo postea ex agresti ἀγροικία, & auaritia est repudiata. In Silesia Rodolpho Episcopo Vratislauiensi defuncto successit Iohannes Rotus Vendingensis Sueuus, vir doctrinæ & dexteritatis magnæ, cui graues deinde fuerunt lites cum suo sacerdotio.

Margaris Maximiliani filia repudiatur à Carolo Octauo.

Iohannes Rotus fuit sapiens Episcopus.

Sequenti anno sæuissima est grassata pestilentia per totam Silesiam, perierunt innumerabiles turbæ hominum, præcipuè in ducatu Glogouiensi, cuius ea fuit fortuna, quæ describitur in veteri oraculo Thucydidæo:

ἥξει δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

Glogouiensis ducatus miserabilis status.

Bellum enim tristissimum, pestis & fames secuta sunt, ita vt non mirum sit, has vrbes inter tantas difficultates non potuisse emergere ad aliquam celebritatem.

In Bohe-

Vladislaus Bohemicus fuit imbecillis Rex.

In Bohemia tanta fuit gubernationis deformitas, vt Vladislaus palam profiteretur, dolere se, quod regnum illud inops & turbulentum vidisset. Nam ipse, qui natura erat lentus & parum efficax in magnis rebus gerendis, & præterea oppressus ære alieno graui, à suis contemnebatur. Exoluerat filijs Georgij trecenta millia aureorum, & profuderat magnam pecuniam in bella Pannonica. Vectigalia igitur & reditus regni erant in manibus aliorum, & ipse fermè precario regnabat. Tandem hisce annis, cum, instigantibus Pontificijs, cœpisset esse asperior in Hussiticos, vt hoc modo gratiam Pontificis promereretur, insignis exarsit seditio, adeo vt ipse Rex, in quem publicè dicebantur probra omnis generis, esset in periculo vitæ. Pragæ à furente multitudine Senatus trucidatus est. Noxam tamen hanc ita grauem, Rex multitudini, deprecantibus ducibus Monsterbergensibus, remisit, cum vires suas ipse optimè metiretur, & consilia Mathiæ metueret.

Pragensis seditio aduersus Vladislaum.

Stephano Valacho eripitur Bessarabia à Baiazete.

Anno 1484. Baiazetes pulso fratre, vt vlciscereturcladem patris Mahometi, acceptam à Stephano Valacho, bellum terra mariq; Valachiæ intulit, & primo impetu, etsi non sine strage suorum, extremam oram Valachiæ ad pontum Euxinum, quæ Bessarabia nominatur, ad ripas Istri & Tyræ occupauit, captis vrbibus Cylia & Moncastro.

Stephanus Valachus iurat in uerba Casimiri Poloniæ regis.

Stephanus impar tanto hosti, cum frustra imploraſſet opem vicinorum regum, abdidit se in syluas & montes. Baiazetes autem Valachiam totam peruastauit, & vrbibus, quas ceperat, præsidio firmatis in Thraciam redijt. Sequenti anno Stephanus Valachiæ Princeps, cum se aduersus potentiam Turcicam tueri non posset, iurauit in verba regis Casimiri in castris.

Stephanus Valachus deluditur Stratagemate à Casimiro rege.

Ad imitationem autem facti Rodolphi Cæsaris, qui hoc instruxit in superbum regem Bohemiæ Othocarum, tentorium in media actione dilapsum est, & Stephanus victor tot regum conspectus est procumbere ad genua Casimiri, qua re tamen nihil motus est, cum speraret se ope Casimiri recuperaturum amissam regionem, & impetrauit quidem auxilia à Polonis, quæ duxit Iohannes Polacus, qui postea ob crudelitatem editam in ducatu Glogouiensi fuit nobilis. Sed plane irrita fuit ea expeditio, & Stephanum sero pœnituit suæ demissionis: Valachiam quidem, Bessarabia amissa, retinuit.

Mathias occupat Viennam.

In Austria, superiori anno recruduerat bellum inter Cæsarem & Mathiam, sed pulso exercitu Cæsaris, qui non erat magnus, Mathias totam pene Austriam in suam potestatem redegit, & hoc anno 1485. post longam obsidionem etiam Vienna ipsi mense Iunio dedita est. Sola noua ciuitas adhuc tolerauit impressionem Mathiæ, & mansit in fide Cæsaris.

Friderí-

Fridericus, cui in ista ætate & eo in loco dignitatis supremæ non poterant ista non esse acerba, oberrauit hinc inde in Germania, cum comitatu octingentorum equitum expeditorum, & vt mederetur animi sui anxietati, quæsiuit hinc inde θελκτήρια ex consolationibus Philosophicis. Passim igitur Noribergæ & alibi inscribebat parietibus hoc apophtegma: Rerum irrecuperabilium summa fœlicitas obliuio. Intelligebat tamen morte Mathiæ, quæ in illa valetudine iam tunc non poterat procul abesse, omnia ea reditura ad suos hæredes.

Friderici Cæsaris animi æquabilitas.

Anno proximo post, Maximilianus Francofurti renunciatus est Cæsar, qui tamen propter bella Gallica nihil poterat opis afferre patri. Imo ipse adeo difficili fuit afflictus fortuna, vt in vrbe Bruggensi ex insidijs Gallicis, à suis ciuibus, enormi cum scelere, in carcerem duceretur. Friderico tamen Cæsare cum exercitu in Belgicum descendente, dimissus est, & vrbs graues pœnas perfidiæ suæ luit. Reuerendus D. Lutherus existimauit, Bruggenses scelere illo in se attraxisse iram Dei, ita vt eodem tempore, refugiente mari, celebrem suum Portum amitterent, & emporium Antuerpiam transferretur. Anno 1487. noua ciuitas, quæ amplius vno anno obsessa fuit, in potestatem Mathiæ venit mense Augusto.

Maximilianus creatur Cæsar.

Maximilianus detinetur à Bruggensibus.

Mathias occupat nouam ciuitatem.

Fridericus in conuentu Noribergensi grauem de Mathia habuit querimoniam, decreta sunt igitur Cæsari subitaria quædam auxilia, & cum copijs mediocribus in Austriam missus est Albertus Dux Saxoniæ: Sed is, cum cerneret Mathiæ impetum & robur, noluit Germaniam tam difficili inuoluere bello, & putauit rectius esse, si tolerabili aliqua conditione posset iniri pax, à qua non videbatur abhorrere Mathias. Venit igitur cum eo in collocutionem mense Decembri, & in nouem menses inducias pactus est.

Albertus Saxonicus paciscitur inducias cum Mathia.

Anno 1488. fuit bellum Glogouiense in Silesia, & electus est armis Mathiæ ex suo Ducatu Iohannes Saganensis & Glogouiensis. Historia narrabitur libro sequenti. Proximo anno post, ductores Regis in Silesia, & ad fines prouinciarum Marchionum, & Ducum Saxoniæ, circumferebant hinc inde arma, & vastitatem in multis locis faciebant Hungari, & milites legionis nigræ.

In Silesia planè excusserunt Conradum Album Olsnicensem, Henrico vero Monsterbergensi ademerunt Francosteinum & Monsterbergam, quod fauisse dicerentur hosti Regis Iohanni Saganensi. Georgius Stenius legatus Regius præcipuos ordines, præcipuè verò sacerdotes, grandem poposcit pecuniam, nec vllam admittebat excusationem.

Mathiæ ductores affligunt multos ordines Silesiæ.

Milites distribuebat in præsidia passim, quos Rex alí volebat in Silesia ad bellum Polonicum, quod certo instituerat, vt semel finem diuturnæ inimicitiæ imponeret, illis permittebatur licentia & impunitas grassandi præter omnem modum & legem. Baiazetes Turcus Mathiam formidabat, ideo cum eo inducias pepigerat, ipsíq; magni muneris loco Constantinopoli transmiserat corpus Iohannis Eleemosynarij, quod Budæ celebri cum pompa conditum est.

Baiazetes paciscitur inducias cum Mathia.

Ineunte anno 1490. fuerunt in aula Mathiæ, legati Imperatoris Friderici, Regis Maximiliani, Romani Pontificis, multorum Principum Germaniæ, præterea legati Turcici & Sultani Aegyptij. Fuerunt illis omnibus arduæ deliberationes cum Rege de sedandis odijs & bellis. Prodijt autem orator Pontificius Cardinalis, qui erat Dux consilij publici inter Reges Christianos in pompa publica, magno cum splendore à Rege apparata, in illo suo galero, & longa purpura.

Mathiæ sermo ad legatum Baiazetis.

Turci & Aegyptij mirati formam viri, interrogarunt Mathiam, quisnam hominum esset ille, qui tam peregrino vteretur cultu corporis. Rex, vt eos terreret, festiuè respondit: Est inquit homo supremæ dignitatis, penes quem est potestas etiam remittendi peccata hominum. Ita quidem putabamus, dicebant legati, speciem eius augustiorem esse humana. Meditabantur quidem in Mathiam bellum Cæsar, Imperium, Reges Polonus & Bohemus. Horum tamen impetum ipse nihil metuebat, sed ad omnem euentum erat paratissimus, intercepto præsertim bello Turcico.

Duci Saxoniæ & Marchioni Brandeburgensi, qui visi fuerant consilia contulisse cum Iohanne Saganense, immiserat agmen prædatorium suorum militum ex Silesia, sed cum illi veniam peterent, passus est se facile placari, & omissis alijs, adoriri cupiebat Polonum, qui ipsi erat infestissimus.

Mathias reconciliatur Principibus Saxoniæ & Marchiæ.

Erat aduentus ipsius in Silesia iam in expectatione: Senatui etiam Vratislauiensi nunciauerat, ne magistratum vrbanum ante ipsius aduentum, qui primo vere futurus esset, mutarent: & quidem tunc ab ea vrbe, grauibus criminationibus Georgij Stenij, & aliorum irritatus, erat alienus, ita vt aliquid mali inde oriri publicè potuisset. Verum illos motus omnes, qui proculdubio euertissent Silesiam, & alias Prouincias, abrupit interitus Regis.

Mathias meditatur bellum in Poloniam.

Mathias irascitur Vratislauiæ.

Opprimebatur multis annis crebro arthritide, & inprimis podagra sæua, sicut in tanta animi & corporis commotione, ad quam etiam accedebant noui amores, & liberalis vsus potentium vinorum, necesse erat accidere. Vltimo deinde anno vitæ, natura vi morbi iam debilitata, ex leui Apoplexia correptus est paralysi vtriusque cruris, ita vt pene nihil inambularet. Morabatur autem tunc

Mathias moritur ex Apoplexia Viennæ.

tunc Viennæ, neque de suis spiritibus & ardore aliquid remittebat, sed totus animo erat in armis.

Die Dominico, quem Ecclesia nominat Palmarum, sacra Pontificia sibi in arce celebri cum pompa, vt quidem in omni actione solebat esse magnificus, peragi curauit. Deinde Oratores Caroli Octaui Galliæ Regis, adulatoria & grata facundia gloriam ex rebus ipsius gestis mirificè prædicantes, lætissimus audiuit, accubuit postea ad prandium: ibi cum in mensa secunda ficus recentes, allatas ex Italia, poscceret, easque iam ab aulicis dissipatas & consumtas cognosceret, ingenti exarsit ira, ita vt totus tremeret, humoribus vero agitatis, & in ventriculis cerebri eliquatis, euestigio apoplexia secuta est.

Lapsus igitur in terram vnà cum sensu & motu vocem quoq; amisit, & inconditos tantum eiulatus & mugitus inter illos stertores sonuit, atq; die sequenti lunæ, qui fuit quintus Aprilis, intercepto iam anhelitu expirauit. Ita quidem in terris vitam clausit suam Mathias Huniades, qui ob fortunæ suæ benignitatem, & rerum gestarum varietatem & magnitudinem, proculdubio in perpetua apud posteritatem erit memoria.

Apud Thucydidem Pericles inquit, vsitatum esse omnibus laudare mortuos. Ego tamen, sicut nec falsam laudem cuiq; ascribere velim: ita dona Dei in heroicis Principibus iudico esse grata mente agnoscenda & celebranda.

Manifestum est autem, insigni Dei ope & fatali quadam fœlicitate Mathiam ex summis miseriis ad magnum fastigium rerum esse euectum. Cursus etiam ipsius magna ex parte fuit faustus & salutaris suis hominibus: etsi, vt nemo est tetragonus, etiam aliqua in ipso potuerunt desiderari: nec malè in eum quadrare inficior hoc vetus, ἀγαθὸν ἡ πύμη φίλιππον, sicut neque natura, neque fortuna dissimilis fuit Philippo Macedoni, qui etiam ex carcere ad regnum peruenit: etsi in Mathia impetus longè fuerunt acriores, & similiores ardori Alexandri. *Mathiæ regis virtutes.*

Ego enim existimo, huius Regis autoritatem, quam ipsi conciliauit & memoria paternæ virtutis, quæ certe fuit longè laudatissima, & propria, eáque fœlix alacritas, diuinitus fuisse obiectam irruenti Mahometo, quem profecto in illo cursu victoriarum, & accessione tot opulentissimorum regnorum, vulgaria repagula non potuissent retinere, cum semel in orbem terrarum terribilem suum acinacem Turcicum strinxisset.

Agnoscamus igitur præsentiam & opem Dei, qui armis Mathiæ illum tyrannum, quo inter Turcicos nullus fuit asperior

& fœlicior, à Pannonia & Germania reiecit. Recitatum fuit apud auos noſtros, legatum Mahometi Turcici aliquando ſuperba oratione nomine ſui Regis popoſciſſe à Mathia Pannoniæ regnum. Mathias vero, commotus illo Tyrannico poſtulato, cum vehementer excanduiſſet, reuertere, inquit, ad dominum tuum eueſtigio, illiq; renuncia regnare ipſum in Græcia beneficio meo, neque diutius ipſi bene futurum, quàm mihi libuerit.

Mathiæ reſponſum ad legatum Mahometi.

Quod vero tanti impetus ipſius conſumti ſunt in lanienis ciuilibus, hoc accidit ex triſti fato Europæ, quod attraxerunt peccata cumulata multis ſeculis, & fuerunt tubæ horum bellorum Romani Pontifices, qui neglectis incendijs Turcicis, malebant deleri Eccleſias Bohemicas, aduerſantes tyrannidi ipſorum.

In gubernatione fuit quidem aſper, ſed tamen crudelis non fuit. Et nota eſt imago Argonautica, vbi Hercules ex lege cogitur agitare remos, eosq; frangit. Nam Heroici & calidi illi motus non ſemper vinculis legum coërcentur, & ſemper triſtia peccata ſunt ἔργα θυμικὰ in magnis viris, qui minime hoc præſtare poſſunt, quod dicitur: Vince animos, iramq; tuam qui cætera vincis. Ideo ſapienter veteres bellatores ſuis filijs præcipiebant, vt iram frenarent.

Mathias precauit iracundia.

In vita eius interiori lucebant multæ virtutes egregiæ. Aſſuefactus erat ad ſtudia doctrinæ à teneris ex autoritate patris, itáque fœliciter didicit linguam latinam, vt adhuc puer in maximis negocijs eſſet orator & interpres patris. Ideo deinceps in regno etiam artes honeſtas inprimis dilexit, & multos celebres ob doctrinam, ad magnam dignitatem & opes ex infimo gradu euexit. Inſtruxit Bibliothecam maximo ſumtu, ex qua noſtra ætate prodierunt vtiliſſimi libri, Polybius, Diodorus Siculus, Nicephorus & alij. Eccleſiæ nomen valde ſemper eſt veneratus, ſed auaritiam & improbitatem ſacerdotum maxime oderat. In colloquio quodam aulico vitia Epiſcoporum feſtiuiſſima ironia taxaſſe ſcribitur.

Mathias amauit ſtudia.

Alebat Hungaria, cum floreret, duodecim Epiſcopos, opibus & dignitate maximis principibus pares. Conuenerant vero in aula quidam ex Regis familiaribus, & deplorabant inter ſe religionem Chriſtianam in pompam eſſe conuerſam, redituſq; Eccleſiarum ab hominibus improbis immani cum luxu profundi.

Mathias deteſtabatur auaritiam & uitia Epiſcoporum.

Interuenit commodum ſermoni iſti Rex, & cum audiuiſſet colloquium amicorum: Ego vero, inquit, non arbitror nominandos eſſe illos malos, qui maximo ſtudio inferos fugiunt, quod profecto noſtri Epiſcopi ſolum faciunt. Superbiam quidem non fugiunt. Nam ea, ſi perijſſet ex memoria hominum, cultus & in-

ceſſus

cessus Episcoporum eam restitueret. Iram adeo non vitant, vt nusquam locorum horribiliora crudelitatis exempla edantur, quàm apud ipsos: sicut credo hisce diebus vos audiuisse, Episcopum, familiarem quendam suum magni nominis virum, ob culpam leuissimam flagris cæsum occidisse.

Auaritia ipsis est carissima. Nam diuina vendunt, sacra vero & profana spoliant, vt opes corradant. Luxus nominatur magnificentia, eum ostendunt tot periti coci, tot structuræ popinarum maxime sumtuosarum, denique tanti greges lenonum & scortorum, quorum appellatio etiam inhonesta est.

Dominantur ibi inuidia, calumniæ, quibus maximè crescunt, ocium, ignauia, insidiæ & alia scelera. Verum vnum est, quod maximè oderunt, detestantur & fugiunt, illudq; hoc est, quod sedem suam apud inferos habere dicitur. Omnibus auide scisciantibus, quod nam hoc esset, subiecit Rex: Egestas. Ea enim, teste Poëta, inferni est alumna, & inter maxima monstra eam collocat. Ita enim inquit: Malesuada fames & turpis egestas.

Ostendit illa oratio Regis, quæ fuit vehementer falsa, non solum morbos Episcoporum, sed etiam nominauit scelera illa, quæ Pannoniæ fatalem ruinam attraxerunt. Proximo etiam anno ante mortem, voluit ex veris fontibus sibi ostendi, an vsitati reditus, emti cum pacto de reuendendo, sint vsuræ, illisq; modum cœpit constituere: itáque in eam rem incubuit, vt ordinem Ecclesiasticum, qui ipsi repugnabat, grauiter fuisset afflicturus, nisi interitus ipsius ea interrupisset.

Studiosè didicit Mathemata, Astrologiam & diuinationes Physicas, adeo vt ex primo aspectu lineamentorum faciei de temperamento & moribus hominum solertissimè iudicaret. Inimici inuidentes tantæ dexteritati ipsius spargebant, ex artibus magicis ipsum talia rescire. *Mathias fuit peritus diuinationum Physicarum.*

Inprimis dilexit Regiomontanum, qui tunc erat præcipuus artifex: eum cum in aulam veniret mensæ suæ adhibebat, & stipendium annuum 200. aureorum illi dedit. Et quidem perpetuo talis erat forma conuiuiorum regiorum, vt aut viros doctos differentes de aliqua parte doctrinæ ex artibus, vel historijs audiret, vbi ipse crebro & prudenter interfabatur, aut accerseret Musicum, qui ad lyram gesta præstantium virorum in bellis Turcicis sermone patrio, vt multos ad virtutem accenderet, cantabat. *Mathias dilexit Regiomontanum.* *Mathiæ conuiuia fuerunt honesta.*

Animus erat in ipso in omni re, non solum in prælijs, excelsus & magnificus. Recitabatur aliquando ad mensam historia

Mathiæ regis iudicium de facto Alphõsi regis Neapolitani.

de Alphonso Rege Hispano & Neapolitano, auo Reginæ Beatricis, eiusmodi. Viuebat Alphonsus Tyburi: Oeconomus autem Regius subinde comeabat in forum Romanum. Nam vrbs inde milliaribus sedecim Italicis non magnis distat. Quodam autem die orta est nobilis & ambitiosa altercatio inter œconomum Regis & Pontificis, qui simul ad forum conuenerant.

Exposita erat venum in macello vnica murena, eáque pro natura piscis, qui quatuor libras nunquam excedit, satis grandis. Expetebat eam vterq; Oeconomus, piscator ansam hanc arripiens, auferat, inquit, Murenam, qui plurimum numorum offert: Pontificius obtulit aureos tres, Regius sex: Rursus Pontificius decem, Regius vero viginti. Crescente altercatione, inquit piscator: Tollat piscem qui numerauerit triginta aureos.

Obmutuit Pontificius, Regius vero data pecunia, Murenam abstulit. Laudauit factum Oeconomi sui Alphonsus, illíque munera dedit. Mathias finita narratione prudenter subiecit: Noluissem ego Oeconomum, si meus fuisset, magnificentiam vel liberalitatem in tali re ostendere, aut si omnino feciſſet, laudassem. si Murenam emptam donasset Pontifici, eáque re docuisset, Regem suum nec gulæ nec auaritiæ esse deditum.

Apud Claudianum singularis laus est Theodosij, quod non fuerit suspicax: ita Mathias non facile admittebat calumnias illorum, qui conabantur familiares Regis in odium adducere. Miserat in Pannoniam legatum suum Nicolaum Episcopum Madrusiensem Pius Senensis Pontifex. Ille allectus beneficentia & muneribus Regis, totam hyemem in aula commoratus est, & artibus suis Italicis in præcipuorum Principum amicitiam se insinuauit, qui omnes eum tanquam virum eruditionis & virtutis raræ venerabantur, illiqúe prodige donabant. Solus Rex primo in congressu naturam eius, quæ erat plena simulationum, vafriciei & perfidiæ, agnouit, & tamen egregiè omnia dissimulauit.

Mathias oderat calumnias.

Iste legatus tandem iniit consilium crescendi apud Regem per calumnias, ad quas alioqui animos, præsertim potentum, ingenti pruritu sciebat esse pronos. Accusabat proditionis præcipuos regni proceres, & qui ipsi plurimum benefecerant. Rex, vt excuteret hominem, simulabat se mirari de perfidia illorum, quos nunquam offendisset, & quibus magnos honores mandasset, & vix adduci posse, vt crederet. Legatus, vt Regem magis incenderet: Equidem, inquit, Rex ego coram vbi videbitur ista demonstrabo: nam salutem tuam ego merito omnibus alijs commodis antefero.

Mathias,

Mathias, cum legatus quotidie nouas fabellas commiſceretur, quibus animum Regis ſauciaret, ſtatuit eum retundere. Et cum ageretur conuentus Principum regni, dixit ad legatum. Age Nicolaë, pollicitus es, te coram probaturum inſidias ſtructas vitæ meæ à familiaribus meis, ſi videtur, iam eſſet data occaſio.

Non putabat legatus regem ſerio loqui, & promiſit ſe facturum, quæ dixiſſet. Rex apprehendit illico Epiſcopum manu, eumqûe in cœtum procerum duxit: Principes conſurrexerunt, & Nicolaum tanquam amicum blandè ſalutabant. Rex vero dixit, Epiſcope nunc tempus eſt, proloquere palam, & nudato proditionem & inſidias, quas tu in illis Principibus deprehendiſti, & quas toties mihi inſuſurraſti.

Nicolaus confuſus, metu meriti ſupplicij, & intuens venerandos vultus Principum, de quibus nihil inhoneſti vnquam comperat, quicq; ipſi benefecerant, totus tremens & gemens, demiſſo vultu conticuit. At ego, inquit Rex, niſi moueret me autoritas Pontificis, oſtenderem tibi, non decere legatos in alieno regno ſementem diſſidiorum & lanienarum ſerere, & Principibus honeſtis periculum vitæ creare. Tibi igitur mando, vt intra biduum regno meo excedas, quod niſi feceris, ego tale exemplum in te ſtatuam, vt orbi terrarum innoteſcat, Mathiam regem ſceleratas tales artes ſerio odiſſe.

Diſceſſit vipera illa ſine mora. Non addam plures narrationes, iſtas verò inſerui, vt extaret teſtimonium ingenij & virtutum huius Regis. Pinxit pro ſymbolo ſuo in moneta & alibi, coruum geſtantem roſtro annulum, cuius cauſam hanc reperio: Eripuerat ipſi coruus nobilem Smaragdum detractum digito: Rex autem perſecutus volucrem, globo ſclopeti coruum interfecit, & annulum recuperauit: quæ hiſtoria penè ſimilis eſt euentui, qui contigit Polycrati Samio, apud Herodotum. Nam & is Smaragdum ſuum data opera in mare ex conſilio Amaſis Aegyptij Regis abiectum, paulò pòſt recepit repertum in ventre piſcis marini.

Mathias quale ſymbolum uſurpauerit.

Hiſtoriarum enim inprimis fuit gnarus, & multa ex hiſtorijs Græcis in Latinum ſermonem tranſferri curauit ſui vſus cauſa. Polonici ſcriptores, qui fuerunt admodum iniqui Mathiæ, perpetuo hoſti ipſorum, conqueruntur de viris literatis illius ſeculi, quod illecti liberalitate Mathiæ, res geſtas ipſius valde amplificauerint, cum quibus ego non litigo: ſed tamen animaduerti poteſt, illam ipſam munificentiam potius fuiſſe virtutem verè regiam & dignam commendatione. Nam & Alexander, qui ineptum ſuum

Mathias fuit carus uiris doctis ſuæ ætatis.

Chærilum ditauit, fortaſſe precio vnius regni venam Homeri emiſſet.

Mathiæ figura & temperamentum.

Vixit annos penè 47. regnauit 32. Habitus corporis, ſicut etiam in vetuſtis ſtatuis cernitur, fuit fermè quadratus, ſtatura non procera: ſed mediocris & virilis, capilli flaui & ſubcriſpi, atque in humeros promiſſi, oculi χάεροωοι & viuidi, genæ rubicundæ, longi digiti manuum, ita vt æſtimari poſſit, fuiſſe temperamentum ipſius medium inter ſanguineum & biliоſum: qualia nimirum ſolent eſſe magnorum bellatorum, in quibus ſunt ſpiritus multi & ardentes, non tamen furioſi & nimis ignei. Nunc reuertimur ad ſeriem annalium.

VLADISLAVS HVNGARIÆ & Bohemiæ Rex, Sileſiæ Princeps, auus maternus Maximuliani Secundi Romanorum Imperatoris.

Maximilianus Cæſar recuperat Auſtriam.

CAdauer Mathiæ relatum eſt in Albam regalem, & ibi raptim, cum omnia plena eſſent motuum, ſepultum eſt. Maximilianus Cæſar Auſtriam, & ipſam Viennam, mortuo Mathia, facilè recuperauit. Hungari diſſentiebant de electione noui Regis. Multi inclinabant ad Maximilianum, ſicut iam olim pacta certa interceſſerant, & ipſe progreſſus in Hungariam, Albam regalem occupauit.

Maximilianus occupat Albam regalem.

Caſimirus Poloniæ Rex volebat in regnum illud collocare filium Iohannem Albertum, eumq; magno exercitu armabat. Budam cum præſidio tenebat Iohannes Coruinus filius naturalis Mathiæ, cui propter memoriam patris multi fauebant. Sed vicerunt conſilia Beatricis Reginæ, quæ, vt mulier Hiſpanica, callide ſummam rei ad ſeſe traxit, & tamen deinde decepta eſt. Placuerat illi Vladislaus Rex, quem viderat Olomucij, & cum eo ſæpe multumq; eleganti latino ſermone, cuius erat peritiſſima, fuerat confabulata: illius igitur nuptias appetebat, & ſcribitur, Vladislaus ipſi promiſiſſe coniugium, ſicut prius Barbaræ Freiſtadienſi, filiæ Marchionis Electoris.

Beatrix uidua Vladislaum attrahit.

Beatrix, quæ in manibus habebat theſauros Mathiæ: proceres Regni, & ipſam legionem nigram, vt nominabatur, in ſuas partes traduxit, & Vladislaum venientem cum Comitatu non magno, ad limites Pannoniæ excepit, & pulſo Coruino Budam collocauit. Renunciatus eſt Hungariæ Rex 15. Iulij, coronatus 14. Septembris. Superuenit ex Polonia Iohannes Albertus cum valido exercitu, & aliquos ex Hungaris ad ſe pellexit: primas vrbes etiam in aditu regni occupauit.

Vladislaus Bohemicus coronatur in Regem Hungariæ.

Tandem,

Tandem, annitente Vladislao, qui maximè alienus erat à crudelitate, factæ sunt induciæ inter fratres, vt interea posset agi de firma pace. Lusatia primum iurauit in verba Vladislai. Deinde mense Iulio etiam Silesia agnouit eum pro rege. Vagabantur multæ turmæ militum Mathiæ in Silesia, viuentes ex rapto, ex illis plærægꝫ concisæ sunt ab oppidanis & rusticis. Electi sunt etiam cum contumelia ex Prouincia capitanei aliqui, qui existimabantur fuisse flabella bellorum & expilationum.

Iohannes Albertus frustra inuadit Hungariam.

Vratislauiæ atrox exemplum seueritatis editum est. Nam 4. Iulij publicè ceruices absciſſæ sunt Henrico Dominico viro magnæ dignitatis, Principi senatus, quod diceretur collusisse cum Georgio Stenio, & Ciuitatem ad Regem esse criminatus. Conradus Olsnicensis & Henricus Monsterbergensis, adepti sunt rursus ciuitates suas, quas amiserant tempore proximi belli. Ducatus Glogouiensis, post electum Iohannem Pribusiensem attributus fuerat Iohanni Coruino, qui eum gubernabat per præfectum: is mortuo patre profligatus fuerat à Ducibus Vladislai, & demum cum rege transegerat, vt oppida & arces suas in Hungaria retineret. Mense igitur Septembri, Ducatus in verba Regis iurauit. Post elapsas inducias, duces Vladislai conflixerunt cum Iohanne Alberto Calendis Ianuarij, 1491. eumꝫ profligarunt.

Henricus Dominicus senator Vratislauiensis afficitur capitali supplicio.

Silesia accepit nouos Magistratus mortuo rege Mathia.

Facta est pax inter fratres: Vladislao est relicta Hungaria, Alberto vero frater attribuit in Silesia ducatus, Glogouiensem & Tropauiensem, illiqúe, si ipse sine hærede decessisset, successionem promisit. Post ferias Paschatis Casimirus Teschinensis, præses Silesiæ, legato Iohannis Alberti, Iohanni Polaco Ceruicouensi, viro malo & sæuo, ducatum Glogouiensem tradidit. Eadem æstate Vladislaus pecunia Beatricis Albam regalem recepit. Cedebat autem eò facilius Maximilianus, quod vocaretur ad Bellum Gallicum, & interuenerunt certæ sponsiones, consignatæ monumentis, de successione Maximiliani, aut liberorum ipsius in Hungaria, si stirps mascula defeciſſet.

Maximiliano promittitur successio in regno Hungariæ.

Pacauit ita totam Hungariam Vladislaus, sed Reginæ non bonam retulit gratiam. Ex concessione enim Pontificis, qui tamen ipse erat Hispanus, nuptias Beatricis, quod diceretur esse sterilis, repudiauit, & miseram mulierem ludificatus est, cum paulò pòst etiam in Italia propinqui ipsius, pater & fratres Arragonij, regno Neapolitano per Carolum Octauum ejcerentur. Ipsa deinde tamen rebus pacatis Neapolim commigrauit, ibiqúe vitam finijt.

Beatrix decipitur & Neapoli in exilio moritur.

Eodem anno cœpit glisscere odium in Silesia, inter Episcopum & collegia sacerdotum, quod deinde in litem ignominiosam erupit. Offenderat Episcopus Iohannes sua collegia, quod in sanciendis disci-

Iohannes Rotus Episcopus Vratislauiensis corrigit ritus Ecclesiasticos.

da disciplina esset seuerus,& aboleuerat initio statim multos ritus, indecoros in templis,& in processionibus. Vetuerat etiam suo quodam consilio modos Musicos in templis,eosq; nominabat cantum in crumpis. Nam ipse,sicut & Augustinus, querebatur in multis cantum, non pondus sanctorum verborum obseruari.

Quamuis autem Musicam omnibus ætatibus in sacris adhibitam esse constet, eaq; omnes naturæ non monstrosæ delectentur, tamen manifestum est, oportere esse modum istius rei, & delectum harmoniarum. Affixi sunt libelli publicè, pleni contumeliarum, qui excitarunt & auxerunt contentiones maximas: vnde tunc,prolatis multis sceleribus, sacerdotes esse cœperunt inuisi populo.

Iohannes Rotus habuit magna certamina cum suis collegijs.

Et cum doctiores iam legerent scripta Hegij Dauentrienſis, Rodolphi Agricolæ, & deinde Erasmi, quæ taxant histrionicam & abusus in religione,apud multos inoleuit opinio,opus esse emendatione, donec tandem voce Lutheri Gordius nodus dissectus est, & veri morbi Ecclesiæ monstrati. Autumno huius anni Casimirus Teschinensis copijs Regijs expugnauit arces reliquas, quæ fuerant munitæ præsidijs Georgij Stenij, & erant receptacula latronum.

Casimirus Poloniæ Rex moritur.

Anno 1492. Casimirus Poloniæ Rex, qui instaurabat bellum contra Vladislaum filium, quem testamento exhæredauerat propter acceptam Hungariam, confectus senio & lenta febri, quam sibi conciliauerat, cum Diarrhœam ex consilio Monachorum repressisset esu panis Lithuanici durissimi, expirauit.

Fuit Rex placidus, alienus à seuitia, & abstemius. Apud nobilitatem suam fuit in odio, quod existimaretur esse segnis, & aduersabatur auaritiæ sacerdotum, ideo ipsi regem hunc parcè in historijs suis laudarunt. Vixit annos 64. Regnauit 45. Successit ipsi, post longam altercationem inter ordines, Iohannes Albertus filius, adiutus à matre Elizabetha pecunia & militibus.

Iohannes Albertus renunciatur Poloniæ Rex.

Iohannes Episcopus Varadiensis ingreditur religionem.

Accidit etiam hoc anno memorabilis Metamorphosis: Iohannes enim Varadiensis Episcopus, demum etiam Olomucensis, qui ob studia Poëtices præcipuè,primum innotuit Mathiæ, cum appellaretur Ianus Pannonius, deinde ob ingenij dexteritatem ita carus fuit Regi, vt totum regem pene solus possidere existimaretur, ardua quæque negocia administraret, & aulam, superantem splendore potentes etiam Principes, aleret, repudiata sua persona, religionem Monachorum, quos Bernhardinos nominant,ingressus est Vratislauiæ, cœnobium sui ordinis laurauiæ extruxit, & hoc anno templum Bernhardinorum Glogouiæ, pro more Pontificio consecrauit.

Mense

Menſe Martio, anni ſequentis Iohannes Albertus, Poloniæ Rex, Dominus Ducatus Glogouienſis, venit Poſnaniam, vbi ſplendidè eum ſalutarunt legationes Turcicæ, Venetæ, Cæſaris, Principum Germaniæ & aliorum. Baiazetes ſublato Mathia deſierat metuere arma Chriſtiana. Moliebatur bellum in Pannoniam, & in Venetos. Appetebat autem amicitiam Polonorum, ne diſtineretur ad omnes partes. Veneti & reliqui Principes hortabantur Albertum ad bellum Turcicum. Rex, vt haberet ſpatium deliberandi, pactus eſt inducias triennales cum Baiazete.

Eadem æſtate præfectus Turcicus vaſtauit limites Pannoniæ, & Hungaros, qui iam tunc deſiderabant Mathiam, progreſſos ſibi obuiam, magna ſtrage profligauit. In Ducatu Glogouienſi hoc & ſequenti anno horribilis eſt edita tyrannis, & ciuitatibus ea inflicta vulnera, quæ poſteritas adhuc ſentit. Autor tantorum malorum fuit Iohannes Polacus, præfectus Regius, ſimilior Phalaridi aut Buſiridi, quàm iuſto gubernatori. Hiſtoria deſcripta eſt libro ſequenti.

Friderici Cæſaris Mors.

Fridericus Cæſar, cui paulò ante crus, ſphacelo affectum, reſectum erat, tranquilliſſimè moritur 19. Auguſti, anno ætatis 78. Imperauit annos 53. cum ſingulari laude bonitatis & humanitatis. Ingenio fuit ſagaciſſimus, ita vt etiam Itali de ipſo ſcripſerint, neminem poſſe inſpicere latebroſum pectus Cæſaris. Principes ſuos dilexit vt pater, amauit Eccleſias & ſtudia. In bellis non fuit valde fœlix, & debilitata potentia Imperij per artes Pontificias, deerant ipſi nerui ad res magnas gerendas.

Neapolitanum bellum motum à Carolo octauo Galliæ rege.

Annus 1494. celebris eſt propter bellum Neapolitanum, translatum in Italiam à Carolo gibboſo, Galliæ Rege, qui victis & pulſis duobus Regibus Arragonijs patre & filio, Alphonſo & Ferdinando, Neapolin in autumno cepit. Deinde propter editum recens exemplum iræ Dei aduerſus peccata hominum, præſertim libidines.

Gallici morbi origo.

Imperante Romæ Tyberio, Peruſinus quidam eques, ex Aegypto & Græcia in Italiam intulit Lichenas ſæuiores Græcorum. Quæ lues ita fœda contagione in nobilitatem Romanam graſſata eſt, in facie præſertim, vt Medici hæſitantes in ſanatione, etiam ad cauſtica deſcenderent, & multorum potentum hominum vultus vſtionibus turpiter deformarent. Oſculo plerunq; propagabatur: & annotatum reperio, quendam ex ſenatoribus Medico ſuo quinq; millia aureorum exoluiſſe, cum deinde Medici accerſiti ex Græcia leuiſſimis auxilijs cutaneum illud vlcus ſuperarent.

Lichenes & Elephantiaſis morbi tranſlati in Italiam.

Teſtis eſt etiam Plinius, Elephantiaſin, quæ communi appellatione lepra vocatur, antea Italiæ ignotam, cum triumpho Pompeij, quem

peij, quem duxit ex Syria & Iudæa, fuisse importatam in Italiam. Ratum est enim hoc: Propter peccata corripis filios hominum. Ita ea ætate, crescentibus libidinibus & sceleribus, nouo exemplo Deus iram suam aduersus peccata hominum ostendit.

Bello Neapolitano, cum Galli, adiuti auxilijs Germanorum, Italiam penè omnem essent perugati, & tandem Arragonios, qui genere armorum longe erant impares Gallis, Neapoli pepulissent, Hispani sagacitate & dolis Gallos oppugnarunt. Puteos quidem & panes inficiebant, & militibus Gallis, pronis in luxuriem, submiserunt scorta ex suis castris, infecta quadam turpi & noua scabie, quæ celeritate mirabili, per contagia, non solum illa castra, verum omnem propè Europam subito incendit.

Columbi Genuensis res gestæ.

Existimatum est anno superiori luem illam ex Indijs occidentalibus allatam esse, quas tunc repererat Columbus Genuensis, sumtibus Ferdinandi & Elizabethæ, cum Italus ille ingeniosus ex constanti flatu ventorum ratiocinatus esset, non ex mari, verum ex latissima aliqua regione halitus illos diuturnorum ventorum attolli. Dicebatur vero, populis illis luem hanc ita esse familiarem, sicut nobis est vulgaris illa scabies.

Fridericus Cardinalis moritur ex morbo Gallico.

Adeo autem malum serpebat, vt inueniam anno 1495. illud iam apparuisse Cracouiæ, & sequenti post in Silesia. Anno vero 1503. ex eodem morbo, desinente in tabem, consumtus est Fridericus Cardinalis Cracouiensis, Sigismundi Regis frater. Consensu multarum gentium est nominatus Gallicus, quod in castris illis primum esset conspectus: aliqui eum nominabant Pudendagram, quod partes verendas principio attingeret. Nostri Silesij multos annos eum appellarunt morbum nouum.

Gallici morbi appellationes.

Eruditiores Medici, præsertim Galli, vocarunt eum luem Veneream. Vir doctissimus Fracastorius Veronensis, edito Poëmate doctrinæ & leporis mirifici, nuncupauit eum Syphilida, quod ex amatorio complexu spargatur. Disputatum fuit inter Medicos, Astrologos & Philosophos de forma & causis huius morbi, vario & dissimili modo. Hoc tamen animaduersum est, venenata quadam qualitate imbui epar, quæ, nisi maturè restinguitur, sensim reliqua viscera inficit, nec aliter morbum, quàm per communicationem saniei & contagia propagatum: etsi dubium non est, accessisse analogiam quandam in humoribus humani corporis, & in aëre impressam à motu & lumine corporum superiorum.

Gallici morbi forma.

Verum est etiam hoc, morbum nostra ætate iam cœpisse mitescere, ita vt minus grauius affligat: vel quia famliaritatem cum nostro cœlo contraxit, aut quia etiam impressiones cœlestes mutatæ sunt. Illo seculo tanta fuit dolorum acerbitas, vt multi vltro sibi

mortem

mortem conſciſcerent. Medici quidem anxij ad varia decurrerunt auxilia, ſed fruſtra, donec primum ex imitatione Arabum, in vſum aſſumtæ ſunt inunctiones & ſuffimigia ex hydrargyro, quod tota antiquitas habuit pro veneno, & inde multis eximiæ opes accreuerunt. *Gallici morbi remedia.*

Tandem Conſaluus quidam Hiſpanus, ſanationem petiuit ex ipſis Indijs, vnde attulit ligni quoddam genus, huic orbi incognitum, quod ſanctum & Guaiacum appellatum eſt, cuius decocto in ſuperando hoc morbo ita fœliciter vſus eſt, vt hæredibus ſuis ſcribatur reliquiſſe vltra trecenta millia aureorum: & quidem hodie adhuc apparet, lignum illud, in corrigendis epatis vitijs & humoribus defecandis, miram vim poſſidere, ita vt nondum inuentum ſit in hoc morbo medicamentum ſalubrius. Sed iſta nos excutere prolixius, locus hic non patitur. *Conſaluus Hiſpanus fœliciter medetur morbo Gallico.* *Guaiaci ligni uires.*

Fuerunt eodem anno vnà fratres, Poloniæ Regis filij, & exiſtimati ſunt, poſt collocutionem longam de nouis quibuſdam conſilijs inueniendis, diſceſſiſſe non valde concordes. Aeſtate anni 1496. Viadrus & omnia flumina quaſi prodigioſè aquis intumuerunt, eamq; inundationem mox ſecuta eſt peſtilentia, omnium ſæuiſſima, quæ innumerabilem turbam hominum abſumſit, & tandem in Poloniam etiam ſerpſit, cum magna hominum ſtrage. *Viadri inundationem ſequitur peſtilentia.*

In Auſtria & Morauia fuerunt ſeditiones cruentæ, excitatæ à reliquijs legionis nigræ Mathiſianæ. Sed latrones illi maximo numero comprehenſi, & crudelibus ſupplicijs ſublati ſunt. Anno ſequenti fuit infœlix expeditio Polonorum in Valachiam. Erat in Iohanne Alberto Rege, ingenium promtum quidem ad res magnas gerendas, ſed deerant ipſi nerui & induſtria. Aſtute decreuerat ex regno ſuo excutere Stephanum Valachum, qui Polonis non erat fidus, in eamq; regionem collocare fratrem Sigiſmundum, vt ex illa quaſi arce facilius poſſet inuadere Turcos, quibus iam minabatur bellum. *Iohannes Albertus infœliciter inuadit Valachiã.*

Quamuis autem videbatur futurus eſſe impar ad longum bellum, propter licentiam ſuæ nobilitatis: tamen non omiſit conatum ſuum. Vulgo narratum & creditum eſt, Callimachum Florentinum, qui ſolus callebat omnem animum Regis, & ſuperiori anno deceſſerat, ſuaſiſſe ipſi, vt etiam aliqua clade indomitos ſpiritus contumacis ſuæ nobilitatis reprimeret: Progreſſus eſt cum exercitu 80000. in quo fuerunt curruum triginta millia: præ ſe ferebat, quaſi peteret Turcos, ſed Stephanus cito ſubodoratus eſt, ſibi ſtrui inſidias, & iuuabant ipſum Hungari, conniuente Vladislao, qui conſilium fratris non probauerat: attraxerat etiam milites Turcicos. *Callimachus Florentinus præceptor Iohannis Alberti.*

Polonicus exercitus primum ex inſidijs hinc inde laceſſitus graui eſt affectus detrimento, tandem etiam iuſto prælio flos Polo-

Stephanus Valachus profligat exercitum Polonorum.

nici equitatus cæsus, captus,& in fugam versus est. Nisi autem virtute Sigismundi fratris pacata fuissent castra, longe grauior accepta fuisset clades. Nec solum res tunc fœdè & infeliciter gesta est, verum etiam irritatus est Stephanus, vir impiger & indomitus,ita vt sequenti anno excurreret in vicinas regiones Poloniæ, & postquam terrorem ingentem toti regno incussisset, abduxit vltra centum millia hominum, vt magna pars Turciæ captiuis Polonorum impleretur.

Stephanus Valachus magna agmina Polonorum abduxit in seruitutem.

In Silesia nouum exemplum seueritatis in virum Principem statuerunt Episcopus & Casimirus Teschinensis. Erant duo Principes Opolienses fratres, Iohannes & Nicolaus, qui olim grauiter à Mathia fuerant mulctati, quod fauisse dicerentur Polonis contra Regem,tunc vero inter cæteros erant Nissæ, vbi conuentum ordinum Silesiæ coëgerat Prouinciæ præses Casimirus. Forte allatæ sunt literæ in Senatum Casimiro,easq; tradidit legendas Episcopo. Nicolaus Opoliensis,qui non solum erat amens,verum etiam præceps & turbulentus, subito suspicatur rursus agitari consilia,vt ipse comprehendatur. Stricto igitur pugione adoritur vtrumq; Principem Casimirum & Episcopum, eosque conatur confodere. Vulnerauit etiam vtrumque leniter, sed accurrentibus multis ex Principibus & nobilitate,in templum elabitur Opoliensis,inde ex mandato Episcopi retractus est, qui aiebat, non formidandas esse leges Ecclesiasticas, se enim facili negocio locum illum ex ceremonijs suis Pontificijs Ecclesiæ reconciliaturum.

Nicolaus Princeps Opoliensis Nissæ plectitur capite.

Adductus ad Principes & obiurgatus asperrimis verbis,ducitur in carcerem,& sequenti die, qui erat 27. lunij, sententia capitali per iudices vrbanos pronunciata, in area fori spectantibus Principibus capite truncatus est. Scriptum est, in morte ipsius Deum edidisse iræ suæ exemplum. Cum enim pro more illius ætatis caligis non vteretur, cadauer supino casu in tergum procidit, ipsoq; iam mortuo genitalia obriguisse, & erecta esse, conspecta sunt. Indulserat enim libidinibus & adulterijs promiscue, ita vt lectissimarum etiam fœminarum & virginum castitas non esset propter ipsum tuta, & malè dicitur tractasse matrem.

Nicolaus Opolienſis turpiter uixit.

Iudicatum est igitur tunc ab omnibus, eum propter scelera ista, tam tragico exitu esse punitum,eumq; huic regulæ & similibus annumerandum:

ἐδεὶς ἀνθρώπων ἀδίκων πίσιν σὸν ὄνησεν.

Multi putabant Regem indignè laturum,quod ipso inconsulto de capite Principis iudicassent Silesij, sed ipse, sicut fuit ingenio placidissimo, facilimè est placatus, & eodem anno Silesiæ donauit Priuilegium amplum,& immunitates omnis generis.

Vladislaus ornat Silesiam amplo Priuilegio.

Neq;

Neque hoc anno Silesia fuit immunis à pestilentia, & erant omnia itinera penè obsessa latrocinijs, ita vt ad pauca milliaria etiã nulli tutus pateret transitus. Ducebant turmas latrunculorum Sueuus quidam prædo nobilis, & alij, quos sequebantur multi ex decoctrice nobilitate, & passim spoliabant mercatores. Regis exigua erat autoritas, & is procul aberat. Ex proceribus multi cum latronibus colludebant, atque ita status huius regionis erat valde squallidus & miser.

Silesia est infesta latrocinijs.

Anno 98. fratres, Casimiri filij, inter se, abolita memoria omnium offensionum, fœdus percusserunt, & Vladislaus cedente Iohanne Alberto, ex pacto, ducatum Glogouiensem & Tropauiensem assignauit Sigismundo fratri, eumq; renunciauit Silesiæ præsidem. Sigismundus tamen vix post triennium Glogouiam commigrauit.

Ardebat hisce annis bellis sæuissimis Italia, quam primum turbauerat Carolus Octauus, qui amisso regno Neapolitano, Apoplexia extinctus est in Gallia, & ardebant bella ciuilia Principes & Respublicæ. Hoc autem anno Hieronymus Sauanorola vir celebris ob doctrinam & vitæ sanctitatem, crudeliter in foro Florentino exustus est. Fuit in eo aliquid lucis & robur animi tantum, vt publicè inciperet arguere tyrannidem & idola Pontificum. Habebat applausores multos ex nobilitate & plebe, ita vt maiestas Pontificia videretur periclitari, ibi astutè conflatæ sunt ipsi inimicitiæ & odia.

Hieronymus Sauanorola comburitur Florentiæ.

Videbat Sauanorola in republica Florentina dominatum Pontificium acerrime propugnari à Mediceis, qui tunc erant exules, ideo coniunxit se cum parte aduersa, quæ omni conatu Mediceos vrbe excludebat, & dicitur sanè, sicut omnium hominum magna est imbecillitas, in ea tractatione ambitiosius se causis politicis immiscuisse. Ideo ab adulatoribus Pontificijs factio Medicea in ipsum incensa est, quæ populum furentem seditione permouit, vt Sauanorolam captum, tanquam hæreticum crudeli supplicio tolleret: Pietatem eius in Deum, & ardens studium veritatis ostendunt scripta ipsius, quæ supersunt, ex quibus apparet, eum in illa caligine multa vidisse, & eluctatum fuisse ex cœno idolatriæ Pontificiæ.

Hieronymus Sauanorola temere se immiscuit negocijs Reipub.

Viri eruditi & pij illa etiam ætate dolebant, quod non abstineret à negocijs ciuilibus, ideo de eo scriptum est. Immemor errati Sauanorola tui. Exitus ostendit eum etiam oppressum fuisse illa vulgari & celebri tempestate, de qua dicitur: Obruit ingentes ista procella viros. Item: λαῷ μὴ πίσυε, πολύτροπος ἐστὶν ὅμιλος.

In Silesia decessit Henricus Monsterbergensis Princeps, clarus propter prudentiam & bonitatem: adeptus fuerat triennio ante

Henricus Mõsterbergensis fuit adeptus ducatum Olsnicensem & Volauiensem.

à Vladislao Rege, ducatum Olsnicensem & Volauiensem, qui mortuo Conrado Albo sine hæredibus, ex transactione ad Regem peruenerat: ipse autem in Bohemia cesserat Regi ditione Podiebracensi.

Heluetiorum bellum cum Maximiliano.

Anno 99. fuit bellum Helueticum, quod Maximilianus Cæsar, adiutus auxilijs imperij, gessit aduersus Heluetios, non satis quidem prospero cum successu, animosè & constanter tamen. Acceptis multis cladibus ab vtraq; parte, & interfectis ad 20000. fortissimorum hominum, facta est pax. Heluetij scribunt, tantam fuisse suorum hominum alacritatem, vt toto belli tempore, etsi ab omnibus partibus oppugnabantur, non passi sint hostem vltra spatium viginti quatuor horarum in sua ditione pedem figere.

Alexander Sextus Pontifex tuba ciuilium bellorũ.

In Italia tuba belli ciuilis erat Alexander Pontifex: is cum Rege Galliæ Ludouico, & Venetis iniit fœdus, ad deturbandum Sfortiam ex ducatu Mediolanensi, & Fridericum Arragonium ex regno Neapolitano, vt locupletaret filium suum, hominem sceleratum, Cæsarem Borgiam. Simul tamen orbem terrarum vocabat Romam ad emendas indulgentias anni Iubilæi: Ideo de eo tunc scriptum est:

Pollicitus cælum Romanus & astra Sacerdos,
Per scelus & cædes ad Styga pandit iter.

Illius fœderis iniqui, exitus fuit non bonus. Nam Sfortia desertus à Christianis regibus, questus est de ambitione & auaritia Venetorum apud Baiazetem Turcicum, qui euestigio statuit castigare Venetos, & crescentem eorum potentiam debilitare.

Baiazetes delet classem Venetorum.

Emissa igitur classe Venetos grauiter cecidit, dissipatis nauibus ipsorum, & simul Duce Scanderbassa præfecto Illyrici, immisit equitatum hominum duodecim millium, qui se per Istriam in Venetiam infuderunt, & ad ipsum vsque Taruisium Venetiarum propugnaculum omnia ferro & igni vastarunt: multos ex prima nobilitate Veneta, in villis suis rusticantes, oppresserunt: plures etiam ex Silesijs & Polonis, qui ad Iubilæum Romam proficiscebantur, in miserabilem seruitutem abduxerunt.

Consaluus regnum Neapolitanum redigit in potestatem Hispanorum.

Nec tamen Sfortia impunè tulit, quod Turcos attraxit. Nam ipse eodem autumno, proditus à suis Heluetijs, qui ipsi militabant, Regi Gallorum, in tetro carcere in Gallia contabuit. Ludouicus vero Galliæ Rex regnum Neapolitanum per fraudem occupatum, eadem arte amisit, excussus à Ferdinando Hispano, auo materno Imperatorum Caroli & Ferdinandi, opera Consalui magni, Ducis clarissimi. De Mediolano etiam dimicauit cruentis prælijs cum exitio Galliæ.

Alexander vero Pontifex anno quarto pòst, memorabili exitu fato suo functus est. Struebat regnum, per parricidia & rapinas

Cæsari

Cæsari Borgiæ, cuius apophtegma erat: Aut Cæsar aut nullus. Mense autem Augusto splendidam apparauit cœnam, ad quam vocauerat præcipuos & ditissimos ex Cardinalibus, quos destinauerat veneno tollere, vt exuuias ipsorum indueret filio. Paratæ erant lagenæ duæ, ex quibus alteri insperſus erat venenatus puluisculus, altera erat sincera seruata pro ipso Pontifice & filio: sed fatali errore pincernæ, facta commutatione, Pontifex & filius biberunt vinum intoxicatum, vnde senex ex rapidissimo æstu cordis statim post extinctus est, filius autem euasit quidem ex morbo, sed ad miseriam seruatus est. Nam custodiæ à successore traditus, & hinc inde ad ludibrium circumductus, in Hispania tandem iugulatus est.

Alexandri Pontificis memorabilis interitus.

Cæsaris Borgiæ exitus.

Filiæ Alexandri mortuæ scriptum est tale Epitaphium, quod commemoratione planè terribili mores Pontificis, qui sacrosanctus dicitur, describit:

Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Lucretiæ filiæ Alexandri Pontificis horribile Epitaphium.

Veneti anno proximo post amiserunt Pylum, Coronen & Methonem vrbem splendidissimam, præterea Naupactum, Dyrrachium, cum Baiazetes eduxisset exercitum centum quinquaginta millium fortissimorum hominum. Capta est Methone anno 1500. 10. Augusti. Trucidata est ingens multitudo ciuium & militum, Episcopo caput cum mitra præcisum. Nec multo post, cum irritarent Maximilianum etiam Cæsarem, illata sunt ipsis arma à Germanis, & ipsi in extremum, non modo imperij, sed etiam salutis sunt adducti discrimen.

Methone capta à Baiazete.

Talis tela calamitatum tragicarum secuta est iniusta consilia, quorum breuis omnino fuit mētio facienda, ne res clarissimæ apud nostros maiores, ex memoria nepotum deleantur. Eodem anno Iubilæo Tartari grauiter depopulati sunt Poloniam, quam incursionem & bella Turcica denunciauerat Cometa. Iohannes etiam Moschus inuasit Lithuaniam, iratus genero suo Alexandro, eamq; fœde vastauit.

Cometa arsit.

Moschi uastāt Lithuaniam.

Alexander, diffidens viribus suis, collegit ex Silesia & vicinis locis copias mercenarias, quas ductauit Iohannes Polacus, qui iam, succedente Sigismundo, non potuit amplius tyrannidem in ducatu Glogouiensi exercere. Sed qualis fuit Capitaneus talis etiam fuit fortuna expeditionis. Nam cum hostis iam esset reuersus domum, ipsi grassati sunt in amicos & Lithuaniam grauius quàm Moschi afflixerunt.

Anno primo mortuus est Iohannes Albertus Poloniæ Rex, qui meditabatur bellum in Fridericum Misnensem, Prussiæ magistrum, quòd ipse, sic iussus à Maximiliano Cæsare, nollet iurare in verba Regis Poloniæ. Multi ex proceribus Polonis vocabant

Iohannes Albertus Poloniæ rex moritur.

Vladislaus cedit fratri Alexandro de Regno.

ad regnum Vladislaum, illicq; iam erat significatum. Ipse igitur Vladislaus, missis nuncijs, plerisq; Principibus Christianis nunciabat, Deum etiam thronum paternum ad cætera regna sibi donasse.

Alexander Rex Poloniæ.

Sed Poloni, mutata voluntate, accersiuerunt Alexandrum fratrem ex Lithuania: ibi tanta fuit modestia Vladislai, vt in fratrem & Polonos non modo nihil moliretur, sed etiam ipsis gratularetur, nuncios tamen suos, quos potuit, ex via reuocauit, ne à Regibus rideri posset.

In Silesia pugnarunt inter se odijs & contumelijs acerbissimis, Episcopus & sui sacerdotes. Episcopo, qui irritatus iniuria collegiorum, cooptabat sibi, vt nominant, coadiutorem, fauebant Principes & ciuitates initio. Sed Sacerdotes nacti idoneum vexilliferum Opicium, qui olim Glogouiam euerterat, omnia consilia ordinum impedierunt. Conuitijs maximè scurrilibus Episcopum & Principes deformabant, eosq; Romæ, vbi omnia sunt venalia, pecunia oppugnabant.

Vladislaus animi anceps modo huc modo illuc se conuertebat. Interea vero collegijs sacerdotum apud populum maculæ illæ aspersæ sunt, quas deinde nullum flumen verborum, aut potentiæ potuit eluere.

Sigismundus migrat Glogouiam.

Anno secundo Sigismundus frater Regis ex pacto Glogouiam ingressus est, & postquam Silesiæ præfectus est, magno studio eam à latrocinijs repurgauit, cum sine discrimine cõditionis noxios capitalibus supplicijs afficeret. Fuit eius gubernatio salutaris huic ducatui, quem ex ærumnis multorum annorum erexit & recreauit. Dilexit inprimis Glogouiam, eamq; etiam tunc cum regnaret solitus est appellare suam vrbem, sed fata sua eum nimis cito his regionibus eripuerunt.

Vladislaus repudiata Beatrice ducit Annam Gallicam.

Eodem anno Vladislaus Rex duxit in matrimonium Annam, virginem Gallicam ex Vasconibus regiæ stirpis: Quia videbat, regem Ludouicum non habere prolem masculam, ideo aliquid potuit sperare de successione, quamuis hoc frustra fuit. Absoluerat autem eum prius Celæno Romana Alexander à iuramento, quod præstiterat Beatrici viduæ Mathiæ Regis, quam pecunia tandem placauit.

Nox Natalis Domini celebris propter glaciem.

Autumno illius anni Rasciam, quæ Turcis parebat, per Iohannem Coruinum latè & impunè vastauit, quia Baiazetes distinebatur bello Persico, vbi tamen etiam fuit infœlix. Nox Natalis dominici, incipientis annum 1503. fuit memorabilis propter glaciem multam & glabram, in qua homines multi lapsi sunt, & detrimenta valetudinis passi cruribus & brachijs fractis.

Episcopo datus est collega post multam altercationem Iohannes Turso, qui ea nocte domi suæ Vratislauiæ oppressus fuisset à sicarijs, quorum dux erat Adamus Sueuus, celebris latro, nisi tempe-

states

ſtates iniquæ, & glacies eos impediſſent. Litigauit etiam collegium cum vrbe Vratislauienſe, eamq; fulmine anathematis percuſſit, ſed nullo cum ſucceſſu. Nam vrbs non modo fatua illa fulmina riſit, verum etiam ſacerdotes venerunt in odium grauius apud omnes paſſim, & multi ex latrunculis denunciato bello grandem ab illis extorſerunt pecuniam.

Annæ filiæ Vladislai natalis.

Eodem anno 23. Iulij hora ante meridiem ſeptima, nata eſt Vladislao Regi filia, quam pater principio propter memoriam matris appellauit Elizabetham, ſed tamen eandem poſtea propter deſiderium amiſſæ coniugis, Annam vocari voluit. Nupta ea fuit diuo noſtro Cæſari Ferdinando, cui peperit liberos quindecim, filios quatuor, natas vero vndecim, & quidem primo partu inuictiſſimum Romanorum Imperatorem, Maximilianum Secundum. Ipſa domina laudata ab omnibus propter pietatem, & ſuauiſſimos mores, tanquam altera Eſther, anno ætatis 44. in cœleſtem vitam migrauit.

Annæ reginæ uirtutes.

Fridericus Miſnenſis cedit ex Pruſsia.

Anno 1504. Fridericus Miſnenſis Pruſſia exceſſit, venit in Germaniam, & Rodelizij mortuus eſt, pulſus ab Alexandro Rege. Mortuus eſt etiam Stephanus Valachus bellator dignus æterna memoria, qui ingenti robore animi & fortuna ſecunda ſuſtinuit impetus Turcorum, Tartarorum, Hungarorum & Polonorum, quos omnes magnis prælijs vicit.

Stephanus Valachus moritur.

Bauaricum bellum.

Fuit etiam hoc anno bellum Bauaricum, quod tamen cito finitum eſt, cum Philippus Palatinus victus ad Ratisponam vnà cum filio, à miti Cæſare Maximiliano facile veniam impetraret. In Germania cœperunt reuireſcere ſtudia literarum, & iam erant in manibus adoleſcentiæ ſcripta Eraſmi. Senatus igitur Vratislauienſis optimo conſilio, ſuadente inprimis Haunoldo capitaneo vrbis, viro ſapiente & magnanimo, decreuit in ſua vrbe erigere Academiam, vt in Sileſia etiam eſſet domicilium artium, vbi noſtri homines rectè poſſent erudiri.

Vratislauienſis Academia impeditur.

Magnis ſumtibus igitur anno 1505. impetrarunt in aula Regia conſenſum Regis, qui ideo libentius aſſentiebatur, quod in Regnis ſuis, etſi ampliſſimis, nullam haberet ſcholam publicam, niſi Pragenſem, cuius tamen vix exigua reſtabant ἐρείπια. Iuſſit autem attribui docentibus ſtipendia ex reditibus Eccleſiæ S. Crucis in collegio. Sed ecce, dum omnes benè ſperant, quidam ſacerdotes virtuti & doctrinæ iniqui, & qui ægre ferebant luce doctrinæ ſuam inſcitiam & barbariem prodi, per Academiam Cracouienſem, quæ ipſa etiam regno ſuo barbarico metuebat, apud Pontificem Iulium, totum negocium pecunia impedierunt, atq; opes illas, quas religioſa antiquitas ad alendas Eccleſias & ſcholas contribuit, ocio & luxui, ſicut aſſueuerant, prodegerunt.

Frãcofurtensis & Vitebergensis Academiarum initia.

Eo ipso tamen tempore Marchio Brandeburgensis Francofurtensem Academiam constituit & locupletauit, cum initium Vitebergensis, quæ nostra ætate verè fuit oculus Germaniæ, incidisset in annum 1502.

Sub exitum anni cœpit glisscere odium inter Maximilianum Cæsarem & Vladislaum, quod penè in apertum bellum erupisset. Nata erat Vladislao Anna, eam, vt conditiones de successione facilius implerentur, Maximilianus petebat desponderi alteri ex nepotibus suis. Sed iam tunc obstabat illis autoritas Stephani Palatini Transsyluani, quem euexerat Mathias. Is ex coniuge sua filia Ducis Teschinensis, muliere sagaciſſima & ditiſſima, susceperat Iohannem filium, pro quo appetebat sponsalia filiæ Regiæ, & ita oppressus erat Rex factionibus procerum, vt se explicare non posset.

Maximilianus parat bellum in Vladislaũ.

Sub initium igitur anni 1506. Maximilianus, vt discuteret conspirationem Hungarorum, ipsumq; etiam Regem, qui alioqui animo & armis parum valebat, terreret, armatus Posonium accessit. Ibi Cæsari significatum est, reginam gestare vterum, dictumq;, recte ipsum facturum, si partum ipsius expectaret. Assensus est Maximilianus, & pactus est cum Vladislao inducias, tandem etiam, cum Calendis Iulij editus esset in lucem filiolus, pacem cum illo constituit.

Ludouici Regis natalis.

Ludouico Regi omnia euenerunt præter naturam.

Puero in baptismo datum est nomen Gallicum Ludouici, cuius deinde fortuna fuit miserabilis. Intempestiuo eum partu effuderat mater, cute nondum carni obuestita, quæ demum inunctionibus medicis producta est. Coronatus est, cum vix esset biennis, destinata est ipsi coniunx, cum esset annorum nouem. Peruenit in regnum anno ætatis decimo, extinctus est etiam immatura morte, cum vix vicesimum annum ætatis expleuisset. Sed de his posterius. 26. vero die eiusdem mensis in puerperio extincta est Anna Regina, Vladislai coniunx, quæ ingens desiderium suo marito Regi reliquit: prædita enim fuit moribus dulcissimis & pudicissimis.

Anna coniunx Vladislai in puerperio extingu tur.

Iohannis Roti Epitaphium.

In Silesia mortuus est Episcopus Iohannes, carus toti regioni, inuisus solis suis sacerdotibus, tumulo ipsius inscriptum est hoc carmen:

Quartus Iohannes iacet hic, vis cætera dicam?
Non alium vellet Silesia Pontificem.

Iohannes Haunoldus præfectus Vratislauiensis senator sapiens.

Mortuus est etiam Iohannes Haunoldus præfectus vrbis Vratislauiensis, vir præstans consilio & dignitate, optime meritus de sua patria, & tota Silesia, ita vt vere fuerit patriæ pater. Lithuaniam effusè populati sunt Tartari, eos penè vniuersos concidit Michaël Glinscius, capitaneus regni, qui gratia & potentia in Lithuania omnes anteibat.

Michaël Glinscius uincit Tartaros.

Regi

Regi Alexandro nunciatum est de victoria, cum iam animam ageret, pro qua sublatis manibus, amissa voce Deo gratias egit, & 19. Augusti expirauit. Huic successit Sigismundus frater, subito Glogouia vocatus, primum in ducatu Lithuanico, deinde assentiente Vladislao, in regno Poloniæ quoque 24. Ianuarij anni 1507. Cracouiæ coronatus est Sigismundus.

Alexander Rex Poloniæ moritur.

Sigismundus Glogouia uocatur ad regnũ Poloniæ.

In ipsius gubernationis initia duæ res memorabiles inciderunt. Erexit in finibus Poloniæ versus Silesiam vectigal nouum & grande: Alienauit etiam à se Michaëlem Glinscium, Principem Ruthenicum. Is militauerat in adolescentia, apud Albertum Saxoniæ Ducem in Phrisia, imbutus disciplina & arte Germanica redierat in patriam, vbi ob egregiam peritiam rei militaris, regibus innotuit, & rebus aliquot præclarè gestis, summum gratiæ locum apud Alexandrum Regem obtinuit, ita vt solus omnia posset.

Sigismundus erexit grandia uectigalia.

Michaëlis Glinscij historia.

Sed potentiam comitata est inuidia, & forte ipse superbia & fiducia suæ potentiæ peccabat: Criminati sunt eum apud Regem proceres, quod affectaret dominatum Lithuaniæ eiecto Rege: illos rumores apud Alexandrum Michaël non modo gratia sua, sed etiam virtute facile extinxit. Nam Tartaros & alios hostes Regis, sæpe fœliciſſime fudit, & Lithuaniam tutatus est.

Mortuo vero Alexandro, eædem suspiciones instillatæ sunt Sigismundo. Michaël, vt se purgaret Principi, ad longum iter armatus obuiam profectus est, illi inermi fidem præstitit, & ne delatoribus crederet demisse orauit. Verum Rex paulò pòst indulgens suspicionibus, & accensus ab inimicis Michaëlis, animum ab ipso abalienauit, & subornati sunt illi clam aduersarij potentes, qui palam ipsum proditionis insimularent. Michaël aliquoties summis precibus contendit, vt Rex de causa publicè vellet cognoscere, nec pati, vt fama sua in dubium reuocaretur, & cùm Regem videret abalienatum, confugit ad Vladislaum, qui honorifica legatione missa fratrem rogabat, ne Michaëlem tantum virum causa nondum cognita opprimi pateretur.

Frustra fuerunt preces illæ, ideo Michaël coram dixisse fertur: Rex, administretur mihi iusticia peto, aut committetur facinus, quod tibi & mihi erit luctuosum. Non est auditus, ibi ipse indulgens iræ, aduersarium suum, virum Principem, domi in lecto cubantem iugulauit, & rebus suis compositis ad Moschum transfugit, magno tractu ducatus Lithuaniæ simul in potestatem Moschorum traducto.

Sigismundus serò accusans suum consilium, tunc quidem Moschos repressit, sed postea idem Michaël arcem & Ducatum insignem Smolencensem, qui vltra centum annos fuerat in potestate Lithuanorum, Sigismundo eripuit, & Moscho reddidit, in cuius potestate adhuc hodie est, vnde quidem ante biennium impetum in vicinam ditionem magnam & diuitem fecit, eamqũe vna cum

Smolencensis ducatus traditur Moscho.

Polocensis ditio occupatur à Moscho.

cum arce Polocensi occupauit: neque adhuc grassationum ipsius finis est.

Restinguat propitius Deus ignem, qui in pariete proximo Silesiæ ardet, & iuuet nobilissimam gentem Polonicam, vt fœlicius prælietur aduersus immanes Moschos, quàm Hungaria contra Turcos. Dederat fidem Moschus, se attributurum ditionem illam Michaëli, sed fefellit eum: Michaël vir animi sui impotens, rursus irritatus, post aliquot annos, annitente Vladislao, Sigismundo reconciliatus est.

Iohannes Rechenbergius eques Freistadiensis floret in aula Sigismundi.

In ea tractatione professus est Michaël, nulli ex regijs se habiturum fidem, nisi duobus equitibus Germanis in aula Regia, Iohanni Pisbeccio & Iohanni Rechenbergio equiti Freistadiensi Silesio, qui florebat gratia apud Regem, & iam apud fratres nomen & locum celebrem adeptus erat. Sed ea consilia ab ipsis proceribus Polonis, qui oderant Michaëlem, prodita sunt, atq; Michaël ex fuga retractus vinctus & in tetrum carcerem coniectus est, ex quo quidem deinde exemtus est, & tamen rursus in eundem à vidua Moschi, cognata sua inclusus, in squallore & sordibus vitam suam finiuit.

Hic fuit exitus viri strenui quidem, sed ambitiosi & iracundi, fermè talis, qualis fuit Coriolani apud Romanos. Celebre fuit eius nomen in Silesia, & à nostris hominibus appellatus est Pan Michaël. In Silesia post abitum Sigismundi Regis, & cum Fridericus Lignicensis, iuuenis optimæ iam tunc indolis, abesset in peregrinatione Hierosolymitana, præses Prouinciæ constitutus est Iohannes Turso Episcopus, cui anno 1509. successit in eo officio Casimirus Teschinensis.

Ludouicus Pragæ coronatur.

Eodem anno Sigismundus fœliciter belligeratus est cum Valachis, & tandem, persuadente Vladislao fratre, pacem illis concessit. Ludouicus filius Vladislai, nondum triennis, Pragæ vndecimo Martij coronatus est in regem Bohemiæ, quia pater in ista ætate & valetudine sua imbecilli, cupiebat filio prospicere maturè: 20. Maij post cruenta fuit concitata seditio Pragæ.

Pragensis seditio in Vladislaum & Ludouicum.

Incidit lis inter multitudinem vrbanam & aulicos Regis Hungaros, qui aliquid proterue dixerant in religionem Hussiticam: Populus commotus in ædes Regiorum impetum fecit, & multis trucidatis, præcipui proceres vix in arcem Regis se recipere potuerunt. In isto tumultu senex quidam Bohemus vidit Vladislaum Regem, cui astabat Episcopus Iaurinensis Hungarus, de fenestra prospicere, in eum grandem sclopetum dirigit: Deo tamen ita gubernante, globus medius inter Regem & Episcopum, in proximum parietem delatus est, & tantum calcem ex fenestra excussit. Rex attonitus, agnoscens præsentiam Dei, agit Deo gratias pro defensione.

Vladislaus Pragæ fuit in periculo uitæ.

Sedato

Sedato motu Bohemus ille, qui vitæ Regis insidiatus erat, corio detracto necatus est, & reliqui autores seditionis tetris sunt affecti supplicijs. Nec Silesia quidem fuit quieta. Discedente Sigismundo, rursus creuerunt latrocinia. Vratislauienses anno superiori impetrarant à Rege equites Pannonios 120. quos alebant suis stipendijs, vt comprehenderent latrones grassantes in vijs, nec tamen multum profecerunt. Nunc vero experti sunt hostem Fridericum Lignicensem, recens ex Palæstina reuersum, quod eum impedijsse dicerentur, quo minus Silesiæ cum Imperio præficeretur.

Fridericus Lignicensis inducit bellum Vratislauiensibus.

Mense Maio mediocris conflictus fuit inter equites Vratislauienses, & Principis: vbi ab vtraq; parte multi sunt desiderati. Audiui à viris senibus, eo tumultu Principem offendisse Regem, sibiq; plurimum nocuisse. Nam cum fermè decretum esset, vt soror Regum ex Polonia ipsi nuberet, & dotis loco acciperet Ducatus, Glogouiensem & Tropauiensem, hanc vnicam causam totum negocium tunc perturbasse. 14. Maij memorabili strage exercitus Venetus à Ludouico Gallorum Rege victus est, in ducatu Mediolanensi ad flumen Abduam.

Veneti uincũntur ad Abduam flumen.

Post eam pugnam infœlicem, Veneti amissis vrbibus, quas habuerunt in Italia hinc inde amplissimas, in paludes suas inclusi sunt, & Cæsar Maximilianus Veronam, Vicentiam, Brixiam Patauium & vicina oppida ad se transtulit. In ea conspiratione, Regum Christianorum contra Venetos solus Baiazetes fidem illis seruauit, & pacem, quam sub nomine tributi illis concesserat, non violauit.

Veneti amittunt plurimas urbes.

Anno 10. Posnaniæ in conuentu regni Poloniæ, Maximilianus & Imperium à Polonis postularunt per Legatos, vt Prussiam antiquis dominis restituerent, nec Magistrum ab Imperio abstraherent. Sed re infecta fuit discessum. Fuit etiam ibi legatus Pontificius, qui hortabatur Polonos ad bellum Turcicum, & obtulit toti regno nundinas Iubilæi, vt corraderet pecuniam, quam insumeret in structuram templi D. Petri Romæ, quod diruebat, & ex fundamentis nouum ædificare instituerat.

Inuenio tunc inter præcipuos proceres frequentem fuisse sermonem, stulte facturos Polonos, si regnum suum pecunia nudarent, qua possent extrui munitiones ad arcendos barbaros, & interea præberent occasionem, vt templa Romæ diruerentur, quæ denceps fortassis nunquam ædificarentur qua in re non falsi fuerunt vates.

Poloni nolunt conferre pecuniã ad structuram templi D. Petri Romæ.

In Italia res Venetorum aliquo modo restitutæ sunt. Recepit Patauium, segniter eam vrbem Cæsarianis tuentibus, Andreas Grittus: & quamuis Cæsar valido contracto exercitu fortiter eam obsedit

Veneti recipiunt multas urbes.

obsedit & oppugnauit, capi tamen non potuit: tandem cum Iulius Pontifex ex suis compendijs fœdus turbaret, noua bella secuta sunt, quæ Italiam penè euerterunt.

Vladislaus cũ liberis ingreditur Vratislauiam.

Vladislaus Rex, ducens secum liberos Ludouicum & Annam, venit Vratislauiam anno 1511. 29. Ianuarij. Prima & maximè ardua disceptatio fuit de iuramento præstando regibus: nec conuenire potuerunt inter sese Principes Bohemi, & Hungari, quibus spiritus erant præter omnem modum superbi: Proponebant Bohemi, inde ab antiquis vsque temporibus Silesiam fuisse Prouinciam regni Bohemiæ. Regi igitur eo nomine fidem dari oportere à Silesijs.

Hungarorum & Bohemorũ disceptatio Vratislauiæ.

Hungari contra allegabant pacta inita inter Mathiam & Vladislaum Olomucij, quibus cautum erat, vt mortuo Mathia sine liberis, Bohemia Hungariæ certam pecuniæ summam lueret, atq; ita demum Silesiam reciperet. Ab hac sententia cum dimoueri non possent, totum negocium in aliud tempus reiectum est, & Reges quasi contemtim habiti sunt. Imo eo ipso tempore vicina loca Silesiæ impunè vexabant latrunculi, cum viderent regem beneficum, sedatum & oppressum fastu suæ nobilitatis nihil posse.

Verum hæc pernicioſa consilia postea grauis Nemesis secuta est: cum, vt nunc præ oculis est, Deus regnum superbum & inobediens suo magistratui, vt in Propheta dicitur, anathemate percusserit. Vrbs Vratislauiensis cara Regi impetrauit ius Emporij à Rege 12. Februarij, cuius consilij hæ fuerunt rationes.

Vratislauia impetrat ius Emporij à Vladislao.

Creuerat ciuitas ex mercimonijs Polonicis, cùm illo rudiori seculo Poloni, Vratislauiam modò cum mercibus commearent, nec vlteriora loca Germaniæ nossent: Tunc vero relicta ea vrbe, quæ regnum ipsorum penè excoluit, passim noua quærebant Emporia, & simul intra ipsum regnum vectigalibus recentibus res Vratislauiensium efficiebant deteriores.

Huic incommodo vt irent obuiam, iura Emporij generalis ciuitati apud Regem obtinuerunt, quæ talia sunt: Vratislauia sit limes Poloniæ & Germaniæ, & neutra gens eam vrbem cum mercibus prætereat, sed ibi eas deponant, & inter se transigant. Vt etiam Polonis intercluderentur itinera, Marchio Elector Ioachimus Francofordi ad Viadrum idem sanxit.

Vratislauiæ nocuit Emporium usurpatum.

Fuit hoc, vere istius anni in nundinis vrbium Germanicarum & Polonicarum denunciatum. Consilia ista ab initio fortassis non malè cogitata, pessime ceciderunt. Initium turbationis ortum est ab ipsis Bohemis, qui odio Vratislauiensium, Polonis in Germaniam concesserunt transitum, contra mandata Regia.

Deinde Sigismundus Poloniæ Rex, qui longè fratrem vigilantia & dexteritate superabat, regno sua commercia cum Vratislauiensi-

lauiensibus interdixit, ita vt nec Poloni Vratislauiam proficiscerentur, nec Germani in Poloniam admitterentur. Inde Vratislauiæ magna fuit solitudo, & tota Silesia grauia detrimenta passa est: multæ etiam ex vrbibus Silesijs, Vratislauiensibus eo nomine graiter succensebant.

Etsi autem fuit res plena incommodorum, tamen Vratislauienses, in quartum annum vsque ius suum defenderunt, donec ignauia Vladislai succubuerunt. Reges rebus omnibus infectis 15. Martij Vratislauia profecti sunt.

Vrbs Lubeca ea æstate egregium facinus edidit in mari Balthico, captis multis nauibus, inter quas præcipuæ vehebant æs Cyprium ad Regem Danicum, hostem Lubecæ, quod eo mittebant Fuggeri Augustani, qui post longam disputationem, preces & minas Cæsaris & Principum, aliquid receperunt opera Pontificis, qui Lubecam terrebat fulmine anathematis. *Lubecensis Respub. capit multas naues.*

Celebris apud nostros maiores fuit annus 1512. propter memoriam prælij Rauennatis, quod nos etiam non præterire omnino in historia debemus. Veneti, cum oppugnarentur à Cæsare, Gallo, Hispano & Pontifice, astutè placarunt Iulium, facti ipsi supplices, qui formidans crescentem potentiam Gallorum in Italia, pacem cum Venetis fecit, eosq; vetuit oppugnari.

Galliæ Rex Ludouicus detestatus perfidiam & auaritiam Julij, non paruit, ideo telum suæ excommunicationis in totum regnum vibrauit Iulius. Gallus, vt vicissim eum vreret, tetigit vlcus minimè tangibile. Perfecit enim, vt quidam Cardinales anno superiori conuocarent Synodum primum Pisas, deinde Mediolanum. *Concilium Pisanum & Mediolanense cõtra Iulium.*

Fuerunt in eo cœtu quidam viri pij & docti, qui detestabantur scelera Julij, & petebant emendationem Ecclesiarum: illi, vt retinerent Cæsarem iam nutantem, promiserunt ipsi Pontificatum deturbato Iulio.

Maximilianus oderat quidem scelera Julij, & dicitur aliquando suspexisse in cœlum, & dixisse; Aeterne Deus, nisi tu vigilares, quàm male regeretur mundus per me imbecillum venatorem, & per illum ebrium atque sceleratum sacerdotem Iulium: tamen, quia nolebat euerti autoritatem Pontificiam, & metuebat potentiam Gallorum, ab amicitia Julij sese non auertit: sed pactus est inducias cum Venetis, & suos homines iussit adesse Pontifici.

Denunciarunt simul bellum Gallo pro tuendo Pontifice Ferdinandus Hispanus, & Henricus Britannus, vir ingenio vario & ambitioso.

Ludouicus ni hi territus tanta mole belli, repressit domi Britannum: in Italiam vero misit Gastonem Fosseium, nepotem ex sorore, cognatum reginæ Hungariæ olim Annæ. Is iuuenis, spiri- *Gasto Fosseius Imperator Ludouici Galliæ regis.*

tus indomiti & inuicti, sub initium anni incredibili celeritate & fortuna magnam partem Italiæ percurrit, vbique victor, tandem ad Rauennam eum consecuti sunt Pontificij duces, instructi à fœderatis Principibus, præsertim ab Hispano, qui egregiam manum Hispanorum veteranorum duce Nauarro ipsis miserat.

Rauennale prælium.

Conflixerunt ipso die Christiani Paschatis, 11. Aprilis, prælio ita cruento, vt ætas patrum nostrorum & nostra, in Europa non viderit simile, cuius cladis causa fuerunt tormenta bellica, quorum impetus planè diabolicus, tunc ferme primum enituit. Hispani duce Nauarro contemnebant Germanos, qui militabant in castris Gallorum, & adeo certam sibi spondebant victoriam, vt hostes, nullo negocio exhibito, paterentur transire amnem, qui castra dirimebat, deinde vbi vim & copiam hostilium tormentorum vident, iubente Nauarro, corpora in terram sternunt, vt pilas machinarum euitarent, atque explosis demum tormentis hostes iam defatigatos conciderent. Sed interea ita horribilis fuit fragor & tonitru tormentorum ab vtraq; parte, vt cœlum terráque misceri viderentur, & capita abrepta à truncis maximo agmine in campis volitarent, & inuicem præ densitate colliderentur. Galli salubri consilio circumduxerant machinas ad latus hostilis equitatus, eumq; dissiparunt, pleriscq; ex præfectis discerptis aut captis.

Machinarum bellicarum ingens uiolentia.

Sero tandem consurgit Nauarrus repressurus Germanos, sed superante equitatu Gallico iam victore, capitur, & primæ acies Hispanorum disiectæ, in fugam conuertuntur. Verum Gasto, qui intemperantius persequebatur fugientes, auulsus à suis equitibus & cinctus, ab Hispanis iam plane victor trucidatus est, cuius cæde nunciata apud Gallos, omnes captiui penè ex Pontificijs miserabiliter iugulati sunt, & nullum genus crudelitatis prætermissum.

Nauarrus capitur à Gallis.

Gasto interficitur uictor.

Ceciderunt ab vtraq; parte, clade fermè æquata, viginti millia hominum, & flos militaris fermè ex omnibus gentibus tunc extinctus est, victoria autem mansit penes Gallos, qua tamen, amisso duce, non sunt vsi. Nam Heluetij adiuti à Cæsarianis, exercitum victorem quidem, sed imbecillem Italia expulerunt.

Heluetij Gallos pellunt ex Italia.

Eodem anno & die, Constantinopoli seditione militari acclamatus est Imperator Selimus, Solymani pater. Conatus fuerat anno superiori fraude & vi patrem suum senem & ægrotum regno excutere, sed fuerat victus magna clade in Thracia apud ignobilem vicum, vbi postea ipse Selimus animam exhalauit. Hoc autem anno, astutia & proditione procerum reuocatus à Patre, rapuit imperium. Pater senex, deserens vrbem inter gemitus & imprecationes in filium, sequenti die post in itinere à medico Iudæo, iubente Selimo, veneno, quod pharmaco miscuerat, necatus est.

Selimus Turcus per parricidium inuadit regnum.

Baiazetes necatur ueneno.

Selimus

Selimus, vt regnum sibi stabiliret, interfecit duos fratres, & septem nepotes ex fratribus, ita vt ex stirpe Othomanica ipse solus supereſſet. Hoc nimirum est, quod in Plutarcho dicitur: Sicut Geometræ in sua arte quædam proponunt postulata, quæ petunt sibi tanquam nota concedi, vt auditorem facilius possint docere: ita commune postulatum regum esse, interficere fratres propter regna. *Selimi parricidia horribilia.*

Iugulauit etiam Mustapham Bassam, qui prodito patre, Selimum ad regnum euexerat. Inter tanta bella ciuilia Turcorum, præclara fuisset occasio rei optime gerendæ contra Turcos, sed Polonus tunc agitabat nuptias, & metuebat Moschos: Vladislaus amabat suum ocium, ideo vltro pacti sunt inducias cum Turco.

Sigismundus Rex hoc anno duxit Barbaram, filiam Stephani Transsyluani iam mortui, sororem Iohannis Veidani, Cæsare inuitissimo, vnde etiam graues iræ inter ipsos ortæ sunt. Desponebat enim Cæsar Annam filiam regiam, aut sibi aut nepotibus suis, & simul regnum Hungariæ, si Ludouicus sine hærede moreretur. *Sigismundus ducit Barbaram Transsyluanam.*

Nuptijs Polonicis Cracouiæ interfuerunt, Georgius Bregensis, & Bartholemæus Monsterbergensis Principes Silesij. In ludis equestribus præcipuum præmium datum est Iohanni Rechenbergio equiti Freistadiensi, viro strenuo, & rei militaris peritissimo, qui tunc viuebat in aula Sigismundi. *Iohannes Rechenbergius victor in ludis equestribus.*

Iohannes Veidanus etiam per matrem consilia de nuptijs Regiæ filiæ agitabat, illicq; iam fauere videbatur Sigismundus: Propter causam etiam Prutenicam, vbi iniustè agere videbantur Poloni, Cæsar Sigismundo erat iniquus. Ideo sæpè misit ad Moschum, eius amicitiam expetiuit, & ipsi auxilia in Sigismundum promisit. Mirabili etiam fato, eodem mense Aprili, 23. die, Poloni graui pugna deuicerunt Tartaros, magna multitudo cæsa est, & capti sunt 16000. *Maximilianus expetit amicitiam Moschi.* *Poloni sternũt Tartaros.*

In Silesia Bartholemæus Monsterbergensis, vir eloquens quidem, sed præceps & iniustus, indixit bellum Vratislauiensibus, & prædia aliquot mense Octobri exussit. Graue autem detrimentum accepit ad Cantium oppidum, amissis militibus, & duobus signis militaribus: Fridericus Lignicensis coniunxit se cum vrbibus Silesiæ, & audacissimum latronem, qui nominabatur Christophorus niger, Lignicij laqueo necauit. *Bartholomæus Monsterbergensis profligatur à Vratislauiensibus.*

Anno 1513. mirabiles tumultus in omnibus fermè regnis Europæ fuerunt. Mense Iulio octo millia Heluetiorum, qui defendebant Sfortiam Ducem Mediolanensem contra Gallum & Venetos, qui tunc erant socij, adorti sunt exercitum Gallicum numerosissimum, & omnibus rebus instructissimum, eumq; fœdissimè cum admiratione totius Europæ, profligarunt, interfectis octo millibus hominum & clarissimis Ducibus in fugam coniectis. *Heluetij funduntmaximum exercitum Gallorum.*

Maximilianus Cæsar & Henricus Angliæ rex superant prælio Ludouicum Galliæ regem.

Mense Septembri in ora Galliæ Occidentali ad Oceanum Cæsar & Henricus Britannus vicerunt Ludouicum Gallum prælio. Decimo etiam Septembris Iacobus Scotiæ Rex, qui contra fœdus & iuramentum, in gratiam regis Galliæ, inferebat bellum Anglis, à Ducibus Henrici, quos Rex, proficiscens ad bellum Gallicum, in regno reliquerat, cum flore nobilitatis & gentis suæ trucidatus est, ad Thylen fluuium.

Iacobus Scotiæ rex interficitur in prælio ab Anglis.

Annotatum est, nobilem quendam Scotum, qui Londini in Anglia asseruabatur in carcere, dixisse: Si quidem prælium committetur hodie, scio meum Dominum futurum esse inferiorem, quia animaduerto, in illo conflictu & turbine ventorum, Scotiæ admodum esse contrarios ventos.

Nec sanè sermo ille ratione & euentu caruit: quia certum est, Angelos, custodes imperiorum & ordinis in regnis, grauiter luctari cum malis spiritibus, qui delectantur cædibus, & ordinis diuini turbatione: sicut ostendit historia Persica, vbi Angelus Danieli refert, se multos annos repressisse diabolum, qui impellebat Græcos ad euersionem regni Persici. Septimo deinde Octobris pugnatum est in Italia ad Vicentiam magno & memorabili prælio.

Vicentinum prælium.

Veneta urbs terretur machinis bellicis.

Vastauerant duces Cæsaris omnem oram Venetam duriter & miserabiliter, dirutis superbis villis, delitijs nobilitatis Venetæ, in ripa Medoaci, tandem ex vicino aggere littoris, explosis globis tormentorum horribili & insueto boatu, ipsam magnificam vrbem Venetam terruerant.

Exercitus vero Venetus vlturus illas clades, hoc die conflixit cum Cæsarianis, sed improspere. Agmina enim Italica vix primum conspectum Germanorum & Hispanorum sustinuerunt. Capta sunt omnia signa militaria, interfecti homines septies mille, & plurimi viui in potestatem victorum peruenerunt. Maximiliano in sua fortuna primum deseruerunt Heluetij, qui inuito Cæsare cum Gallo pacti sunt, & duces ipsius in Italia nihil tanta victoria vsi sunt.

In Silesia nihil accidit hoc anno memorabile, sed infœlix adhuc fuit forma status publici, cum passim grassarentur latrunculi, & sublata essent commercia cum Polonis. In Moscouia Principi addebat animum amicitia Cæsaris, illum vt facilius retunderet Sigismundus, incepit stipendia quotannis præbere Tartaris, vt subinde bello lacesserent Moschos.

Cruciferorũ seditio in Hungariam.

Crudelis illa seditio & laniena Cruciferorum incidit in annum 1514. Frequens erat sermo inter omnes ordines, nimis grauem esse socordiam nostrorum Regum, quod in illa ciuili dissensione Turcorum, non retraherent ad se ditiones auulsas à regno Hungariæ. Sed Vladislaus, cui dulce erat suum ocium, & qui erat indulgentissimus erga suos proceres, nihil se commouebat.

Thomas

Thomas vero Archiepiſcopus Strigonienſis, legatus Pontificius, propoſuit venalem vitam æternam illis, qui nomina darent ad bellum Turcicum, eoſq; ſignabat cruce: ibi ſubito confluxit ampliſſima quædam colluuies perditiſſimorum hominum ex tota Hungaria, & ſimul conſurgebant ingentia agmina ruſticorum, qui deteſtati tyrannidem nobilitatis, præſertim Epiſcoporum, in caſtra accurrebant. In Pannonia enim ex negligentia Regis creuerat apud nobilitatem faſtus, luxus, & crudelitas enormis in ſubditos.

Caterua illa ruſtica electo duce, ſubito totam fermè Pannoniam rabie inaudita peruagata eſt, vbique trucidata nobilitate & Epiſcopis, ex quibus ditiores et clariores palis, teterrimo genere ſupplicij, viuos ſolebant configere. Ad eum modum cum graſſarentur, coniunxerunt ſe nobiles & ciuitates iubente rege, & ductore quodam Bornemiſſa fœliciter aliquoties pugnatum eſt cum Cruciferis, ex quibus multi conciſi ſunt, multi etiam Budæ ſupplicijs affecti.

Tandem vero Iohannes Veidanus, Stephani filius, qui poſtea regnum inuaſit, ad internecionem cum ipſis prælиatus eſt, & deleta multitudine comprehendit duces, in quos ſæuijt exemplis, quæ vix cadere poterant in ſenſum humani pectoris. Georgium enim, Imperatorem Ruſticorum, in equuleo extendit, caput ipſi corona ex ferro candenti cingit, venas aliquot aperit, & ſanguinem profluentem Lucatio fratri Georgij potandum præbet, deinde præcipuos ex ruſticis, quos inedia tridui excruciauerat, cogit vt dentibus artus Georgij adhuc ſpirantis lacerent & vorent. *Iohannis Veidani crudelitas.*

Inter illos cruciatus nullum edebat gemitum, tantum precabatur, vt Lucatio fratri, quem ipſe inuitum ad hoc bellum traxiſſet, parcerent. Laniatis membris ipſius, cum iam expiraſſet, viſcera ipſi extrahunt, diſſecant, eâque aheno cocta verûque aſſata militibus voranda proponunt, eoſque demum illis Thyeſteis epulis ſatiatos, vnà cum Lucatio longis & diris ſupplicijs interficiunt.

Non extat ſimile exemplum ſæuitiæ planè inhumanæ in hiſtoria mundi: ideo non mirum eſt, ſi Deus hanc tantam rabiem in domino & gente ſua vltus eſt, immiſſis latronibus Scythicis, qui penè ſoli ab omni hominum memoria propter crudelitatem fuerunt celebres: per quæ enim quis peccat, per eadem punitur. *Sæuitiæ inhumanæ exemplum.*

Accitæ ſunt copiæ ex Bohemia & Sileſia in Hungariam, ſed illæ re iam perfecta venerunt: ſedarunt tamen motus, qui alioqui fuiſſent orituri contra Epiſcopos, & fortè contra ipſum Regem. Die natali Mariæ, ad Boryſthenem fluuium pugnatum eſt nobili prælio inter Moſchum & Sigiſmundum.

Tanta fuit confidentia Moſchorum, vt Polonos, numero longè inferiores, vltro paterentur tranſire fluuium, ſed in ipſo conflictu opera ſclopetariorum, quibus carebant Moſchi, ſunt victi. Interfecti ſunt ad triginta millia, & plurimi capti. Ex illis Sigiſmundus Rex Proceres quatuordecim miſit ad Leonem Pontificem, ſed in itinere Cæſar eos liberauit, & ex Lubeca domum remiſit. Eadem tamen hyeme cogitatum eſt de rationibus, quibus Sigiſmundus poſſet reconciliari Cæſari, & inſtitutum eſt, vt reges ipſi coram anno ſequenti conuenirent.

Sigiſmundus ad Boryſthenem Moſchos ingenti pretio fundit.

Maximilianus liberat Moſchos captiuos.

Die Auguſti 26. acerrimum prælium commiſſum eſt inter Selimum Tyrannum Turcicum & Iſmaëlem Sophum, regem Perſicum, ad oppidum Choim, ſitum in ripa Araxis, vbi poſt longam dimicationem, Perſæ iam victores territi tormentis, & vulnere ſui regis, campo ceſſerunt, ſed reliquerunt Turcis victoriam admodum cruentam. Ceciderunt vero ex Selimi exercitu ſupra triginta millia hominum, & equitatus Europæus penè totus deletus eſt.

Selimi pugna acerrima cum Perſis.

Nobilis conuentus Cæſaris cum regibus Hungariæ & Poloniæ, fuit anno 1515. ad Viennam, 16. Iulij. Egregium fuit ſtudium Sigiſmundi erga Cæſarem, cum quo redire in gratiam omnibus modis cupiebat. Dictus erat primum dies ad medium menſis Februarij Poſonij. Deinde in Martium vſque Cæſar rem protrahi voluit: Proceres Pannoniæ libenter turbaſſent totum negocium: ſed inſtabat Sigiſmundus, & menſe Martio Cracouia egreſſus eſt, quamuis Mechouienſis, illius temporis celebris Aſtrologus, palam prædiceret, Reges ante medium menſis Iulij Cæſarem non viſuros.

Maximiliani Cæſaris & Regum Hungariæ atq; Poloniæ conuentus.

Mechouius celebris Aſtrologus.

Poſonij Cæſar per Legatos cum Regibus de matrimonijs liberorum tractauit, & dum huc illuc curſitant nuncij, Bartholemæus Monſterbergenſis, legatus Vladislai ad Maximilianum, nauigans Danubium, in vndis perijt, magna cum lætitia Vratislauienſium, quos criminatus fuerat apud regem, & vt mulcta illis indiceretur perfecerat, quam etiam Rex exoratus ipſi Principi iam donauerat. 16. demum Iulij Cæſar Vienna Pridie egreſſus, cum Regibus patenti in campo ad pyrum arborem conuenit.

Bartholemæus Monſterbergenſis perijt in Danubio.

Scribitur Hungaros, cum procul aſpicerent turmas Cæſaris ad radios ſolares ferro collucentes, expauiſſe, & nunciaſſe Sigiſmundo Regi videri ſibi, reges parum tuto ſe armato Cæſari creditoros: neque enim ad colloquium amicum opus fuiſſe armis, quibus renunciauit Sigiſmundus, ſe optimo Cæſari nequaquam diffidere, & omnino proceſſurum, ſequerentur ſanè ipſi, ſi ita videretur.

VBi inter ſe amiciſſime conſalutaſſent, dicitur Cæſar in hæc verba prorupiſſe: Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus &

mua & lætemur in ea. Subiecit Rex Sigiſmundus: Faciat Deus, clementiſſime Cæſar, vt hic noſter congreſſus ſit fauſtus & ſalutaris nobis, & toti orbi Chriſtiano. *Maximiliani & Sigiſmundi ſalutatio.*

Reges deinde inuitati, Cæſarem Viennam comitati ſunt: vbi alteri ex nepotibus Cæſaris promiſſa eſt Anna Hungarica, Ludouico autem Maria Burgundica, filia Regis Philippi. Actum etiam de ſucceſſionibus, & certa inita pacta, ſi regna illa carerent ſobole maſcula ex ſtirpe Regum, ſucceſſionem transferri debere ad Principes Auſtriacos, nepotes Cæſaris, & de eo ſolennes literæ conſignatæ ſunt. *Maximilianus iniuit pacta de ſucceſſionibus cum regibus.*

Annæ Hungaricæ, Viennæ regia corona à Cæſare impoſita eſt, eamq; vnà cum Maria educauit. Obtinuit etiam Sigiſmundus à fratre, vt Emporium Vratislauienſe abrogaret, quod Rex nimis facilis conceſſit, & prouinciam ſuam graui detrimento affici paſſus eſt. Ita impedientibus Polonis, Sileſiæ duo ornamenta, Academia & Emporium ademta ſunt. *Vratislauienſe Emporium abrogatur.*

Vere eiuſdem anni Iohannes Tranſſyluanus, cui proceres Pannoniæ filiam Regis, & gubernationem regni promittebant, vt congredientibus regibus, ipſe ſingulare exemplum fortitudinis oſtenderet, collectis copijs Turcos adortus eſt, ſed eo cum euentu, vt victus, & caſtris exutus ab hoſte fugiens domum rediret. *Iohãnes Trãſſyluanus profligatur à Turcis.*

Sub finem etiam Autumni Cracouiæ Apoplexia extincta eſt Barbara regina, quam Poloni multum commendant ob egregiam pietatem & virtutem in omni genere. Vt autem firmior eſſet concordia, promiſit Sigiſmundus Cæſari, ſe ex ipſius arbitrio ducturum ſecundam vxorem, atque ita annitente Maximiliano, promiſſa eſt ipſi Bona, Iohannis Galeacij Ducis Mediolanenſis filia, quæ olim deſponſata fuerat Iohanni Coruino. *Barbara Regina Poloniæ moritur.*

In Sileſia fuerunt nuptiæ inter Eliſabetham ſororem Sigiſmundi, & Fridericum Principem Lignicenſem, quas conciliauit Iohannes Turzo Epiſcopus Vratislauienſis. In agro Mediolanenſi 13. Septembris tribus horis ante ſolis occaſum, Heluetij, qui tunc, vt olim de Spartanis dictum eſt, ignem ſpirabant, adorti ſunt iniquo loco caſtra Regis Franciſci Gallici, qui tranſierat in Italiam, vt recuperaret Ducatum Mediolanenſem: Pugna protracta eſt in quartam noctis horam, donec occidente Luna caligo prælium diremit, quod tamen prima luce ſequentis diei redintegratum eſt, tandem cum Heluetij numero pauciores, & impranſi fortiſſimè ſe defenderent, deſerti à ſocijs, & ſuperati multitudine hoſtium ſupra quinquies mille ex ſuis amiſerunt, plures etiam illuſtres Galli in prælio ceciderunt. *Bona Mediolanenſis deſpõſata Iohanni Coruino Mathiæ Sigiſmundo Regi Poloniæ. Fridericus Lignicenſis ducit ſororem Sigiſmundi Regis. Frãciſcus Galliæ Rex prælio fundit Heluetios ad Mediolanum.*

LVDOVICVS HVNGARIÆ & Bohemiæ Rex, Sileſiæ Princeps.

Vladislaus rex Hungariæ & Bohemiæ moritur.

ANno 1516. mortui ſunt duo Reges maximi nominis, 13. Martij Vladislaus, anno ætatis ſuæ ſexageſimo primo. Deinde in Hiſpania Ferdinandus, qui omnium regnorum hæredem reliquit Carolum Maximiliani nepotem.

Ferdinandus Hiſpaniæ & Neapolis rex moritur.

Vladislai regis natura.

Fuit Vladislaus quidem Princeps non admodum ingenioſus, ſed tamen prædítus iudicio non malo, peritus linguæ latinæ, amans iuſticiæ & quietis. In grauioribus deliberationibus, vbi multorum ſententias audiuiſſet tacitus, tandem, ſi quis ſcopum negocij attingere videbatur, ſolebat diſputationem hac voce finire, Doberſi: vnde à multis hoc nomine appellatus eſt. Beneficentia & clementia in eo fuit eximia, adeo vt eo nomine præcipuè laudem quæreret, quod neminem vellet offendere. Ideo eius facilitate multi ex potentibus ſceleratè abuſi ſunt.

Vladislaus rex fuit ſimilis Arcadio Cæſari.

Denique, ſi facienda eſt collatio, videtur non diſſimilis fuiſſe Arcadio Romano Cæſari, poſt cuius ætatem etiam ſtatim dilaceratio imperij ſecuta eſt per Gotthos & Vandalos. Filio ſuo nondum decenni conſtituit tutores, Cæſarem & Sigiſmundum fratrem.

Ludouici Regis tutores.

Selimus aſpernatur conuentus Chriſtianorum.

Selimus Turcicus excitatus fama de conuentu Regum ſuperioris anni, & metuens ne arma coniungerentur contra ipſum, in Thraciam ex Aſia redijt, duplex agmen prædabundum in Pannoniam emiſit, ſed vbi ipſi nunciatum eſt, conuentus regum Chriſtianorum ſolere tantum celebrari ſpecioſis concionibus, & magnificis conuiuijs, rurſus arma in orientem conuertit.

Maximilianus Cæſar ex pacto miſit oratores in Moſcouiam, qui facerent pacem inter Moſchum & Sigiſmundum. Sed illi re infecta redierunt. Tartari hoc anno crudeliſſimè Ruſſiam vaſtarunt. Maxime memorabilia negocia continet annus 1517. cuius initium totum orbem terrarum compleuit fama de Aegypti excidio, & deletione regni Mamaluchorum. Capita euentuum breuiſſimè nominabo.

Selimus deleto regno Mamaluchorum occupat Ægyptum.

Campſon rex Aegypti formidabat creſcentem potentiam Selimi, illiq́, niſi quieſceret, bellum denunciauit: hoc fuit initium illius belli, quo, meo iudicio, poſt bella punica, nullum in genere humano fuit aſperius. Intra ſpacium medij anni quinquies prælio acerrimo dimicatum eſt, & amiſſa ſunt duo magna regna, Syriacum & Aegyptium.

Selimus geßit aſperrima bella.

Selimi uictoriæ in Syria & Ægypto.

Die Auguſti 26. anno 1516. qui etiam eſt dies pugnæ ad Arbelam, Selimus in Syria ornatiſſimum exercitum Sultani Aegyptij vicit, proditione cuiuſdam ductoris, qui in pugna ad Turcos defecit,

defecit, in fuga Rex Campſon labore & mœrore animi ſine vulnere exanimatus eſt. Secundo, Selimus in aditu Aegypti rurſus cruentiſſima pugna deleuit magnum exercitum Mamaluchorum. Tertio, 24. Ianuarij anni 1517. idem Selimus non procul à Memphi, magno prælio Sultanum nouum, Tomumbeium ſuperauit, ſed tamen robur ſui exercitus ab equitatu hoſtium deletum eſt. Quarto, occupata vna parte vrbis illius ampliſſimæ, Mamaluchos in parte munita fortiſſimè pugnantes deuicit: vbi rurſus is fuit ardor animorum, vt Selimus iam de victoria & de vita inciperet deſperare, ſed tunc etiam à ſuis proditi fuerunt Mamaluchi. Selimus contra datam fidem illos, qui ſe dediderunt, omnes interfecit. Vltimo ad ripam Nili Tomumbeium, qui contraxerat reliquias & omnes vires regni, victum cepit cum multo ſanguine ſuorum, eum deinde in vrbe Memphitica excruciatum tormentis, quæ ipſe conſtantiſſimè pertulit, 13. Aprilis, qui fuit dies lunæ Chriſtiani Paſchatis mulæ impoſitum & laqueo ex collo pendente, per totam vrbem circumductum, ad frequentiſſimam portam vrbis ſuſpendi iuſſit.

Campſon Rex extinguitur.

Tomumbeius Rex necatur à Selimo.

Hic fuit finis regni Mamaluchorum in Aegypto, qui tenuerunt eam annos 260. Fuerunt autem Mamaluchi ſerui venditi in Aegyptum ex ea regione, quæ adiacet ponto Euxino & paludi Mæotidi, verſus Moſcouiam, vbi nunc ſunt Circaſſi. Ibi exercebantur ad militiam abiurata doctrina Chriſti, amplectebantur furores Mahometi: ſicut ipſum nomen ſignificat circumciſos: tandem euehebantur ad honores & ad regnum.

Mamaluchi quales homines fuerint.

Triſtis autem iſta ſeruitus & calamitas Aegypti, quæ olim fuit florentiſſimum regnum, commonefaciat omnes homines de ira Dei aduerſus peccata generis humani.

Ægyptus punita eſt propter blaſphemias in Chriſtum.

Neque enim dubium eſt, hoc regnum ita miſerabiliter diſceptum fuiſſe, quod primum Arij furores genuerit, & latè propagauerit, & quod deinde odio Chriſtianæ religionis, ſicut ſemper iſtius gentis fuit curioſitas & petulantia enormis, Sarracenos & Mahometanos attraxerit.

In Pannonia infœlix orphanus Ludouicus ſpernebatur à ſuis proceribus, qui iam conſtituebant factiones inter ſeſe. Vere huius anni fuit conuentus Budæ, vbi actum fuit de gubernatore conſtituendo in regnum, & magna erat autoritas Iohannis Veidani, qui ad eam dignitatem aſpirabat: miſerunt legatos Budam Cæſar & Sigiſmundus, vt Iohannem, cui nihil fidebant, impedirent.

Venit etiam eò Nicolaus Schombergius nobilis Miſnenſis, qui in Italia fuerat ingreſſus religionem Dominici, vir eloquens, vaferrimus, & plane natura Italica imbutus. Miſſus fuerat in Hungariam à Leone, ſuadente hoc Iulio Medice fratre Pontificis. Cæſari ex ipſa Roma ſignificatum fuerat, vt obſeruaret artes ſtius Monachi, quæ eſſent mirabiles.

Nicolaus Schombergius legatus Pontificis ad regnũ Hungariæ.

In ipſa

In ipsa tractatione primum mirificè omnium mentes sibi conciliauit, & iam bene de ipso sperabat Cæsar, sed tandem, vbi se patefecit, animaduersum est, eum hoc agere, vt Pontifici permitteretur potestas collocandi in regnum Hungariæ gubernatorem, qui ex ipsius arbitrio ibi regeret, ipsiq; pareret. Tali enim artificio aula Romana conabatur illud potens regnum ad se trahere. Valde autem offendit Cæsarem ista improbitas, neque in tanta dissensione tunc aliquid potuit perfici.

Nicolaus Schombergius offendit Maximilianum Cæsarem.

Floruit deinde ille Schombergius in Italia multos annos, creatus est Cardinalis, & à Carolo Cæsare impetrauit Archiepiscopatum Capuanum. In Silesia 17. Februarij decessit Elisabetha Polonica in puerperio. Mors eius fuit admodum detrimentosa Friderico Principi marito, qui ex eo coniugio, si præsertim vixisset Vladislaus frater, potuisset crescere.

Elisabetha cõiunx Friderici Lignicensis moritur.

Lutherus orditur instaurationem doctrinæ sacræ.

Hoc etiam anno fulgere cœpit lux doctrinæ Christi, repurgatæ à D. Luthero. Circumferebantur venales indulgentiæ Romani Pontificis, cuius lacunas, opes totius Europæ in illis sumtibus bellorum, & profusionibus ad luxum, plusquam Persicum, non poterant explere. Tanta autem fuit impudentia quæstorum Pontificiorum, vt publicè prædicarent, ad tinnitum argenti coniecti in cistam, subito animam liberam ex cruciatibus purgatorij in cœlum euolare.

Lutherus taxat indulgentias.

Lutherus verò, vir egregiè doctus & pius, excitatus à Deo, Pridie Calendas Octobris ad valuas templi Vitebergensis, in arce, vbi die omnium Sanctorum solebant esse insignes nundinæ Indulgentiarum, hora duodecima Propositiones affixit, quæ grauiter taxant impiam audaciam Pontificiorum, monstrant veram doctrinam de conuersione, & remissione peccatorum propter obedientiam, & mortem filij Dei. Vnde deinceps, semel motis rebus, paulatim alij articuli, obscurati fecibus Pontificijs, illustrati sunt, & magna lux, Dei beneficio, cœlestis vocis accensa.

Tempus hoc emendationis prædictum fuit à Iohanne Husso morituro, & à Iohanne Hilteno Isenacensi, Monacho Franciscano.

Religio in toto orbe terrarum immutata est.

Intuenti vero historiam mundi, mirum est quod intra viginti annos, ferme in toto orbe terrarum motæ sunt disputationes de religione, & multæ factæ mutationes. Nam primum latissimæ illæ terræ Indicæ & Aphricanæ, recens inuentæ, quæ fuerunt implicatæ tetris idolis, magna ex parte doctrinam Christi acceperunt. In Asia secta Mahometica in duas partes scissa est, & Persæ nouos instituerunt cultus. Nunc vero, præeunte Luthero, paulatim magna pars Europæ oculos sustulit ad Solem iusticiæ Filium Dei, relictis tenebris Pontificijs.

Bellum Venetum finitum est fœdere, quod in Belgico factum est Nouioduni inter Franciscum Regem & Carolum, conditionibus

bus iniquissimis adolescenti Carolo, ideo non modò cito turbatum est, verum etiam causam præbuit sæuis bellis, quæ vix hisce proximis annis restingui potuerunt. Sub finem Septembris Glogouia in Silesia penè tota miserabiliter conflagrauit: perierunt in incendio plurimi homines.

Fr̃ãciscus rex Galliæ & Carolus Hispanus iungũntur fœdere.

Selimus deuictis regnis Orientis, aspirabat ad imperium Europæ, & reuersus in Thraciam, parabat bellum terra mariq; in orbem Christianum. Maximilianus Cæsar, qui erat in excubijs pro suo imperio, indixit conuentum ordinum Imperij Augustam, anno 1518. belli Turcici causa, vbi conclusum fuit, vt Gallis & Venetis in societatem belli pertractis, Pontifex, Hispanus & Veneti, classe Græciam inuaderent, Cæsar vero auxilijs Germaniæ, Galliæ & Angliæ, ex Pannonia Turcos adoriretur: descripta fuit etiam formula militum & pecuniæ in hanc sacram expeditionem, & videbantur omnium studia in hoc bellum esse erecta.

Selimus parat bellum in regna Christianorum.

Maximilianus deliberat de bello Turcico.

Vocatus fuit etiam Augustam Lutherus ad Cardinalem Caietanum, qui eum minis terrere voluit, vt caneret palinodiam. Ipse in illo tantorum certaminum exordio, aliquanto motus à Pontificijs, promisit Cardinali, se deinceps silere velle, modo etiam aduersarijs suis silentium indiceretur. Sed cum hoc nequaquam impetrasset, & tantum adigeretur ad reuocationem, Augusta discessit, & telam, quam Deus ipsum ordiri voluit, constanti animo pertexuit.

Lutherus Augustæ sistitur Caietano Cardinali.

Pulcherrimas cogitationes Maximiliani de inferendo bello Turcis, & rursus furores Selimi de euertendis Ecclesijs, & regnis Christianorum, vtriusque mors interrupit. Inuaserat Cæsarem lenis & lenta quædam febricula: Medicus vero minus cautus propinauit ipsi pharmacum deiectorium potens, tempore non opportuno, inde & febris aucta est, & diarrhææ colliquatiuæ multorum dierum, ita vires afflixerunt, vt vim morbi amplius non ferrent.

Maximiliani Cæsaris mors & eius uirtutes.

Decessit igitur Cæsar optimus 12. Ianuarij, anni 1519. apud oppidum Velsium, & ex testamento in noua ciuitate sepultus est sub ara, ita vt sacerdos, panem consecratum attollens, supra pectus Cæsaris consistat.

Fuit in eo ingenij & corporis robur planè heroicum, atque is est, qui Deo iuuante inclitam familiam Austriacam ad illud supremum fastigium honorum, vbi nunc fœliciter fulget & floret, euexit. Expertus est in sua gubernatione vtramq; fortunam, quam tamen magnitudine & mediocritate animi egregiè tulit. Nupta ipsi fuit Maria Burgundica, quæ non solum opes & regiam dotem, verum etiam bella & ærumnas attulit: quo tempore ipse tamen potentem & vaferrimum regem Galliæ Ludouicum Vndecimum, etsi omnibus rebus inferior, repressit: & prouinciam suam, aliquot splendidis victorijs partis, tutatus est.

Mortua

Maximiliano eripitur sponsa à Gallo.

Mortua Maria, & quidem infelici ex casu, contraxit coniugium cum muliere Gallica, quam nouo & detestando scelere, ipsi in itinere eripuit petulans & impurus rex Carolus Octauus, & modestissimam virginem, filiam Maximiliani, Margaritam, quæ voluntate patris sui ipsi fuerat desponsata, ex Gallia cum contumelia domum remisit. Inter istas calamitates & dolorem insignem, tamen veram animi æquabilitatem retinuit. Gallo, appetenti regnum Italiæ & Europæ, restitit, & paulò pòst vidit eum extingui florenti in ætate, & scelerum suorum dare pœnas.

Gessit deinde varia bella, Gallicum, Helueticum, Venetum: vbi eius virtus & industria enituit, ita vt Imperio Germanico amissum decus & robur redderet. Respublica Veneta à condita vrbe non est grauius afflicta, quàm ab hoc Cæsare, quem tanquam imbecillem contemnebat.

Memoriæ proditum est, legatos ipsorum, fiducia potentiæ elatos, Romana & superba voce bellum illi denunciasse: S. P. Q. Venetus indicit bellum Maximiliano: quibus Cæsar sapiens & placidus respondit: Ite, inquit, & gerite bellum simili stultitia, qua indixistis.

Sed dolendum est, nondum inuentum esse virum aliquem literatum, & rerum in vita peritum, qui historiam tanti Cæsaris ordine & eleganter describeret, cum tamen ipse Cæsar, non solum in doctos esset munificus, verum etiam lectione & scriptione historiarum inprimis delectaretur. Ego in hoc breui scripto plura commemorare nec debeo nec possum.

Selimus in Thracia extinguitur lue.

In Thracia vero venenum veneno extinctum est. Selimus enim propè illum pagum, vbi ipse ante annos septem patrem suum senem bello adortus fuerat, pestilentia iugulatus est. 28. Iunij Francofurti ad Mænum renunciatus est Cæsar Carolus Austriacus, Hispaniarum Rex. Historia & disceptatio electionis, quæ est insignis, legatur apud Sleidanum.

Carolus Austriacus creatur Cæsar.

Friderici Electoris Saxoniæ sapientia.

Enituit tunc prudentia & dexteritas singularis Friderici Saxoniæ Electoris, qui non modo delatum sibi imperium ab omnibus Electoribus recusauit, excusatione ætatis vsus, verum etiam, cum voluntates principum vehementer essent distractæ, studijs partium Gallicarum atq; Austriacarum, ipse, ne ex dissensione ciuili accenderetur bellum in Germania, autor fuit, vt singuli Electores sanctissimè iurarent, non se habituros vllum pro Cæsare, nisi eum, qui ex communi consensu omnium esset electus.

Pecuniam grandem, quam ipsi obtulerant legati Caroli, reiiciebat constanter, & vt idem sui aulici facerent, iussit. Meminerunt aliqui ex senioribus, dixisse Principem illum: Equidem quæro virtutem, sed eam cum non inueniam, accipio potentiam. Selimo successit filius vnicus Solymanus, natus ex muliere Scythica, filia

Solymanus succedit Selimo patri.

regis

regis Bosphorani: contudit eodem anno satrapam Syriæ, qui antiquum regnum Mamaluchorum restituere conabatur, victoria magna, sed non incruenta.

Albertus Brãdeburgicus gerit bellum cum Polonis.

In Prussia accensum est bellum inter Sigismundum & Albertum Brandeburgicum Prussiæ Magistrum, qui volebat haberi pro Principe Imperij, & à Polonis reposcebat vrbes olim occupatas proditione subditorum Ordinis. Durauit bellum illud totum quadriennium, & si Albertus impetrasset auxilia Germanica, sicut sperabat, non cessissent Polonis, sed demum noua & inopinata compositione bellum sedatum est. 2. Augusti anno 1520. Nissæ in Silesia moritur Iohannes Turso Episcopus Vratislauiensis: Fortuito vero excitato incendio, aiunt magnam partem cadaueris ante sepulturam flammis esse absumtam, quod ipsum fuit omen emendationis & repurgationis Ecclesiarum in Silesia.

D. Iacobus Salzensis Episcopus Vratislauiensis.

Electus est in locum defuncti nobilis Iacobus Salzensis, Legum doctor, qui nomine regio ducatui Glogouiensi præerat, & Ladislaum Sternbergium fuerat comitatus ad comitia Francofurtensia, vbi propter illustrem operam nauatam Carolo, aulæ regiæ factus est carus. Præfuit Ecclesijs cum laude sapientiæ & moderationis ad annos 19. fuit alienus à sæuitia, ad quam alioqui flabella Diabolorum Episcopos solent accendere.

Frãciscus Gallus & Henricus Anglus cõgrediuntur.

In littore Oceani congressi sunt Galliæ Rex & Henricus Anglus. Fuit tantum mutua ostentatio opum & splendoris aulici. Adduxerat Henricus ligneam domum mirifici operis, illi inscripserat: Cui adhæreo, præest. Certabant enim inter se Carolus & Franciscus, inter quos iam semina noui belli oriebantur, vter sibi coniungere posset Britannum. Sed Carolus nauigans ex Hispania ad hunc diuertit, eumq; ab amicitia Galli auertit. 22. Octobris, Carolus celebri pompa Aquisgranum ductus est, & postridie solenni cum ritu coronatus.

Carolus coronatur Aquisgrani.

Fridericus Saxoniæ Elector, propter valetudinem substitit Coloniæ, eoque vocauit ad se Erasmum Louanio, cuius iudicium de Lutheri doctrina sciscitatus est: Erasmus festiuè respondit: Duo esse magna peccata Lutheri, quod attigisset coronam Papæ, & ventres Monachorum. Deinde significauit genus doctrinæ rectum esse, sibiq; probari, sed suadebat, hortaretur Princeps Lutherum, vt quædam minus horride diceret.

Friderici Electoris Saxoniæ colloquiũ cum Erasmo.

Anno 1521. factum est initium calamitatum Hungaricarum, & perrupta repagula, quæ diu Turcos à ceruicibus Pannoniæ auerterant. Principes occupati erant in apparandis nuptijs, Budæ Ludouicus adolescens quindecim annorum ducebat Mariam Burgundicam: Lincij Ferdinandus Austriæ Archidux, anno ætatis decimo nono celebrabat nuptias cum Anna Hungarica mediocri cum pompa.

Ludouicus & Ferdinandus celebrant nuptias.

Interea Solymanus insidiatus est regno Ludouici, & quidem attractus fuit ex stulta superbia procerum regni. Miserat Solymanus legationem in Pannoniam, quæ pro more phrasi Turcica, denunciabat Ludouico, consediſſe Solymanum in paternum solium, & iam portam ipsius regiam patere omnibus, qui aut pacem aut bellum poscere vellent: deliberarent igitur Hungari, vtrum placeret.

Hungari stulta superbia irritant Turcos.

Superbi Principes legatum illum Turcicum retinuerunt, posita ipsi custodia. Disputabant enim, vindicandam esse hoc pacto iniuriam Selimi, qui ante triennium legatum Pannonium apud se detinuisset. Venerat is ad Selimum iturum ad bellum Aegyptium, eumq; ille in castris secum circumduxerat, sed demum Constantinopolin reuersus, honorificè eum in patriam remiserat.

Nunc igitur similiter plectere volebant filium Solymanum, quem aspernabantur, tanquam adolescentem, eumq; stolidum, deditum voluptatibus, & omnium rerum imperitum. Sigismundus Poloniæ Rex, ad quem similis legatio Turcica peruenerat, misit Budam ad nepotem & Senatum Pannonium, eosque monuit, vt vnà secum ablegarent Constantinopolin aliquos ex suis, qui induc cias paciscerentur cum Turcis, neque eos in hac ætate Regis, & rerum perturbatione irritarent. Verum consilium Sigismundi neglectum & reiectum est, & existimabatur Hungaris satis esse virium ad arcendum filium, cuius patrem non formidassent.

Solymannus ista detentione sui legati irritatus, bellum in Pannoniam molitur. Multus tamen fuit eo tempore sermo, Leonem Pontificem, qui metuebat Italiæ, & simul irascebatur Hungariæ, quod suum gubernatorem accipere noluisset, pretio in aula Turcica effeciſſe, vt bellum in Pannoniam transferretur: quam post castigationem aliquam opinabatur facilius accepturam frenum.

Leo Pontifex putatur Turcos immisisse Hungaris.

Collecto igitur exercitu, dum nostri epulantur & ludunt, Belgradum, Hungariæ & Europæ repagulum, adoritur & acerrimè oppugnat. Nostri sero experrecti conueniunt segniter, vrbs Vratislauiensis etiam misit quingentos pedites. Sed antequam ad hostem peruentum est, iam Belgradum 21. Augusti captum est cum ignominia vniuersi orbis Christiani, qui eam arcem contra abauum Solymani Amurathem, & proauum Mahometum, duo fulmina bellica, fortissimè olim defenderat.

Solymanus occupat Belgradum.

In Germania conuentum imperij agebat Carolus nouus Cæsar, ad quem euocatus est Lutherus: is coram Cæsare & Principibus publicè & intrepidè confessionem suam edidit, testatus est, nullo modo veritatem Euangelij sese deserturum & abiecturum: Publica fides ipsi est seruata, in reditu vero, iubente ita suo principe, qui eum sicut Abdias olim Prophetas, suffurabatur, in suam Pathmon ductus est, & fermè biennio Viteberga abfuit.

Carolus Cæsar agit conuentum Vormatiæ.

Lutheri confessio in conuentu Vormatiensi.

Cæsar

Cæsar persuasus consilijs suorum, qui traducere in suas partes cupiebant Pontificem, Lutherum & omnes socios ipsius proscripsit. Et fuit sanè hoc quæstuosum aulæ. Pontifex enim deserto Gallo transijt ad Cæsarem, & hoc anno ductores Pontificij & Cæsaris, Prosper Columna & Ferdinandus Piscarius bellator virtutis & fortunæ mirificæ, Gallos victos & fusos Mediolanensi ducatu eiecerunt.

Lutherus proscribitur à Cæsare & ducitur in Pathmon.

Caroli Cæsaris copiæ occupant ducatum Mediolanensem.

Pontifici vero gaudium hoc non fuit solidum. Statim enim post nuncium victoriæ Mediolanensis interijt, hausto veneno, vel in vino, vel, vt creditum est, inter familiaria catapotia, quæ singulis mensibus, pro iuuanda valetudine, solebat deuorare. Decessit etiam hoc anno Iohannes Capnio, præceptor nostri Philippi, illustrator linguæ Græcæ & Hebrææ.

Leo Pontifex tollitur veneno.

Iohannis Capnionis uita.

Romæ audiuerat ludæum docentem linguam sacram, cui διδακτρον numerabatur pro singulis horis singuli aurei. In auditorio etiam Argyropyli Græcè legit periodum ex concione Thucydidea scitè, eamq; rectè interpretatus est: ibi senex Argyropylus illacrymans exclamauit: Græcia nostro exilio transuolauit Alpes, cum sentiret studijs linguarum artes & eruditionem Græcam etiam in his horridioribus gentibus accendi.

Fuit illi longum bellum cum stultis & auaris Monachis, qui nihil aliud effecerunt, nisi quod stultitiam suam mundo deridendam propinarunt, & animum addiderunt Luthero, vt totum regnum Monasticum & Pontificium cum applausu Germaniæ conuelleret. 30. Maij mortuus est Georgius Bregensis in Silesia, frater Friderici, Princeps ingeniosus quidem, & optimè educatus in aula Maximiliani Cæsaris, sed corruptus crapula & voluptatibus. Hæredem habuit fratrem Fridericum.

Georgius Bregensis moritur.

Nono Ianuarij anni 1522. Romæ mirabili casu in Pontificem electus est Adrianus vir Belgicus. Natus fuit ex parentibus fortunæ admodum tenuis, Louanij nutritus est ex eleemosyna, innotuit propter laudem industriæ & doctrinæ: ascendit subinde per gradus ad honores, factus est gubernator Academiæ, vocatus est demum in aulam, vt erudiret adolescentem Carolum, qui tamen in discenda lingua latina minus obsequens fuit præceptori, abductus ab alijs ad exercitia equestria.

Adrianus Traiectensis creatur Pontifex.

Adrianus fuit præceptor Caroli Quinti.

Ipse Carolus Cæsar, post multos annos, cum orationem latinam Genuæ eleganter recitatam minus intelligeret, conuersus ad suos: Nunc, inquit, agnosco adhortationes præceptoris mei fuisse veras, qui sæpe prædicebat, me puerilis incuriæ daturum aliquando pœnas. Doleo enim me flores & elegantias sermonis istius non rectè assequi.

Carolus Quintus accusauit incuriam adolescentiæ suæ in discendo.

Adrianus demum in Hispania est factus Episcopus, & vbi Carolus illa regna adeptus est, cum imperio toti Hispaniæ præfectus est. A Leone lectus est in Senatum Cardinalium anno 1517.

Adriano erecti sunt arcus triumphales in Belgico inuerecundi.

Et nunc demum, postquam diu litigassent inter se Cardinales, nec illi fluctus æmulationum mutuo possent sedari, iste absens, alienigena & incognitus Romanis, ad Pontificatum euectus est.

In Belgico sunt ipsi erecti arcus triumphales, &, pro more gentis, ornati dictis sacris petulanter detortis. Ita enim fuit scriptum: Traiectum plantauit, Louanium rigauit, Cæsar dedit incremẽtum. Vir quidam pius, detestatus illam profanitatem, subscripsit: Hic Deus nihil fecit. Fuit in ipso mirabilis Melancholia, oderat studia Poëtica, quod diceret ea aduersari religioni. Cognatis suis, qui ex Belgico pedibus Romam accurrerant, nihil est largitus, ne viderentur imitari profusionem superiorum Pontificum in suos.

Adrianus fuit ineptus ad gubernationem.

Cæsarem Carolum in Hispania noluit videre, & somniabat veterem Romam. Sed fuit eius gubernatio breuis & infelicissima. Romæ est grassata sæuissima pestilentia, quæ ideo grauius inualuit, quod ipse contagia, visitata seueritate Italica, nollet cohercere. Solymanus autem re bene gesta in Pannonia, alterum etiam propugnaculum orbis Christiani, Rhodum oppugnauit.

Solymanus occupat Rhodum.

Defendebant eam fortissimè 700. equites Rhodij in septimum mensem vsque, deserti vero à Pontifice & Christianis regibus, die natali Christi fecerunt deditionem, pacti corporum & rerum suarum incolumitatem, quam Turci egregiè ipsis præstiterunt.

In Silesia fuit hoc anno status turbulentus Vratislauiæ. Iam illuxerat emendatio doctrinæ, instituta per Lutherum, neq; amplius premi poterat veritas. Senatus pio studio quædam monasteria, sine iniuria tamen Monachorum, conuertebat in vsus pauperum. Hoc ægre ferebant Monachi, & inueniebant patronos potentes in aula, Bohemos, Hungaros & Germanos. Re disceptata per aliquot annos, tandem isto anno, cum Pragæ esset Rex Ludouicus, qui à Principibus imperij Noribergæ postulabat auxilia contra Turcos, incensus à Pontificijs minatus est bellum Vratislauiensibus, & vtrique præfidi Silesiæ, Casimiro Teschensi & Friderico Lignicensi mandauit, vt pararent arma. Sed interueniente Georgio Marchione Brandeburgensi, qui præcipuè regem in ea ætate gubernabat, & veram doctrinam amabat, Vratislauiæ controuersia ea sedata est.

Vratislauiæ creatur periculum apud Ludouicum propter emendationem doctrinæ.

Georgius Brãdeburgicus tegit Vratislauienses.

Multis etiam annis de moneta lis fuerat Suidniciæ, & populus contra voluntatem Senatus & Regis non admittebat mutationem. Vocati sunt à Georgio Brandeburgensi & Friderico Lignicensi Vratislauiam ex tribunis & populo, qui putabantur esse autores dissensionum, & cum ex illis aliquot damnati essent ad capitalia supplicia, Georgius tamen Brandeburgensis, exoratus à matronis Vratislauiensibus, vitam suis donauit. Sed Fridericus Lignicensis tres capite plecti curauit.

Suidnicenses ciues afficiuntur supplicio Vratislauiæ.

Accesse-

Acceſſerunt deinde cum exercitu Suidniciam, vt cogerent ciues ad obedientiam, ſed cum Bohemi denunciarent Principibus, ſe Suidnicenſem populum omnino, ſi opus foret, armis defenſurum, domum Principes reuerſi ſunt, & hoc etiam negocium ſecundo anno poſt, amicè tranſactum eſt.

Iſto anno etiam fuit initium liberationis Monachorum. Paſtor Eccleſiæ Kembergenſis prope Vitebergam duxit vxorem. Iuſſus eſt igitur à Principe cauſas exponere, cur nec Pontificia lege, nec voto impediantur coniugia diuinitus probata. Inde magnæ diſputationes in Academia ortæ ſunt de lege cœlibatus, de votis Monaſticis & ſimilibus. Lutherus ex ſuo pathmo miſit Propoſitiones de votis, & totum laqueum legum & votorum impiorum vno ictu conſcidit. Eas propoſitiones cum primum legeret D. Bugenhagius Pomeranus, dixiſſe ſcribitur: Hæc res mutationem publici ſtatus efficiet, doctrina vero ante has propoſitiones tradita publicum ſtatum non mutaſſet. Ita laqueus contritus eſt, & multi ſunt liberati ex triſti ſeruitute conſcientiarum & corporum.

Monachi liberantur ex monaſterijs.

Ludouicus ex conſilio Principum vincula quædam obedientiæ iniecit Bohemiæ, & gubernatorem generalem regni nominauit Carolum Monſterbergenſem, frementibus & indignantibus Bohemis. Ipſe paulò pòſt in Pannoniam regreſſus eſt, quæ ipſi nihil parebat.

Carolus Monſterbergenſis conſtituitur gubernator Sileſiæ.

Anno 1523. Romæ Adrianus, qui nimis erat hebes ad aulam Romanam, & fortaſſis melior, quam decebat Pontificem illius ætatis, Idibus Septembris mortuus eſt febricula, vt ſcribunt ſatellites Pontificij, quam contraxerat quarto Auguſti, dum in magno æſtu miſſam canit, ſed potius, vt adhuc hodie notum eſt in Italia, ex veneno, quod Cardinales hoſtiæ, vt nominant, in miſſa illeuerant: Succeſſorem habuit Iulium Medicen, qui ſe nominauit Clementem Septimum: is euertit Romam: huic cum fortiter & fœliciter ſe opponeret Pompeius Columna Cardinalis, vulgo à Poëtis ſcriptum eſt, Romam rurſus à Pompeio & Iulio turbari, quærendum igitur eſſe nouum Brutum, & nouum Photinum.

Adrianus Pontifex Romæ ueneno tollitur.

Clemens Septimus oppugnatur à Pompeio Columna.

Franciſcus Galliæ Rex miſit in Italiam exercitum peditum 40000. inter quos plurimi erant Heluetij, equitum 1000. & tamen ille, adminiſtrante bellum Piſcario, à Cæſarianis longe inferioribus, per partes hinc inde oppreſſus & conciſus eſt. Vratislauiæ etiam hoc anno ſacerdotes duxerunt vxores.

Vratislauiæ ſacerdotes ducunt uxores.

Semina ſeditionis ruſticanæ orta ſunt anno 1524, ex tali occaſione, vt quidem vrbs Noriberga in ſuos annales retulit: Abbas quidam Sueuicus prope Vlmam habebat ruſticos ſeruos, & decedente agricola, ex veteri conſuetudine, abducere ſolebat iumentum aliquod: Tunc autem, mortuo villico quodam auriga, ipſe vxori & miſeris orphanis eripuit duos equos magni pretij, meliorem patrimonij nempe partem. Hac tyrannide moti ruſtici, primum con-

Ruſticanæ ſeditionis ſemina.

currerunt, & deinde aucto paulatim agmine tam crudele incendium ortum est.

In Italia memorabiles acciderunt vices rerum, & celeberrima fuit deinde etiam in nostra regione fama prælij Ticinensis. Annoto igitur præcipua capita euentuum, ex diuersis descriptionibus Pauli Iouij excerpta.

Ticinensis prælij historia.

Aestate anni 1524. duces Cæsariani penetrarunt in Galliam, & oppugnarunt Massiliam, maximo sed irrito cum conatu. Franciscus Rex incensus ira, omnibus viribus parauit bellum, & superatis Alpibus celeriter toto ducatu Mediolanensi potitus est, exceptis duabus vrbibus, Laude Pompeia, quo profugerat cum Hispanis Piscarius, & Ticino, quod defendebat cum Germanis Antonius Leua. Rex inutili consilio statuit oppugnare Antonium: Sed Germani fortissimè sustinuerunt obsidionem in quintum vsq; mensem. Anno demum proximo post mirabilis est secuta conuersio. Videbantur Cæsariani iam, penè profligati, expectare vltimum interitum: Pontifex etiam & Veneti ad latus nauis fælicius se inclinauerant. Sed quod sæpè aliâs accidit, tunc etiam fortuna inexpectato flatu Cæsari fauit.

Georgius Fronspergius & Marcus Sittius Germani ductores Cæsaris.

Venerunt auxilia ex Germania, quæ adduxit dux Borbonius, illisq; præerant Nicolaus Salmensis comes, Georgius Fronspergius & Marcus Sittius, maximi nominis duces: Piscarius igitur bellator ingenio & manu promtissimus euestigio victoriam sibi despondit.

Coniunxit Hispanos cum Germanis, & Ticinum ad eripiendos Germanos ex obsidione profectus est. Tota Italia, & multi Principes Galliæ monebant Franciscum regem, vt relinqueret obsidionem, nec cum audacissimo milite Cæsariano confligeret, cui paulò pòst esset defutura pecunia, & qui deinde sua sponte esset dilapsurus. Sed Rex ex sua quadam opinione statuit perseuerandum esse, & vrgendam oppugnationem: Piscarius diu, etsi vteretur artibus vaferrimè cogitatis, non potuit elicere Gallos ad dimicationem, tandem murum areæ, in qua castra locauerat Rex, quam Italiparcum nominant, cum sit septum ferarum, nocturno tempore perrupit, & partem agminis introduxit, ipse autem cum reliquo exercitu insecutus est.

Ea occasione Franciscus Rex iuuenis, & gloriæ cupidus, in aciem prodijt, & videbatur omnibus rebus superior esse Cæsarianis, tormentis, equitatu, & peditatu, qui constabat ex Heluetijs & Germanis militibus, quos appellabant legionem nigram. Initium etiam pugnæ fœlix fuit Gallis, profligarunt pedites Italos auulsos à reliquo exercitu, tormentis equitatum Cæsaris dissiparunt, & ipse equitatus Gallicus, genere armorum & disciplina militari illustris, latè equites Hispanos & Germanos, quorum non erant supra duo millia, submouit.

Verum

Verum inter præliandum, dum Rex ſtudio vincendi longius à peditatu progreditur, conuerſa fuit fortuna. Nam amiſſus fuit vſus tormentorum, & Piſcarius equitatum Gallicum à tergo & lateribus circumfudit ſclopetarijs Hiſpanis, qui illis ſuis longis cannis ferreis, tunc recens excogitatis, miſerabili procella glandium ornatiſſimos equites conciderunt, ita vt vnus ſæpenumero humilis & retorridus Hiſpanus duos nobiliſſimos equites, aut duos generoſos equos vno globo tranſuerberaret.

Hiſpani ſclopetarij ſternunt equitatum Gallicũ.

Cum ita ab equitatu initium fugæ oriretur, ſimul perturbati ſunt ordines Heluetiorum ab ipſis Gallis fugientibus, & Alphonſus Vaſtius cum peditatu Cæſariano ampliorem ipſis incuſſit terrorem, vt pene nihil motis armis turpiter aufugerent.

Legionis autem Germanicæ tantum fuit robur, vt ipſa videretur reſtituere poſſe prælium, ibi Piſcarius cohortatus Fronſpergium & Sittium, vt pro fortuna Cæſaris egregiè laborarent, ipſe inter primos, Germanos hoſtes in equo inuadit, ſed infœlici cum ſucceſſu. Nam ex equo deturbatus duo grauia accepit vulnera, ita vt pro mortuo haberetur.

Verum Fronſpergius & Sittius, ex peculiari ſua diſciplina, laxatis ordinibus, legionem nigram in medium accipiunt, eamq; acerrime ſe defendentem vniuerſam contrucidant, imprecati illis mala, quod nati in Germania ferrent arma contra Cæſarem. Interea profligato equitatu Gallico, nobiliſſimis Gallorum ducibus captis, aut interfectis, ipſe Franciſcus Rex prolabente equo capitur acceptis duobus vulneribus non magnis, & Lanoio traditur. Capto rege victoria à Cæſarianis vbiq; conclamatur, & Galli ſeſe dedunt.

Franciſcus Gallus capitur.

Rex abductus, diu altum tenuit ſilentium, tandem cum à Vaſtio benignè appellaretur in campo, reſpondit: Nihil magis ſe optaſſe quàm mortem, viuere tamen vnica hac ſpe, quod amplius in tota vita nihil triſtius ſibi accidere poſſet, quàm hoc quod iam ſuſtineret. Exiſtimarũt Pontificij, eum globis ſclopetorum non potuiſſe traijci, quod in pectore geſtaret fruſtulum ex ſacra cruce donatum ipſi à Leone Pontifice. Ceciderunt eo die, qui fuit ſacer Mathiæ Apoſtolo, & Caroli Cæſaris natalis, ſupra decem millia hominum. Cæſar, vbi de victoria reſciuit, vetuit excitatis ignibus aut ludis vllam ſignificationem publicæ lætitiæ dari, ſed per triduum preces in templis recitari iuſſit, vt victoria illa vtilis eſſet orbi Chriſtiano.

Franciſci Galli capti uox.

Carolus Quintus modeſte ſe geßit poſt uictoriam Ticinenſem.

Galliæ Rex aliquamdiu aſſeruatus in Italia, cum Pontificem & Venetos nihil conari pro liberatione ſui uideret, in Hiſpaniam à Carolo Lanoio Belga prorege Neapolitano, neſciente Piſcario, ductus eſt. Putauerat Franciſcus, Cæſarem illico amicè ipſum compellaturum, & inito fœdere in ſuum regnum dimiſſurum. Sed iuſſus fuit ſubſiſtere Madritti, & Cæſar per duos menſes eum non vidit.

Franciſci Regis morbus in carcere.

Ideo Rex ex mœrore animi in grauiſſimum incidit morbum, vt de vita ipſius dubitaretur, tandem Cæſar eum inuiſit, atq; amicè affatus & conſolatus eſt, ex ea animi lætitia eueſtigio vires in rege recreatæ ſunt, & morbus facili negocio ſuperatus.

Diſputatum fuit in ſenatu Cæſaris de conditionibus ferendis Franciſco, penè ſimili cum ratione & euentu, ſicut accidit apud Samnites poſt captas legiones Romanorum. Piſcarij & aliorum ducum hæc erat ſententia, vt Cæſar regem liberaliter dimitteret, cum eo amicitiam iungeret, & perſuaderet, vt ab Italia abſtineret: eandem vero Italiam Carolus veterum Cæſarum more perdomaret, & imperata facere cogeret, illudq; futurum eſſe factu facile omnes putabant.

Mercurinus, cuius ſumma apud Cæſarem erat autoritas, contra diſſerebat, non habendam eſſe fidem Regi captiuo, quam ille non eſſet ſeruaturus, vbi liber foret, aut gratia aut armis prius recipiendam eſſe Burgundiam, quam Galli, mortuo Carolo Burgundico, nullo iure ad ſe traxiſſent, deinde inito fœdere regem demum eſſe dimittendum: Italiam vero, deuicta Gallia, vltrò futuram in poteſtate Cæſaris. Carolus vero ſuo quodam fato oblitus illius dicti: medias vias in conſilijs plærumq; eſſe periculoſas, mediam ſententiam elegit: præſcripſit regi conditiones, quibus ipſe promittit reſtitutionem Burgundiæ, renunciat Italiæ, pollicetur Cæſari pecuniam, naues & alia quædam: deſpondetur ipſi ſoror Cæſaris Heleonora, traduntur Cæſari obſides, filij Regij Franciſcus & Henricus: niſi pacta ſeruet, ſpondet ſeſe denuo ſiſtere captiuum.

Carolus Quintus incaute propoſuit conditiones Franciſco captiuo.

Franciſcus rex turbatis conditionibus pacis, Cæſarem bello aggreditur.

Sed, quam primum fines ſui regni attigit, quod fuit ſub initium anni 1526. profitetur publicè nolle ſe pacta illa, expreſſa vltima neceſſitate carceris, ſeruare: & cum Pontifice atque Venetis fœdus facit contra Cæſarem, eo euentu, vt ex breui interuallo Roma bis vnà cum ipſo Pontifice caperetur: Veneti demum ſupplices pacem à Cæſare precari cogerentur, & Galliæ Rex ornatiſſimo exercitu ad Neapolin, Duce Lotrechio miſerè perdito, pro filijs obſidibus vicies centena millia aureorum exolueret. Sed has hiſtorias perſequi inſtitutum noſtrum non patitur.

Ruſticana ſeditio in Germania.

In Germania ille annus 25. fatalis fuit furore ruſticorum, qui vbiq; arma ſumebant contra Magiſtratum. Commouebant eos fanatici concionatores, qui ſimulatis viſionibus & Enthuſiaſmis miſeros homines dementabant & inflammabant. Conciſa fuerunt in diuerſis locis ſupra 50000. ruſticorum.

Friderici Electoris Saxoniæ mors.

Optimus Princeps Fridericus Saxoniæ Elector triduo ante mortem, ſub initium tumultus ruſticani, orti etiam in Thuringia, concitante plebem Monetario, homine deliro & fanatico, miſit Epiſtolam ad fratrem Ducem Iohannem, in qua conſolatur fratrem, narrat ſperare ſe, Deum omnino protectorem fore iſtius regionis,

& hunc

& hunc errorem plebis non fore longum : monet vt per paſtores homines de ſuo officio rectè erudiantur, & vt ipſe comparatis præſidijs, & paucis caſtigatis, parcat multitudini : poſtremo ſignificat, natura ſua vi morbi ſuperata, ſe iam in cœleſtem vitam migrare, vbi ſeſe denuo ſint conſpecturi & complexuri. Paruit huic conſilio optimus Princeps, & ſuam plebem facile ad officium reuocauit.

Piſcarij fortiſſimi ducis obitus.

Menſe Nouembri eiuſdem anni in Italia ex Hectica febri deceſſit Ferdinandus Daualus Piſcarius, bellator virtutis & fortunæ admirandæ. Vix exceſſerat annum ætatis 34. & tamen nullus ex ductoribus in Europa ipſi poterat comparari. Octies aut etiam ſæpius iuſta acie conflixit, & ſemper fuit victor, præterquam in prælio Rauennenſi, vbi fuit adhuc Tyro.

Tantum illius induſtriæ & fortunæ tribuit Italia, vt Pontifex & Veneti offerrent ipſi poſſeſſionem regni Neapolitani, ſi vellet deſerere Carolum : cui tamen ipſe, etſi pro tantis rebus geſtis non multa obtinuit, fuit fidiſſimus. Ducatus certè Mediolanenſis & Galliæ Rex, ita volente Deo, viri huius virtute capti ſunt.

Vratislauiæ emendantur Eccleſiæ.

Vratislauiæ in Sileſia hoc anno, docentibus D. Ambroſio Moibano, & D. Iohanne Heſſo, emendati ſunt ritus Eccleſiaſtici, aboliti impij cultus ſtatuarum & conſecrati panis : paſſim etiam in alijs Sileſiæ oppidis Euangelij lux innotuit, ſed intermixti fuerunt fanatici doctores, qui multos turbarunt. Nobilis clades ad Mogatium & interitus Regis Ludouici accidit anno 1526. Hiſtoriam illam recenſeo.

Ludouici regis interitus.

In veteribus fabulis ingenioſè ſcriptum eſt, matrem terram ante tempus belli Troiani ſupplicem factam eſſe Ioui, grauiterq; conqueſtam, intolerabili ſe pondere hominum malorum & vita indignorum premi, iniret igitur rationem, quomodo ſibi poſſet conſuli. Iouem vero re deliberata excitaſſe bellum Troianum, vt iſta tot gentium cæde terra ab inutilibus ponderibus leuaretur & repurgaretur : Ita propemodum tunc Pannoniæ peccata hominum attraxerunt pœnas publicas.

Hungariæ regnum fatales ſuſtinet clades.

Euerſæ erant magna ex parte leges ſub Vladislao, qui nimium conniuebat, creuerat in ocio luxus, ſuperbia, tyrannis in ſubditos, cumulabantur idola, cultus ſtatuarum portentoſo modo. Vladislao mortuo ſucceſſit adoleſcentulus Ludouicus, præſtans quidem naturæ bonitate & ſingulari modeſtia : ſed deerant ipſi idonei rectores. Conſtitutæ ſunt ſtatim factiones inter proceres, Epiſcopos & Principes, & verè inducebatur quædam ἀναρχία : Iohannes Veidanus, cuius pater ſub Mathia inclaruerat, gerebat ſpiritus indomitos, præſtabat opibus, coniunxerat ſibi affinitate regem Poloniæ, deſpondebat ſibi gubernationem regni, illi reſiſtebat Cæſar Maximilianus, demum etiam Sigiſmundus.

Adiunctus

Adiunctus fuit tandem adolescenti Georgius Brandeburgensis, Princeps cognatus, bonus & sapiens, sed prævalebant studia nobilitatis Hungaricæ. Imminebat ipsis potentissimus hostis, quem errore & superbia attraxerant, eripuerat ipsis præcipuum regni propugnaculum, & tamen non parabantur necessaria ad defensionem. Bona regia abripuerant harpyæ, præsertim Episcopi, & ea profundebant immani cum luxu.

Scripsit vir illustris Dominus ab Herberstein, vidisse se aliquot conuentus Hungaricos illo tempore, ingressos fuisse Episcopos, & proceres regni aliquos splendore plus quam regio, ita vt tota vrbs perstreperet tubarum clangore, & tympanorum crepitu, non secus ac si quotidie de hoste deuicto duceretur triumphus: Viæ publicæ, inquit, equitantibus Episcopis ab omni parte refertæ erant sectatoribus & seruis, epulantibus illis audiebatur primum tubarum & tympanorum quasi tonitru, deinde concentus Musicus, dignus magnis Monarchis.

Interea in aula Regis adolescentis erat solitudo, adeoq; detracti ipsi erant nerui, vt interdum egeret: petebatur vinum ad mensam regiam ex cellis vrbanis ciuium, & lagenæ ipsæ sæpe exhauriebantur ad contumeliam regis à petulantibus seruis procerum in vestibulo.

Ipsi Episcopi & Principes certabant odijs, æmulatione, pompa, nec curæ ipsis erat regni salus. Nam interea dum sese pascunt, limites regni erant nudi à militibus, armis & pecunia, ita patebat hosti aditus facillimus. Intuebantur exemplum Hungariæ etiam reliquæ prouinciæ, quæ & ipse in tanto periculo minus erant vigilantes, minusq; liberales quam oportebat. Nam scimus, negatam fuisse regi adolescenti in bellum Turcicum summam nõ magnam: quod deinde sæpe fuit deploratum à prudentibus. Hoc nimirum est, quod dixit Poëta: *Nam cætera regna*
Luxuries vitijs, odijsq; superbia vertit.

Irruebat Solymanus copijs ingentibus, impositurus tandem finem bello Hungarico, regnumq; in suam potestatem traducturus. Belgrado Balibeio duce leuioris armaturæ equites emisit, qui Pannoniam longè latéque effuse populati sunt. Ludouicus in isto metu bellico Oratores miserat Spiram, vbi tunc erat conuentus imperij, & solicitè admodum à Germania, præsertim à Sororio Ferdinando opem petebat.

Ludouicus rex non impetrauit auxilia à Germania.

Intelligebant aliqui periculi magnitudinem, & suadebant, vt conscriberentur copiæ: multi verò in illa voluntatum distractione, alias serebant suspiciones, ita vt aliud perfici non posset, nisi quod decreta est legatio ad inspiciendas res Hungariæ, sed antequam ea redijt, iam perierat Rex, & Turcus Budam inspexerat.

Misit

Misit etiam ad patruum Sigismundum aulæ suæ magistrum virum fidissimum Trepconem, qui eum interpellaret de auxilijs tam necessario suo tempore, aut si ea non impetraret, saltem exoraret Sigismundum, vt ad fines Hungariæ ad paucorum dierum colloquium accederet: cupere enim Ludouicum ipsius vti consilio. *Ludouicus frustrà à patruo Sigismundo colloquium expoſcit.*

Neutrum potuit obtineri. Nam Sigismundus longè à Pannonia Dantiscum progressus est, vt motus vrbanos ibi sedaret. Ibi legatus ille obortis lacrymis, cladem futuram præsagiens, dixit, Ergo, inquit, Rex, nec̃ dulcem tuum nepotem amplius in hac vita intueberis, neque aliam ab eo vnquam habebis legationem. Et quidem iste nimis verus vates post paucos dies vnà cum domino suo interfectus est. Conuocauerat ordines in isto metu panico Rex Budam, deliberatum est de arcendo hoste, Episcopi appellati de auxilijs, milites & pecuniam infideliter contulerunt. Nobilitas ebria ocio & luxu superbè Turcos contemnebat, quos concisuros & deleturos se exigua manu iactabant.

Volitabat in cœtibus hominum Paulus Tomoræus, Monachus quondam Franciscanus, tunc vero Archiepiscopus Collocensis: is, vt homo imperitus & Thrasonicus, petebat sibi imperium in exercitum, & monstrabat manu, quomodo esse profligaturus hostes: Illic̃ credebatur, quod aliquando excursores Turcorum non infœliciter repressisset. Decretum est igitur bellum magno animo, adductæ sunt etiam paucæ cohortes peditum conscriptæ in Germania, & Bohemia, ex pecunia indulgentiarum, vt narrabatur, illisque adiunctus equitatus, ita vt vniuersæ copiæ non excederent numerum vicies quinque millium. *Paulus Tomoræus Monachus bellator.* *Ludouici copiæ exiguæ.*

Ludouicus ipse, Maria regina Posonium remissa, exultabundus Buda egressus est, & omnium magna erat alacritas. Ideo deinde multus inter prudentes fuit sermo, nullum vnquam regnum maiori cum lætitia amissum esse, quàm illud: proponebant aliqui saniores ex consiliarijs, vt parceretur ætati regis, qui vix vigesimum annum excesserat, & is extra periculum Budæ relinqueretur, sed vicit Tomoræus, vt ipse Rex coram spectator esset fortitudinis suorum militum.

Exercitum regium cito adepti sunt antecursores Turcici, duce Balibeio, qui ad omnes partes diffusi regijs comeatum intercipiebant, eosc̃ prohibebant ab aquatione. Inter has difficultates ventum est ad Mogatium oppidum, medio loco positum inter Budam & Belgradum: ibi regij compulsi intra castra, quæ carris & plaustris obsepserant, cum arcerentur à flumine, puteis effossis in castris, metu hostilium incursionum, aquam quærere coacti sunt. *Turci antecursores inuadunt exercitum Ludouici,*

Disputatum est igitur in consilio Regio de conserenda pugna. Ductores Germani & Bohemi maximè dissuadebant prælium, in illa tanta copiarum imparitate, & differebant non videri humanum

num esse, singulos Christianos octonos Turcos, eosque strenuos & bene armatos posse sustinere, hortabantur igitur regem, saltem aduentum Iohannis Veidani, qui cum suo agmine statim venturus esse putabatur, expectaret.

Iohannes Veidanus non uenit in castra regis.

Sed Tomoræus, partim ex temeritate partim ex ambitione, contra disseruit. Videbat Iohanni superuenienti tradendum esse imperium exercitus, etsi ipse forte assis nunquam constituerat opitulari regi, deinde adeo inflatus erat fiducia sui roboris & fortunæ, vt Turcos, quamuis iam castigatus ab illis, insolenter adhuc aspernaretur.

Ludouicus fuit proditus à suis.

Assensus fuit huic Georgius Sepusiensis frater Iohannis, qua ratione non liquebat: spargebatur tamen tunc palàm, regem domesticis hostibus, qui nihilo ipsi fuissent æquiores quàm Turci, circumdatum fuisse. Franciscus tamen Perenus Episcopus Varadiensis detestatus Tomoræi imprudentiam & temeritatem, publicè dixit, futurum se vatem, quid Monachus ille imperator esset effecturus: præuideo enim, inquit, eum Christianis fastis inserturum diem à cæde triginta millium martyrum Hungaricorum celebrem, qui pro defensione religionis à Turcis trucidati sint.

Francisci Pereni Episcopi præsagium de clade Mogatiensi.

Ipse Rex vrgentibus suis dixisse fertur, optare se, vt omnes sint forti & præsenti animo, se quidem non futurum ignauum nec sanguini suo se velle parcere. Postridie igitur, qui dies festus est ob memoriam interfecti Baptistæ, Tomoræus instruit aciem, permistis inter se equitibus & peditibus, vt ordinibus ita dilatatis ab hostibus circumdari non possent.

Ludouici uox ante prælium.

Memoria proditum est, regem in tertium ordinem agminis fuisse collocatum, & in ipso conflictu impetu pugnæ ad primos fuisse protrusum. Prope tamen vallum castrorum apposita erat ala lectissimorum equitum, vt ea regi, si euentus prælij non responderet, præsidio esset. Sed longe aliter res cecidit quàm putauerat Tomoræus.

Ludouicus collocatur in primã aciem.

Præfecerat Solymanus suo exercitui duos præfectos præcipuos, Habraymum & Becramum, eos cum monuisset, quid fieri vellet, eductis copijs ex castris, tormenta in hostem displodit, ea verò etsi magnitudine & numero essent eximia, tamen Christianis nihil nocuerunt, & vix apices hastarum perculerunt. Tormenta Ludouici pauca & futilia etiam hosti nihil attulerunt incommodi.

Mogatiense prælium.

Tunc vero Turci extendentes latissima agmina sua, non modo Christianam aciem vndique circumfuderunt, verum etiam eodem impetu & tractu ad ipsa vsque castra regis peruaserunt. Cadit inter primos Tomoræus, totus equitatus fœdè conciditur, ala equitum quæ iussa fuerat operiri regem, in Turcos, qui castra adoriebantur delata est. Orta igitur effusissima fuga, Rex prælio sese eripit.

Traditum

Traditum est tantum fuisse fugientium pauorem, vt vnus Turcus immistus primis agminibus regijs, multis nobilissimis & fortissimis Hungaris capita acinace suo nemine sese defendente detruncaret, donec Germanus miles conspecta rei indignitate eum hasta transfixit. Georgius Sepusiensis, cum equo in nauim insilire niteretur, in flumine perijt. *Hungarorum fugientium pauor.*

Rex autem insidens equo vasti corporis, & grauibus protectus armis, vno modo comitatus cubiculario suo Cetericio Silesio, ad amnem non magnum venit, quem minister agilior facile transijt, Rex autem secutus eum inuenit vadum à fugientibus turbatum & cauatum, ita vt minus esset peruium. Equus igitur in luto hæsit, quem cum Rex impelleret, dicitur ripam extractis pedibus anterioribus appetijsse, sed cum posteriores explicare non posset retroactus esse & collapsus supra regem, atque regem in limum altè deturbatum, itaq; suffocatum esse in illa ignobili aqua, cuius profunditas scribitur non superasse sex palmos. *Ludouicus rex suffocatur in aquis.*

Locum illum, cum Regi nullam opem afferre potuisset Cetericius, notauit: ex cuius indicio deinde corpus regium repertum est. Dicuntur interfecta esse quindecim millia Christianorum, propè sine vulnere Turcorum. Solymanus tanta victoria parta Budam profectus est & 14. Septembris vrbe & arce potitus est. Inuisit ipse quidem regiam arcem, sed in ea non pernoctauit, quod hoc vetaretur lege Turcica. *Cetericius Silesius fuit spectator mortis Ludouici.* *Solymanus occupat Budam.*

In castris ad eum allata sunt Episcoporum & procerum interfectorum cruenta capita septem, quæ cum ex ordine collocata essent, & à satrapis, qui eos strenuos Papas appellabant, salutarentur & irriderentur, Solymanus nomina eorum percunctatus est. Deinde vehementer detestatus est Ladislaum Strigonjensem, qui regi expetenti negauerat mutuo aurum ad vsum belli, quo tamen maximè abundabat. Merito igitur eum ob auaritiam & perfidiam pœnas luisse dicebat Turcus. *Solymanus detestatur furores Episcoporum.*

Tomoræum arguit propter temeritatem, quod ex latebris Monasticis erumpens maluisset esse bellator quàm monachus. Perenum Varadiensem ob fidem erga regem suum commendauit. Ostensa sunt ipsi demum simulacra Ludouici & Mariæ: vbi palam dixit Turcus, misereri se calamitatis Regis adolescentis, quem insani consiliarij ad prælium & mortem præcipitassent, neque venisse se in Hungariam, vt Ludouico regnum eriperet, sed vt iniuriam & ignominiam acceptam ab Hungaris vltore suo acinace vindicaret.

Ideo, si Rex discrimen prælij euasisset, omnino se fuisse ipsi redditurum regnum, mediocri tributo imposito, quod sciret eum culpa vacare, & sibi glorioſum putaret, si conseruare potuisset nepotem amici sui regis Sigismundi, eumq; qui propinqua affinitate coniunctus esset familiæ Austriacæ florentissimæ. *Solymanus præ se fert dolorem propter necem Ludouici.*

Hæc Mariæ reginæ, quæ tunc Posonij erat, nunciari iussit. Ipse interea per 10. dies, quibus Budæ commoratus est, prædatorias manus in omnes partes Hungariæ emisit, quæ vltra 150000. omnis sexus & ætatis homines mactarunt, aut in seruitutem abduxerunt.

Solymanus ex arce Budensi abstulit ueteres statuas.

Ex arce Budensi, quæ mirifico studio Mathiæ Regis fuit exornata, abstulit tres statuas æneas, prisci & exquisiti operis, Herculis cum claua, Apollonis Cytharædi, & Dianæ cum pharetra, eas tanquam trophæum victoriæ Pannonicæ Byzantij in Hippodromo collocauit. Abduxit etiam tria inusitatæ magnitudinis tormenta, quæ olim Mathias capta bello, ex Bosna aduexerat.

Ludouici sepultura.

Discedente hoste, corpus Regis ex limo extractum, die S. Martini Pannonij in Alba regali, regia, sed miserabili cum pompa sub terram conditum est. Hæc est historia necis Ludouici Regis, adolescentis optimi & modestissimi, de quo verè vsurpari illud querulum carmen de Pallante potest:

Quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.

Pannoniæ ea fuit fortuna, vt deinceps fermè semper posterior dies priori, vt olim dictum est, ipsi tristior & grauior illuxerit. Redundauit etiam hoc detrimentum ad orbem Christianum vniuersum, qui dormitantibus, aut inuicem pugnantibus nostris Principibus, commodissimum illud propugnaculum vidit à latronibus Scythicis discerpi, & immani seruitute opprimi. Faciat Deus & magnus Michaël, qui stat in excubijs pro filijs populi sui, ne nostri etiam niduli, extincta luce sanctæ doctrinæ, & euerso ordine politico, fiant stabula prædonum Turcicorum.

Iohannes Veidanus à quibusdam acclamatur Hungariæ rex.

Sepulto Rege indictum est armatum concilium, pro more gentis, ibiq; Iohannes Veidanus, qui arma tenebat, & cui mors Regis, non solum grata, verumetiam quæstuosa erat, aliquorum procerum suffragia impetrauit, à quibus Rex renunciatus est, illique imposita corona regni. Sed multi ex honestioribus, memores veterum pactorum, contulerunt se ad Ferdinandum Austriacum, ad quem regnum iusto ordine detulerunt.

FERDINANDVS PRIMVS, ROMANORUM Imperator, Hungariæ & Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ, Princeps Silesiæ.

PErduximus annales nostros ad exitum vsque Ludouici Regis, quibus nunc finem imponimus, non modo, quòd historiam sui temporis scribere iudicetur esse periculosum, sed multò magis, quod

quod res gestæ in Hungaria, & apud alias gentes exteras, luculenter prius descriptæ sunt, partim à Iouio Italico, partim à Sleidano: & speramus adhuc alios, sapientia, iudicio & vsu rerum præstantes, daturos meliora. Silesiæ vero status Dei beneficio talis fuit, vt historiam bellorum aut aliarum tragicarum calamitatum texere non possimus.

Silesiæ bene fuit sub Ferdinando rege.

Exculta est sub potentissimo Cæsare Ferdinando hæc Prouincia literis, religione, opibus, honesta disciplina, morum & ædificiorum elegantia, neque intra annos 76. ex singulari Dei benignitate bellum experta est, cum pleræq; ex vicinis regionibus grauiter sint concussæ. Regnante etiam hoc Rege non fuit oppressa enormi aliqua fame, qualem viderunt aliæ gentes, atrocissima etiam pestilentia, qualis olim frequens in hac terra sæuijt, non est conspecta. Quæ quidem beneficia diuinitus collata, grata mente agnoscere, & vera vitæ pietate celebrare nos decet.

Delineationem regionis, qualis nunc est, formam status publici, & mores gentis, breuiter altero in libro describemus. Simul vero gratam & honorificam, cum perpetuo obseruantiæ cultu, memoriam retineamus optimi & beneficentissimi nostri Cæsaris Ferdinandi, quem Deus in illa fatali ruina imperiorum, & inter excidia multorum populorum euexit, texit & gubernauit, ipsiusq; cursum voluit esse salutarem omnibus suis regnis, & huic imprimis nostræ patriæ.

Ferdinandus Primus est expertus præsentiam Dei.

Nam si quis Principis huius curriculum mente complectitur, is manifesta signa præsentiæ Dei intuetur, qui inter maxima pericula bellorum & motuum, ærumnas clementer lenijt, & tolerabiles dedit euentus. Natus fuit Ferdinandus Medinæ in regno Castiliæ Hispaniarum anno 1503. 10. Martij, hora pomeridiana decima, patre Philippo, Maximiliani filio, & Iohanna filia Ferdinandi & Isabellæ in Hispanijs.

Ferdinandi natalis.

Amisit patrem extinctum maligna febri, quam contraxisse scribitur ex liberaliori & Germanico victu in nouo & insueto climate, cum nondum explesset annum ætatis 4. Ingenij bonitas & vis maturè in ipso eluxit. Auide & rectè didicit linguam Latinam, neque solum vtiles scriptores cum legeret, rectè intelligebat, sed etiam animi cogitata eleganti & vere Romano sermone exponebat, eóque familiariter vtebatur.

Ferdinandi studia & præceptores.

Secutus est magistros Ludouicum Viuem & Erasmum, quem semper nominabat præceptorem. Initia Mathematum in prima ætate cupide hausit, adeoq; artes illas amauit in ætate prouectiori, vt ex inspectione τῶν αὐτομάτων præcipuam caperet oblectationem, quando animum defatigatum ærumnis & laboribus gubernationis, ex contemplatione admirandæ harmoniæ motuum in corpo-

Ferdinandus Erasmum semper nominauit præceptorem.

ribus cœleſtibus recreabat. Eáque in arte ita fuit exercitatus, vt eum nullus Princeps huius ætatis ſuperaret, & poterat cum præſtantiſſimis artificibus de difficillimis hypotheſibus eruditè & accuratè diſſerere.

Ferdinandus ſtudioſe coluit fratrem Carolum.

Mortuo vtroque auo, & fratre ad dignitatem imperij vocato, Auſtriam pro parte patrimonij ſui poſſidendam accepit, & quamuis fratris longè latius eſſet imperium, tamen illi volens ceſſit, eum dilexit & obſeruauit ſtudioſiſſimè, ita vt ſingulare exemplum fidei & concordiæ fraternæ eſſent iſti duo Monarchæ, quale non crebro in hiſtorijs oſtendi poteſt.

Ferdinandi caſtitas coniugalis.

Ex autoritate Cæſaris aui deſponſata ipſi fuit Anna Vladislai Regis filia, cuius Reginæ ea in Deum & homines fuit pietas, vt ſanctis & heroicis matronis, Saræ, Abigail, Eſther, & alijs poſſit iure annumerari. Vixit cum ea in coniugio caſto & dulciſſimo optimus Princeps, ſicut Theodoſius cum ſua ſancta Placilla, ad annum vſque 26. Ipſaque domina quindecies fuit puerpera.

Anna regina coniunx Ferdinandi quindecies fuit puerpera.

Audiuimus Cæſarem noſtrum aliquando compellatum fuiſſe à ſuis, qui putabant minus rectè fieri, quod reginam coniugem, & gynecæum ad conuentus imperij ſecum duceret propter ſumtuum magnitudinem, illis Cæſar piè & prudenter reſpondit: Eſt, inquit, honeſti Principis in coniugio caſtè viuere, & conſtat plura profundi in libidines vetitas, quam in ſumtus honeſtæ vitæ coniugalis.

Ferdinandus coronatur Pragæ.

Extincto ſororio Ludouico renunciatus eſt primum Bohemiæ Rex, & Pragæ coronatus eſt 24. Februarij. Calendis Maij eiuſdem anni 1527. vnà cum regina Vratislauiam ingreſſus eſt. Excipiebatur ſingulari omnium ordinum ſtudio & gratulatione, qui lætabantur in illo publico luctu, & periculo Deum his regionibus rurſus præfeciſſe Regem ſapientem & potentem, qui arcere poſſet à ceruicibus noſtris gladios barbaricos. 20. Maij Rex Suidniciam profectus eſt, & inde, edoctus de commutatione rerum in Hungaria, celeriter Budam properauit cum exercitu, quem ducebat Nicolaus Salmenſis.

Ferdinandus primum ingreditur Vratislauiam.

Ferdinandi copiæ Iohannem Veidanũ ex Hungaria eijciunt.

Iohannes Budam deſeruit, eum tamen aſſecutus eſt exercitus Regius ad Tocacium & prælio commiſſo 25. Septembris, à Rege profligatus eſt. Cæſus deinde à Iohanne Catianero, & amiſſis reliquijs ſuorum in Poloniam fugit. Ferdinandus pulſo hoſte coronam regni Hungariæ vnà cum Regina accepit, regnumq; in ſuam traduxit poteſtatem.

Hieronymi Laſci conſilium perdidit Hungariam.

Iohannes inuenit hoſpitium & auxilia in Polonia, & ex conſilio atque ope Hieronymi Laſci, viri ingenioſi, rerumq; aulicarum valde periti, in fidem Tyranni Turcici ſe dedidit, ex quo conſilio impiè ambitioſo, in totum orbem Chriſtianum vere illas malorum redundauit.

Fuit

Fuit quidem Cæsar noster præliator minus fœlix, quàm Carolus frater, sicut nec Augustus ad arma natus erat, tamen in illis difficillimis fluctibus bellorum, & in tanta armorum imparitate, manifeste conspecta est dextera Dei, qui Regem nostrum & hæc regna aduersus tantam potentiam, qualis nunc est Turcica, clementer defendit, & quamuis præcipui tractus Pannoniæ amissi sunt, tamen mirifica Dei ope repressi sunt barbari, & sæpe parua manu territi, ne progrederentur vlterius, & vicinas regiones absorberent.

Ferdinandum Deus texit cõtra potentiam Turcicam.

Quaternis expeditionibus terribilibus ipse Solymannus tanquam horribile fulmen nostrum Regem inuasit, & quidem spe sua totam Germaniam iam deuorabat. Sed à mœnibus Viennæ planè diuina ope, sicut rex Assyrius ab vrbe Hierosolyma, magna parte exercitus amissa, repulsus est, & deinceps etiam reiectus, ne in vicinam Germaniam posset transire. Debet igitur proculdubio æternam gratiam huic Cæsari Germania, quem Deus voluit esse murum patriæ aduersus irruptiones Tyranni audacissimi & fœliciſſimi.

Solymannus quater regnãte Ferdinando uenit in Hungariam.

Solymanus ab obsidione Viennæ à Deo repulsus est.

Qualis fuerit ipsius gubernatio & vita interior, publicè notum est. Olim & recens de aliquibus Principibus pronunciatum fuit dictum Dionis de Antonino Pio, quod profecto in nostrum Cæsarem imprimis congruit: Similis sibi semper fuit, nec mutatus est vlla in re vnquam. Erat autem bonus, & nihil erat in eo ascitum, plurimum autem iuuabatur à doctrina. Item hoc, quod de imperatore Seuero scriptum est: Fuit intentus in ea, quæ agenda erant, & populi fabellas neglexit.

Ferdinandi bonitas, industria & reliquæ uirtutes.

Enituerunt in nostro Imperatore præcipuè hæ virtutes, Pietas, Iusticia, Clementia, Humanitas vel Affabilitas, Temperantia & diligentia, seruans ordinem in omnibus actionibus. Fulgebat in ipso ardens studium pietatis erga Deum, quem in vera fide intuente misericordiam Dei inuocabat: publicè etiam quotidie preces fundebat, quibus Ecclesiæ & imperiorum salutem Deo commendabat.

Ecclesiæ nomen maximè veneratus est, & cum motæ essent controuersiæ de multis articulis doctrinæ, ipse Ecclesias emendatas in hac nostra Silesia non oppressit: sed legitimam in pia Synodo multarum gentium fieri voluit cognitionem, eáque, quod non coiret aut insidiose turbaretur, acerbe indoluit.

Ferdinandus non oppreßit Ecclesias in Silesia.

In morbo etiam suo extremo, non desijt laborare, quomodo Ecclesijs distractis, pia posset afferri concordia, ita vt verum fuerit de ipso, quod D. Ambrosius scripsit de suo Cæsare Theodosio, à quo hic noster natura & instituto non valde fuit dissimilis: Dilexi virum, qui, cum corpore solueretur, magis de Ecclesiarum statu, quam de suis periculis angebatur.

Ferdinandus fuit similis Theodosio.

Erat præterea custos legum & ordinis politici diligentissimus: æquale ius dicebat potenti & inopi: parcebat supplicibus, & multis, qui graues pœnas erant meriti, clementer ignouit. Fluctus etiam ciuilium bellorum singulari cum prudentia sedauit, offensionibus medebatur, & tandem sua autoritate Carolum fratrem flexit, & pacem salutarem Germaniæ reddidit, quæ tamen semel motis armis intestinis, non videbatur etiam ex sapientum iudicio, nisi euerso imperio conquietura.

Ferdinandus fuit amans pacis.

Distribuebat necessarias operas diei in certas horas, quas seruabat accuratissimè, & in tanta corporis imbecillitate sustinebat labores, qui etiam robustissimis videbantur futuri intolerabiles. Sed alebat vires mentis & corporis temperantia & sobrietate, plane inusitata in hac nostræ ætatis ingluuie, ita vt constanter referatur, Cæsarem non visum esse ebrium. Sæpe solum prandebat, & quidem sine longa pompa epularum, vt cognitioni causarum & deliberationibus iustum tempus posset tribuere, peracto prandio promiscue exponebat se omnibus, audiebat omnium, etiam infimorum, sermonem & petitiones, omnibusq; commode respondebat.

Ferdinandus fuit tolerans laborum.

Ferdinandi temperantia.

Ferdinandi affabilitas.

Narratur obiurgatum fuisse cubicularium ab ipso acriter, qui noluerat fœminam humiliorem ad colloquium Regis admittere, & addidit Cæsar: Si nos excludimus inopes à conspectu nostro, quid nobis ipsis ad tribunal Dei eueniet?

In mensa familiariter audiebat sermones doctorum de natura rerum, aut alia parte vtilis doctrinæ: vbi ipse non modo multa prudenter scisciabatur, sed etiam eruditè suam sententiam ostendebat: sæpe etiam ex occasione colloquiorum intermiscebat apophtegmata Ethica, ingeniosè & rotunde cogitata: quibusque, sicut Augustus, & multi alij Principes, in quibus fuit heroica quædam melancholia, delectabatur.

Ferdinandi ingeniosa apophtegmata.

Accidit in puncto, quod non speratur in anno, solebat dicere, vbi quid præter expectationem euenisset. Subiecerat vero quidam ex consiliarijs: Perditur in puncto, quod non reparatur in anno: Cæsar rursus respondit: Incommodo isti medentur piæ preces & sapiens consilium. Sed ego non institui panægyricum, quem fortassis scribent alij, verum breuem in calce historiæ de nostra patria etiam patris patriæ mentionem facere debui, qui cum ornatus esset illis virtutibus, quas nominaui, & quæ in gubernatore sunt summæ, rursus Deus eum ad supremæ dignitatis fastigium euexit, largitus est illi senectam tranquillam, florentem autoritate, gratia & laude apud omnes, quam multi alij potentissimi reges & bellatores non sunt adepti, quos ad extremum fortuna destituit & euertit. In ipso autem verè apparuit exemplum huius diuinæ promissionis: Beati mites, illi possidebunt terram. Nam vera pietas & clementia

Ferdinandus floruit in senecta.

ipsi

ipsi fuerunt fructuosæ, & amplum atque fœlix ipsi pepererunt imperium. Exitus etiam planè congruit ad dictum: Plantati in domo Domini, etiam in senecta florebunt.

Ferdinandi exitus placidissimus.

In morbo, quem ex assiduitate laborum & curarum contraxerat, vera fide conuersus ad filium Dei insignia testimonia pietatis suæ in Deum, inuocationis, spei & patientiæ edidit, & in vera inuocatione filij Dei placidissimè decessit 25. die Julij, quo celebratur recordatio Iacobi Apostoli, filij Zebedæi & Salomes, hora à meridie sexta, anno 1564. Consumtus fuit longa tabe: & in sectione animaduersum est, pulmones ex longis destillationibus vitium & putrilaginem aliquam contraxisse. Vixit annos 61. menses 4. dies 14. horas 20.

Austriaca familia est talus in Gigantea, statua Danielis.

Oremus omnes pijs votis æternum Deum, patrem vnici Saluatoris nostri Iesu Christi, vt ipse inter nos perpetuo sibi colligat Ecclesiam, sit custos ordinis politici in his regionibus, tueatur sanctissimum magistratum nostrum Maximilianum Secundum Imperatorem, omnium votis exoptatissimum, & inclytam familiam Austriacam, quam ipse in hac mundi senecta ruentis Monarchiæ Romanæ voluit esse columen, & talum in illa Gigantæa Danielis statua, qui compagem adhuc fulciret & sustineret, donec æternum regnum filij Dei inchoetur, eosque Principes, quos præ cæteris ornauit pietate, humanitate, affabilitate & temperantia, diutissimè in florenti cursu gubernationis, repressis Diabolis & omnibus satellitibus ipsorum, Turcis & alijs, conseruet, vt ipse verè inter nos agnoscatur & celebretur, & multi fiant hæredes æternæ vitæ & gloriæ, partæ per Filium Dei Redemptorem nostrum.

ALTERA PARS ANNALIVM SILESIORVM, COMPLECTENS DESCRIPTIONEM REGIONIS, FORMAM STATVS publici & annotationem euentuum particularium, qui inclytæ vrbi Vratislauiæ & ducatui Glogouiensi acciderunt.

GLOGOVIA JOACHIMI CVREI FREISTADIENSIS.

IN ARGONAVTICO CARMINE Apollonij, heroes Græci deliberantes de reditu, accersunt quendam ex suis peritiorem, Phryxi filium, qui situm terrarum callebat: is narrat, apud Aegyptios in templis vidisse se tabellas religiosè suspensas, in quibus metæ totius terræ, ambitus Oceani, fontes & cursus fluminum, spacia regionum & vrbium insigniorum loca picta fuerint. Et in narratione Herodoti, Aristagoras Milesius Spartanis ostendit æneam tabulam, cui situs & figura orbis terrarum & maris fuit insculpta.

Patriæ situs est cognoscendus.

Hæc cum fuerit illius melioris antiquitatis sapientia, haud dubiè accepta à primis patribus, qui in viridi cespite alicubi considentes, nepotes suos de forma & positu huius mundi, qui est domicilium generis humani, erudierunt, & fortassis in puluere interualla locorum appositè pinxerunt, proculdubio amanda & magnifacienda est: sicut econtra barbaries est digna odio, eorum, qui hanc considerationem, cum aliarum regionum, tum patriæ suæ aspernantur aut negligunt, nihilq; magis solliciti sunt de solo illo, quod eos primum nascentes in hanc lucem excepit & pauit, quam Homericus Cyclops, quem in sua spelunca epulæ, ex carne humana, pascunt.

Martini Heluigij diligentia laudatur.

Laudandum est igitur studium viri docti & periti M. Martini Heluigij, qui superioribus annis picturam nostræ Silesiæ edidit, & optandum est, vt collatis iudicijs & laboribus, subinde plura illustrentur. Ego autem, vt superiori historiæ lucem addam, subijcio breuem delineationem huius prouinciæ, eiusque situm & statum, qualis nunc est, depingo: deinde recitabo positum inclytæ vrbis Vratislauiæ, Silesiæ metropolis, & euentus præcipuos, qui in ea Republica acciderunt. Hæc vbi breuissimè contexuero, conuertam me ad descriptionem ducatus Glogouiensis, patriæ meæ, qui libri huius præcipuum est argumentum.

Etsi

Etsi vero in hac parte non potero recitare res insigniter arduas, quales olim fuerunt bella Punica, aut consilia Senatus Romani de gubernatione orbis terrarum: tamen & ista digna sunt, quæ conseruentur in memoria nostrorum ciuium, & propter recordationem patriæ & maiorum nostrorum, illæ ipsæ narrationes, quamuis exiliores, dulcescunt: sicut apud Homerum vir senex & sapiens Nestor, cum insigni delectatione solet commemorare euentus etiam non ardnos, qui in sua vicinia acciderunt.

Patriæ euentus sunt dulces.

Silesia, si quis positum ipsius intueatur, ferme habet figuram tetragoni, sed laterum inæqualium. Longitudo enim, quæ est circiter milliarium quadraginta Germanicorum, valde superat latitudinem, quæ vix est milliarium viginti. Latus orientale statuo à fontibus Vistulæ, qui sunt ad radices Carpathi montis, non procul ab oppido Teschena, vsque ad fontes alterius fluuij non magni, quem lingua Sclauonica Brednicium nuncupat, non procul ab oppido Beuteno, vbi sunt veteres venæ argenti. Hoc latus est milliarium fermè 20. Occidentale latus constituo à fontibus fluuij, quem nominamus Queissam, qui non longè distant à thermis Silesijs, vsque ad confluentem Boberæ & Viadri, qui est ad oppidum Crosnam, quod ipsum lingua Græca significat fimbriam, & est limes Silesiæ versus Marchiam Brandeburgensem, etiam hoc latus est milliarium ferme 20.

Silesiæ delineatio.

Meridionalis pars est à fontibus Vistulæ vsque ad fontes fluuij Queisnæ. Excurrit autem hoc latus in occasum ad radices montium, quos Ptolemæus nominat Sudetes, qui diuidunt Bohemiam à Silesia, longitudo huius est milliarium fermè 40. videlicet ab oppido Teschena, vsque ad fines Lusatiæ. Latus septentrionale metior à fontibus Brednicij & radicibus Carpathi, vsque ad confluentem, qui est Crosnæ, & fermè est milliarium 40.

Deducitur autem hoc propè ripam Viadri vel Guttali, qui olim etiam dictus est esse limes Germaniæ, ita tamen vt interdum in alteram ripam aliquot milliaribus versus Poloniam, quam fermè continentes syluæ à Silesia diuidunt, extendatur. Annoto etiam hoc. Initium longitudinis est à gradu 32. fermè vsque ad 36. & aliquot scrupula. Maxima latitudo est graduum fermè 52. minima paulò minor quam graduum 50. Inde eruditi facilè de situ regionis possunt ratiocinari.

Viadrus est limes Germaniæ.

Silesiæ longitudo & latitudo.

Distribuitur hodie Silesia in Ducatus, vt nominant, Quindecim, ex quibus singuli nomina sua acceperunt à sua metropoli. Ratiborienſis & Tropauienſis, qui sunt finitimi, excurrunt ad montes Sudetes vsque, & attingunt fines Morauiæ: Teschinensis extenditur ad Carpathum vsque, Pannoniæ limites, & ad Poloniam minorem. Opolienſis attingit similiter Poloniam minorem, sicut etiam Bregenſis, vbi excurrit vltra Viadrum. Nissenſis & Vratislauienſis collocati sunt quasi in vmbilico Prouinciæ: Vratislauienſis tamen in

Silesiæ ducatus.

Ratiborienſis & Tropauienſis ducatus.

Teschinenſis, Opoliēſis, Bregenſis, Nissenſis, Vratislauienſis, Olsnicenſis, Lignicenſis, Monsterbergenſis, Suidnicenſis, Iaurenſis, Glogouienſis, Saganenſis.

men in ripam fluminis Septentrionalem extenditur. Olsnicensis totus ferme situs est vltra Viadrum, versus Poloniam maiorem. Lignicensis medio loco in regione constitutus est: Monsterbergensis, Suidnicensis & Iaurensis excurrunt vsque ad fines Bohemiæ, & Iaurensis etiam versus occasum ad Lusatiam, quæ nominatur superior. Glogouiensis vicinam habet Poloniam maiorem & Marchiam Brandeburgensem: Saganensis autem Lusatiam inferiorem.

Lignicensium Principum stirps.

De stirpe Principum veterum dictum est in annalibus. Supersunt hodiè tres familiæ in Silesia: Lignicensis, quæ etiam tenet ducatum Bregensem, orta materna stirpe à Carolo Magno, & à beata Heduige, paterna vero à Regibus Poloniæ longo ordine. Autor familiæ ciuis fuit Crusnicensis, qui propter pietatem ad regnum vocatus est, cum Polonia nondum fidem Christi profiteretur.

Tanta generis claritas & vetustas digna est obseruantia, cum præsertim in illustri hoc stemmate, adhuc Dei beneficio conspicimus fulgere pietatem, amorem religionis & artium, virtutem & iusticiam: vt hoc Pindaricum omnino de illis verum sit: σόφοι δ' ἐπ κάλλιον φέρουλι ϵ̓ τὰν θϵόσδοτον δωάμιν: Sapientes ornant fortunam à Deo datam.

Dominatur autem nunc Bregæ Georgius, Friderici Secundi filius, Lignicij Henricus, filius Friderici Tertij, Principes sapientia & bonitate præstantes, quos Deus in florenti curriculo gubernationis diutissimè conseruet.

Teschinenses Principes.

Teschinenses etiam veteres sunt, origo tamen familiæ mihi non est certo cognita. Enituit virtus eorum sub Regibus Bohemiæ, qui Silesiam ad se transtulerunt, diûque domini fuerunt, etiam aliqua ex parte Ducatus Glogouiensis: Peperit ista familia Principes aliquot excellentes sapientia & virtute, & hodie adhuc cum laude superstes est.

Monsterbergensium Principum stirps.

Principes Monsterbergenses & Olsnicenses sunt orti à Georgio Podiebracio, Bohemiæ Rege, qui filijs suis impetrauit dignitatem Principum à Friderico Tertio Imperatore. Olsnicensem Ducatum permutatione acceperunt à Vladislao Rege. Magna virtus fuit Henrici Glocensis & Monsterbergensis Principis: & quàm salutaris fuerit gubernatio Caroli Ducis Monsterbergensis, qui fuit gubernator totius regni Bohemiæ, præses Silesiæ, & præfectus ducatus Glogouiensis, meminerunt seniores. Nunc quoque reliqui sunt ex ea stirpe Principes pietate & virtute excellentes, quos Deus regat & protegat.

Olsnicenses & Bernstadienses.

Reliqui Ducatus, extinctis veteribus dominis, peruenerunt sub potestatem regum Bohemiæ. Vnum tamen tractum in Ducatu Tro-

catu Tropauiensi, & alterum in Opoliensi impetrauit à Ludouico rege Georgius Marchio Brandeburgensis, qui Regi adolescenti fuit adiunctus tanquam pater, & optime de toto regno fuit meritus.

Georgius Brãdeburgicus tenuit ditiones aliquas Silesiæ.

Crosnam etiam & Zulichiam oppida, quæ olim fuerunt ditionis Glogouiensis, ante annos 80. ex transactione in possessionem acceperunt Marchiones Brandeburgenses. Nissam religiosa beneficentia obtinuerunt à Ducibus Lignicensibus iam olim Episcopi, vt ex illis opibus alerentur Ecclesiæ & Scholæ. Ipsi etiam Episcopi emtionibus ditionem suam auxerunt, ita vt apud maiores nostros, Episcopatus ille sit appellatus aureus.

Crosna et Zulichia sunt auulsæ à ducatu Glogouiensi.

Numerantur deinde inter status Prouinciæ tres familiæ nobilium dominorum, qui nominantur liberi Barones, inter quos nunc est præcipuus D. Vilhelmus Curzbachius, dominus Trachenbergensis, & vicinæ ditionis in ripa Viadri Aquilonari, præses consilij Cæsarei in vrbe Vratislauia, vir præstans sapientia, virtute & humanitate. Ditionem Milesiam ad extremos Poloniæ limites tenet eiusdem familiæ generosus Baro D. Sigismundus Curzbachius, cui nupsit Helena Friderici Tertij Lignicensis filia.

Barones qui sunt status prouinciæ.

Curzbachij liberi Barones.

Secundus est dominus Vartembergensis, quam ditionem nunc tenet magnificus D. Malsanius. Tertius est Plessensis ad limites Poloniæ minoris in Ducatu Teschinensi, cuius nunc est dominus magnificus D. Stanislaus Promicius, nepos ex fratre D. Balthasaris Episcopi Vratislauiensis.

Malsanij liberi Barones.

Promicij liberi Barones.

Creuerunt sub Cæsare Ferdinando aliquæ familiæ nobiles opibus & autoritate quàm maximè, inter quas præcipuæ sunt Schõneichij. Late enim iam dominatur in Silesia inferiori D. Fabianus Schõneichius, vir animi excelsi & fortitudinis eximiæ, qui propter scientiam rei militaris & virtutem singularem gratissimus fuit Cæsari & Electori Saxoniæ Mauricio, apud quos summa cum laude ordines duxit.

Fabianus Schõneichius eques auratus potens consilio & opibus.

Sunt deinde Domini Promicij liberi Barones, producti ad magnam dignitatem & opes ab Episcopo Balthasare, qui non modo eximias opes, sed etiam dulcissimam memoriam sui propter placiditatem & studia pacis ad posteritatem reliquit. Sunt deinde aliæ familiæ vetustiores, quæ ante multa secula inclaruerunt: vt Gutschij & aliæ: nec enim recensere possum omnes. Faciat Deus, vt ista nostræ patriæ nobilitas, quam Deus ornauit generis splendore, autoritate & diuitiarum assiduo incremento, sit in excubijs pro vera Ecclesia, & nostra Republica, & omnes sint organa salutaria, per quæ Deo grata fiant, memores illius commonefactionis diuinæ, pronunciatæ à fœmina sancta & sapiente: Quia prælia Domini præliaris: non inueniatur in te iniquitas: & vocis diui Baptistæ: Estote contenti stipendijs vestris: Neminem concutiatis & neminem calumniemini.

Nobilitatis equestris officia.

Silesia

Silesia alia superior, alia inferior.

Silesia vsitate diuiditur in superiorem & inferiorem, ita vt Vratislauia constituatur pro vmbilico. Constituitur à Rege præses totius Prouinciæ vir Princeps plerumque, penes quem suprema in regione est autoritas: Singulis deinde ducatibus sui tribuuntur præfecti ex arbitrio Regis, quem tamen certæ leges circumscribunt.

Silesiæ præfectus generalis.

Statuum tribunal in urbe Vratislauiensi.

Vratislauiæ supremum ex statibus Prouinciæ conuocatur tribunal, vbi ipse Rex etiam lege agit in eos, qui quocunque modo deliquisse visi sunt. Nunc ex autoritate Cæsarum nostrorum in eadem vrbe constitutum est consilium Cæsareum, ex viris magnæ dignitatis & sapientiæ, qui ordinis & disciplinæ in hac regione, nomine ipsius Cæsaris, sunt custodes.

Cæsarea curia & consilium in urbe Vratislauiensi.

Lusatiæ breuis descriptio.

Lusatiæ, tam superior quàm inferior, Silesiæ nunc non annumerantur: cuius rationem hanc esse puto, quod illi tractus raro, & non diu paruerunt Polonis, sed recepti sunt maturè à Marchionibus Germanicis, qui erant custodes limitum, collocati eò à Cæsaribus.

Varia fortuna illi bellum cum Polonis gesserunt, & tandem inter ruinas illius regni ditiones suas amplificarunt, occupatis vicinis locis Silesiæ. Henricus Barbatus autem & filij ipsius adhuc imperarunt Gorlicio, Sittauiæ & alijs vrbibus. Fuerunt Lusatij illi aliquando coniuncti cum Misnia, tandem Bohemi, qui regnum suum angustum, vndique conabantur extendere, eos ad sese traxerunt. Ingenia, mores & lingua parum à Silesijs differunt: sed vnica fermè appellatio & distincta præfectura facit discrimen. Ipsum vocabulum Lusatiorum affine est voci Elysiorum, vel Lygiorum, quorum sedes in illa vicinia fuisse certum est.

Silesiæ positus ad cœlum.

Exposita est Silesia ventis præcipuè Aquilonaribus & Occidentalibus. Nam ad Austrum cingitur montibus Bohemicis, ab ortu vero longis iugis montis Carpathi. Aquilones vero ex Polonia libere in eam excurrunt, & ex Marchia occidentales.

Astrologi arbitrantur eam subiacere Virgini & Mercurio. Nec ab ea cœli aërisq; constitutione ingenia hominum multum diuersa sunt, quæ vt plurimum media sunt inter sanguinea & melancholica. Ideo plerumq; in illis, qui doctrina & vsu exculti non sunt, cernitur naturalis quædam tristitia, morositas, δυσωπία, vel subagrestis quidam pudor.

Silesiorum ingenia.

Verum vbi accedit cultura, ex liberali institutione & assuefactione, apparet ingenia nostrorum hominum non solum optime esse omnium artium capacia, verum etiam accipere ea elegantem quandam dexteritatem ad res magnas efficiendas, & plurimos adiutos literis, cum splendore & vbertate quadam, animi cogitata exponere & proloqui posse: sicut scimus præstantissimum D. Philippum sæpè familiari sermone Silesijs facultatem oratoriam tribuisse.

De ve-

De veteribus incolis Prouinciæ, libro superiori dictum est, posteaquam hæc Regio exhausta fuit perpetuis migrationibus populorum, creberrimis bellis & tyrannide Attilæ, occuparunt eam Sarmatæ, quorum origo Heneta est, progressi ex locis Arctois, vbi nunc domicilium suum habent Moschi. Fuit Silesia prouincia regni Poloniæ, conditi à Lecho, annos penè 860. Expleta enim fuit sub idolomania ethnica integra periodus, sub professione religionis Christianæ anni 360. *Silesiæ ueteris incolæ.*

Ante annos vero 230. auulsa à Polonia propter discordiam Principum & ruinas regni Poloniæ, facta est socia regni Bohemiæ, quod olim ab eadem gente Sarmatica, duce Zecho fuit constitutum. Primus Rex Bohemiæ, cui Imperium fuit in Silesiam, est Iohannes Lucelburgensis, Pater Caroli Quarti Imperatoris.

Imperat nunc ex Regibus Bohemiæ duodecimus, exoptatissimus Maximilianus Secundus Imperator, amor & deliciæ Germaniæ. Ex regibus istis sex fuerunt Romanorum Cæsares, genere Bohemus tantum vnus, Pannonius vnus, Quatuor Lucelburgenses, Quatuor ex inclyta familia Austriaca, Duo Poloni, sanguine tamen materno Austriaci. *Bohemiæ reges, qui imperarũt Silesiæ.*

Scriptura Prophetica, prædicans terræ Palestinæ bonitatem, dicit eam fluere lacte & melle, quod significat abundantiam omnium rerum ad vitam & victum hominum necessariarum. Non tribui potest hæc laus alijs regionibus, præsertim his Arctois, vbi cœli maior est inclementia, & terræ horriditas: tamen etiam nos fateri oportet, Silesiam esse benignam matrem, eamq; satis larga cum vbertate fundere res, quibus vita nostra non potest carere.

Veterum ea fuit diligentia, vt fertilitatem soli in qualibet regione diligenter obseruarent, & quidem pars disciplinæ est, vestigia diuinæ benedictionis agnoscere & celebrare. Isacio Deus scribitur donasse centuplum, hoc est, singulos medimnos frumentorum messem centum tulisse.

Herodotus scribit, agros Babylonios ferre ducentuplum, interdum etiam trecentuplum, & Plinius locum quendam in Aphrica nominat, vbi proueniat trecentuplum, eaque summa vbertas est, quæ in historijs extat. Siciliam & Tauricam Chersonesum, præsertim ad vrbem Theudasiam, ferre sexagecuplum narratur. In Italia alicubi tregecuplum prouenire certum est. In Germania maxima vbertas existimatur assurgere ad quindenos aut circiter medimnos, eamq; aliqui statuunt in veteri sede Senonum, quæ nunc est vetus Marchia, & vicinus tractus. Nam bonitatem soli Thuringiaci, quæ alioqui egregia est, exhauriri multum Isatide, prudentes iudicant. *Silesiæ ubertas.*

Agros Silesiæ meliores, quales sunt ad Strelam & Lubischiam, vbi quasi est stamen regionis: deinde etiam ad Glogouiam,

ferre medimnos octones aut etiam denos constat: & tanta Deo dante frumentorum est copia, vt vicinæ etiam gentes sæpe numero inde alantur. Multis annis, Dei beneficio, non vidit hæc nostra patria insignem aliquam difficultatem annonæ aut famem, qualis fuit olim alibi, & etiam nostra ætate.

Ex Verrinis Ciceronis intelligi potest, precium medimni Attici, qui pene æqualis est mensuræ Glogouiensi, quæ à scapha nomen habet, frumenti in Sicilia fuisse annis mediocribus 24. grossorum alborum, vt loquimur, monetæ nostræ: Chœnix vero frumenti, demensum diurnum serui, emebatur vsitatis annis fermè grossulo nostrate cruciato, aut non multo pluris. Eadem ratio emtionum etiam hodie in hac regione familiaris est.

Pretia rerum ferme manent eadem in mundo.

Ex veteribus Comœdijs colligimus, vitulum communiter emtum fuisse pretio medij loachimici, nec hodie mos multum diuersus est: ita vt non temerè pronunciauerit noster Philippus, in genere humano in regionibus cultis & benè habitatis fermè semper eadem mansisse precia rerum. Sed in calamitatibus publicis, Deo puniente peccata hominum, sæpe tristia accidunt exempla.

Fames prædicta ab Agabo.

In Apocalypsi de fame, quæ fuit sub Claudio, dicitur: Chœnix tritici emetur denario. Ea ratione precium Medimni nostratis esset 8. aureorum, vel 10. marcarum Glogouiensium, vt vulgo loquimur. Hæc difficultas magna fuit. In Italia nostra ætate multi homines mortui sunt fame, qui inuenti sunt tenere gramina & herbas in ore. Et tamen acerbiores casus in hac nostra Silesia legimus accidisse.

Fames horribilis in Silesia.

Nam ex consentienti testimonio multorum historicorum, anno 1315. & proximè sequentibus, tanta in Silesia & vicina Polonia fuit annonæ charitas, tantáque fames, vt parentes efferati rabie inediæ cadauera mortuorum liberorum vorarent, & rursus liberi parentum. Tam triste exemplum cum non legamus in alijs historijs, nisi in longis obsidionibus eueniisse, agamus Deo gratias, quod in ira misericordiæ suæ recordatur, neq; nos tam terribilibus supplicijs plectit.

Iumentorum etiam optimorum copiam, ad escam & laborem, affatim hæc regio educat, & suppeditat vicina Polonia. Lactinia tam sunt copiosa apud nos, itaq; proba, vt etiam apud exteras gentes ea clara sint, multæq; familiæ nobiles inde diteſcant.

Nec desunt syluæ, quæ alunt feras ad vsus & delicias hominum crebriores quam alibi. Flumina piscosa maiora & minora sunt multa, & præterea stagna ingentis magnitudinis, quæ præbent pisces eximiæ bonitatis & salubritatis, ita vt hac in parte non cedat vlli ex prouincijs Germaniæ.

Thermæ Silesiæ.

Ex beneficio conditoris Dei etiam ad radices Sudetum prope vrbem Hirspergam sunt thermæ, sulphureæ præcipuè, deinde non-

nihil

nihil etiam nitrosæ & aluminosæ, quæ propter medicationem appetuntur à multis populis. Est etiam alia aqua medicatrix, cuius scaturigo est non procul à Francosteino, quæ etiam sulphur redolet, & viscеribus mirifice prodest.

Constat autem singulare beneficium Dei esse fontes illos medicamentosos, qui vitæ hominum multis modis opitulantur. Metalla aurea vel argentea non quidem in summa copia effodiuntur: Sunt tamen ad radices Carpathi ad Bythoniam oppidum venæ argenti veteres, alicubi etiam ad montes Sudetes reperitur aurum non ignobilius Hungarico: & sunt fluuij, qui auream arenam ducunt: vt Cattus & alij. *Venæ Metallicæ Silesiæ.*

Ferrum cuditur maximo numero, & multum inde nobilitati accedit lucri. Sale hactenus sumus vsi importato ex Saxonia & Polonia, nunc etiam cura Imperatorum Ferdinandi & Maximiliani, excrementum quoddam maris allatum ex Hispanijs, quod ἅλος ἄχνη, spuma maris à veteribus dictum est, & in littoribus illis, post validiorem tempestatem frigore aëris concretum, copiosè reperitur, melius excoquitur & defecatur apud nos, atque in vsum feliciter assumitur. *Sal quo utitur Silesia.*

Vinum pluribus in locis colitur, præsertim in Silesia inferiori, subausterum quidem, sed tamen non incommodum. Cereuisia autem triticea magnæ probitatis multiq; nutrimenti passim coquitur, inter quas præcipuam laudem habet Vratislauiensis. His donis fœcunditatis prouincia hæc cum ornata sit, abundat multitudine hominum, frequentia ciuitatum & pagorum. Et quamuis hæreant adhuc in multis locis vestigia negligentiæ Sarmaticæ in ædificando, tamen rursus alibi multi excitantur ad elegantiam in structuris, vtilem ad ordinem & valetudinem in vita. *Vina Silesiæ.* *Cereuisia Silesiæ.* *Silesia abundat multitudine hominũ.*

Oppida autem omnia fermè, valde populosa sunt, referta cœtibus opificum, & habent ea etiam vera ornamenta religionis, studiorum disciplinæ & honestæ Oeconomiæ. Nam in plerisq; vrbibus & pagis, cura magistratus Ecclesiæ emendatæ sunt, & accensa lux doctrinæ purioris, quæ magna diligentia inter grauia pericula hactenus Dei beneficio est conseruata. *Ecclesiæ & studia Silesiæ.*

Adiunctæ sunt etiam Ecclesijs scholæ, vbi iuuentus ad pietatem & artes vtiles in vita eruditur. Fuit autem magistra nostræ gentis multis annis schola Goltpergensis, quam aluit beneficentia Principum Lignicensium, ibiq; ingenia multorum fœlicissime formauit vir æterna laude dignus Valentinus Trocedorfius, natus ad gubernationem scholarum, ex cuius ludo, tanquam ex equo Troiano, magna examina doctorum prodierunt. *Goltpergensis schola.* *Valentinus Trocendorffius formator fœlix iuuentutis.*

Fuit is vir imprimis sedulus propagator veræ doctrinæ, & custos seuerus honestæ disciplinæ. Enituit deinde schola Vratis- *Vratislauiensis schola.*

Freistadiensis schola. lauiensis, & post aliquot annos Freistadiensis, erecta à viro doctrina & virtute præstanti, M. Erasmo Benedicto Freistadiensi, qui ad annos 15. fuerat auditor Philippi, & cum eo in domestica familiaritate coniunctissime vixerat: præreptus quidem fuit immatura morte, cum magno studiorum detrimento, sed tamen propter memoriam ipsius schola est conseruata.

Erasmus Benedictus σικίσης scholæ Freistadiensis.

Respublicæ Silesiæ. Gubernatio politica iusta est, & vbiq; in vrbibus senatus honestis legibus, & Aristocratica gubernatione vitam ciuium regit. Domi liberis & familiæ præscribitur ordo precationum & laborum ab honestis ciuibus, & recitantur à pueris manè, vesperi & ad mensam preces & sententiæ piæ, quibus commonefiunt homines, singulas familias debere esse Ecclesiam & templa Dei, vt recte dictum est: Vult Ecclesiolam quamlibet esse domum.

Oeconomiæ Silesiæ. Antecellit autem populus Silesiæ plerisque alijs sedulitate, & cura faciendi necessarios labores, ita vt vix alibi reperiantur Oeconomiæ, in quibus diligentius operis domesticis incumbitur, non solum à viris, verum etiam à mulieribus, ijsque nobilibus & ignobilibus. Magna vbique est multitudo opificum, conficiuntur panni maxima in copia. Magna sunt mercimonia ex lino quod tractatur à fœminis nobilibus & alijs. Ideo pecunia in hanc regionem importatur ex precio pannorum, lini, ex rubea tinctorum, quæ ad Vratislauiam colitur, & ex ferro.

Mercimonia Silesiæ.

Silesia amat mundiciem in victu. Victus etiam mundior & elegantior est, quàm inter alias gentes, quæ quidem mundicies cum sit nutrix valetudinis, & multarum virtutum, digna est laude. Vult enim Deus nos habere honorem corpori, vt Paulus inquit, hoc est, delectu ciborum, potus, eorum ordine & apparatu conseruare vires corporis non modo, vt corpus sanum fungi possit officio suæ vocationis, verum etiam, vt in homine sobrio & alacri, diuinas suas actiones efficere possit Spiritus Dei, qui in pectoribus piorum habitat.

Matresfamilias Silesiæ. Ingens decus in illa domestica consuetudine est modestia & industria matronarum, quæ Oeconomias præcipuè gubernant, quarum exempla filiæ, figura, forma corporis & modestia excellentes intuentur, & ab illis ad agnitionem Dei, ad bonos mores, ad scientiam Oeconomicam à prima vsq; ætate assuefiunt.

VRATISLAVIA SILESIAE CAPVT.

Vratislauiæ situs. LVmen & oculus Silesiæ, vnicumq; veri decoris exemplum est Vratislauia, de qua vrbe nunc pauca sumus dicturi. Situs ipsius talis est. Longitudo vrbis est graduum 34. M. [illegible] Latitudo graduum

duum 51. M. 10. De origine eius nulla extant certa monumenta, sed nos probabiles coniecturas recitabimus.

In Ptolemæo nominatur ciuitas Budorgis vel Bidorgis, quæ fermè cum hoc situ congruit, ideo aliqui ex eruditis opinantur ex ruinis illius cœpisse Vratislauiam. Hæc opinio, à qua nec ego, cum spatia fermè eadem sint, abhorreo, si certa est, iucundum est etymologiam & rationem appellationis inquirere. Recito autem meas diuinationes, sumtas ab affinitate soni, qui fermè in talibus solet esse iudex. *Bidorgis Ptolemæi est Vratislauia.*

Docent historiæ, gentes has Arctoas huc commigrasse ex oriente, & paulatim eas deinde versus occidentem longius progressas. De peregrinationibus Sueuorum, Francorum, Gotthorum, Vandalorum & aliorum supra diximus: Imprimis vero memorabile est, quod scribitur ab Eutropio, Quados ex his locis in Heluetiam, & vicinam Galliam profectos esse, etiam ante Cæsaris tempora, proculdubio in illis terribilibus motibus Cimbricis, vbi omnes hi populi exciti suis sedibus noua loca appetiuerunt. Et manifestum est, Lygios vel Lygiriscos populos Gallicos, quibus fuerunt intermisti Heneti, appellatione & alijs rebus nostris fuisse cognatos.

Numerantur inter gentes Gallicas Bituriges, quod vocabulum sine dubio Germanicum est. Nam Biturix, secundum illam inflexionem, quæ veteribus scriptoribus, imperitis linguæ nostræ, præsertim vero Cæsari & Ptolemæo familiaris est, videtur esse Biderreich, hoc est, vir honestus & integer, quē Græci καλὸν κ' ἀγαθὸν nominant. Vetus enim lingua nostræ gentis Biederman nominat, quasi, ein Man bey ehren / virum honoris & famæ integræ, sicut contra Schelman appellat virum malum & infamem. Ab isto Principe profectionis, quem gens Lygia in Galliam & Aquitaniam habuit ducem, mansit appellatio populi. *Biturix Lygius conditor ueteris Vratislauiæ.*

Et testatur Strabo, solos Bituriges inter populos Aquitaniæ esse alienigenas, differentes à reliquis lingua, moribus & cultu, atq; fortassis inde est nomen celebris vrbis Burdegala. A Principe igitur Lygio huius nominis censemus olim conditam fuisse vrbem hanc Budorgim aut Bidorgim. Nomina enim à scriptoribus miriscè deprauata sunt.

Hæc etymologia grata nobis esse debet, non solum, quia honorifica est, verum etiam, quia ominis loco accipi potest. Videmus enim, Dei beneficio, hanc præclaram vrbem multis seculis verè fuisse honestatis & pietatis in nostra gente magistram, eamq; singulari cum cura religionem & virtutum ornamenta in hac regione plantasse & defendisse. *Biturigis etymon.*

Etsi autem potentia ciuitatum Germanicarum, in illis perpetuis migrationibus & mutationibus, non fuit magna, tamen credibile est illas, quas annotauit Ptolemæus, etiam olim cultura & fre-

quentia reliquas antecelluisse. Posteaquàm vero gens Sclauonica post mortem Attilæ sese infudit, hæc etiam vrbs deserta à suis colonis veteribus, qui meo iudicio magna ex parte Longobardis se adiunxerunt, quassata etiam prioribus bellis sub Attila, penè diruta est, ita vt vix exiguæ manserint reliquiæ. Ideo non arbitror veram esse coniecturam illorum, qui putant Vratislauiam conditam esse imperante Carolo Magno in Germania, cuius rei testimonium habeo valde euidens.

Anno Christi 965. imperante in Germania Ottone Primo, Silesia fuit amplexa fidem Christi, anno verò proximo pòst institutæ sunt scholæ & Episcopatus in Polonia, tunc Godefridus Romanus, primus Silesiæ Episcopus, sedem suam collocauit Smogram, in vicum aut pagum ignobilem, qui, præsertim vt homo Italus, studiosus elegantiæ & frequentiæ, prætulisset Vratislauiam, si ea tunc fuisset vrbs alicuius nominis.

Vratislauia instaurata ex ruinis ueteribus.

Deinde Dugloſſus, quo nullus inter scriptores Polonos est locupletior, commemorat Vratislauiam conditam esse à Mieslao Polonorum Principe, paulò ante annum Christi millesimum, in quod tempus etiam natales Glogouiæ conijcio: putarim tamen Principem ex veteribus ruinis aut ruderibus ciuitates illas instauraſſe, sicut postea expresse in historia dicitur, Boleslaum procerum Lignicium & Lubenam amplificasse. Sed tamen neque proximis annis post aliqua fuit huius oppidi celebritas.

Nam, cum sub Boleslao Rege, Mieslai filio, inter se inciperent dimicare Bohemi & Poloni, & multæ in Silesia fierent vastationes, Episcopus cum suo collegio ex Smogra migrauit Bicinam in agrum Bregensem. Ego vero arbitror vrbem hanc, etsi fortassis ipsius fundamenta iacta sunt à Mieslao, & structura deinde per illa continua bella impedita, reductam in quandam ciuitatis formam eo tempore, qno Bohemi in Silesia dominati sunt, quod accidit circa annum Christi 1030.

Vratislauia instaurata & denominata à Principe Bohemico.

Extincto enim Boleslao viro acerrimo & fortunato, successit filius imbecillis animo & corpore: is amisit Silesiam occupatam à Bohemis, eamq; deinde mortuo Mieslao Secundo, tempore interregni, cum nobilitas Polonica, per seditionem matrem & filium in exilium pepulisset, munierunt ex autoritate etiam Conradi Saliqui Cæsaris, qui iratus Polonis ob eiectum Principem & matrem Rixam, neptim Ottonis Tertij Cæsaris, Silesiam sub conditione tributi numerandi Imperatori, adiudicauit Bohemo.

Circa hunc igitur temporis articulum colloco vera primordia & veram exornationem huius vrbis, quæ tunc etiam nomen suum, quod omnino Bohemicum est, accepit. Fuit autem is Vratislaus, meo iudicio, filius Bisetislai, natus ex matre Germanica Iuditha, qui mortuo patre factus est Dominus Moraniæ & vicinæ Silesiæ, & demum ab Henrico Quarto renunciatus est Rex Bohemiæ,

miæ,illicq; permissum,vt, quoniam Poloni pacta inita cum Casimiro monacho non seruabant, Silesiam bello repeteret. Celebratur ob pietatem & religionis studium.

Istis annis tam turbulentis Episcopus habitauit Bicinæ: Sed Casimirus exul anno 1041. reuocatus in regnum,cum Polonia Cæsari esset reconciliata, recepit Silesiam à Bohemis,& collegio locum ad studia & exercitia pietatis construxit in Viadri insula, templo ex materia lignea ædificato,cum seculum illud adhuc religioni,non fastui aut pompæ seruiret. Istæ sunt meæ coniecturæ deductæ partim ex appellationibus, partim sumtæ ex annalibus Polonorum. Ex monumentis nostris docere nihil possumus.

Nam, vt testantur viri studiosi antiquitatis nostræ gentis,vetustissimæ literæ, quæ reperiuntur, sunt Friderici Secundi Cæsaris, scriptæ anno 1200. Olim vero,si literarum vsus aliquis fuit,ad sacra illæ imprimis vsurpatæ sunt: sicut non dubium est, Italicos Episcopos & doctores imprimis fuisse occupatos in docenda religione in his populis, quorum fuit mirifica in superstitionem pronitas. Et si quæ etiam scripta sunt,tamen illis crudelissimis vastationibus Scythicis,& deinde alijs, ijsq; diuturnis bellis ea perijsse constat.

Poloni, cum Silesiam recuperassent, præfecerunt illi gubernatorem, cuius domicilium fuit Vratislauiæ, ibiq; est constituta arx & munita contra incursiones hostium. Vratislaus Bohemiæ Rex, de quo supra diximus, mortuo Casimiro,cum filij non soluerent pensionem promissam imperio,acerbe Silesiam vastauit.

Sub annum Christi 1095. annales Polonorum narrant factum præfecti & ciuitatis Vratislauiensis, plenum æquitatis & humanitatis. Vladislaus Princeps detruserat in monasterium filium nothum Sbigneum inuitum, instigatus à coniuge & proceribus: passim vero populus opprimebatur per vim à quodam potente aulico Sececho, ita vt multi ex nobilitate & plebe fugientes tyrannidem se cederent in voluntarium exilium. *Vratislauia defendit exules contra calumniatores aulicos.*

Sbigneus autem cum agmine exulum, honestorum hominum, proficiscitur Vratislauiam, orat præfectum prouinciæ Magnum, vt ipsos defendat contra Tyrannum aulicum. Receptus est in vrbem ex autoritate præfecti, & missa legatio ad Principem, quæ ipsi causam exulum commendaret. Sed Vladislaus iratus,armis Vratislauiam adortus est. Ciues autem vnà cum Episcopo Leroslao obuiam Principi prodierunt, & professi sunt, nunquàm se sumsisse arma contra magistratum,sed recepisse tantum illos bonos homines, qui fuissent supplices,ideo petebant sibi parci.

Vladislaus bonus Princeps cum illis redijt in gratiam, nec multo post Sbigneum filium in pristinum locum restituit. Sbigneus verò cum fratre Boleslao Vratislauiæ inijt consilium in Secechum, eoq; rem deduxerunt, vt ille, exutus sua dignitate,pelleretur in exilium. Digna laude fuit illa vrbis humanitas, quæ non spreuit sup-

uit ſupplices in iuſta cauſa, nec tamen dimicare voluit cum ſuo magiſtratu, ſed demiſſione & reuerentia, quod æquum erat, obtinuit. Ita olim laudata eſt ciuitas Thebana, quæ recepit & texit exules Athenienſium contra triginta tyrannos, etſi Spartani erant ſocij ipſorum.

Anno Chriſti 1109. proditum eſt à ſcriptoribus Polonis, nobilem illam pugnam, qua Henricus Quintus Cæſar victus eſt à Boleslao Polono, factam eſſe non procul à Vratislauia, quam oppugnaturus erat Cæſar, ad vicum illum, qui nominatur Hundsfeldt/ & ſcribitur victoria parta eſſe opera Sileſiorum, qui in mediam aciem inuecti, ordines exercitus Cæſariani turbauerant. De eo prælio ſupra meam ſententiam expoſui.

Petri Dani hiſtoria.

Enitere deinde cœpit Vratislauiæ quidam nobilis Danus Petrus, quem Sileſij appellarunt Principem: is apud Ethnarchas Polonos omnia poterat, & ſedem ſuam Vratislauiam collocauit: Monaſterium S. Vincentij, & plura alia templa extruxiſſe legitur. Exitum hominis deſcripſi in hiſtoria. Exectis oculis & lingua mortuus eſt anno 1149.

Anno 1158. fuit bellum Barbaroſſæ Cæſaris, cum Boleslao Polono. Ager Vratislauienſis direptus eſt à milite Cæſaris: reconciliatus eſt Boleslaus Cæſari ſub pactis duriſſimis, quæ tamen ipſe, Cæſare occupato bellis Italicis, non ſeruauit.

Vratislauiæ Princeps Boleslaus procerus.

Anno 1163. Sileſia diſtributa eſt inter filios Vladislai, & Vratislauia aſſignata eſt Boleslao procero, primo Principi Sileſiæ, viro bellicoſo & iuſto, qui ad Mediolanū Monomachia ſuperauit & interfecit equitem prodigioſæ & Giganteæ ſtaturæ. His annis, cum in Polonia & Sileſia creſceret autoritas & opes Sacerdotum, qui immiſcebant ſe negocijs gubernationis, & ipſos Principes regebant, Valtherus Epiſcopus Vratislauienſis etiam ſuum collegium ornauit, extruxit templum ex lapide, inſtituit veſtitum & ritum nouum, quem attulerat Lugduno ex Gallia. Nam eò noſtri homines ſolebant proficiſci ad ſtudia. Vrbs tunc lingua & ſtructura adhuc fuit Polonica & exigua.

Valtherus Epiſcopus ornat ſuum collegium.

Anno 1197. inſtitutus eſt cœlibatus ſacerdotum in Sileſia, & multa coniugia à legato Pontificio impio ſcelere diuulſa. Boleslao patri intulit nefaria arma Iaroslaus filius, natus ex muliere Ruthenica, coëgit patrem, vt traderet ipſi Vratislauiam. Tandem vrbem patri reddidit, & ipſe retinuit Niſſam.

Anno 1198. illum impium Iaroslaum ex cupiditate eſcæ collegium creauit Epiſcopum. Epiſcopatui attribuit ditionem Niſſenſem, vt hoc modo mulctaret fratres, natos ex nouerca, quos oderat, ſed cito dedit pœnas. Non enim totum ſuperuixit triennium. Boleslaus exſoluit Lignicium, eaq; vrbs ita creuit, vt Vratislauiam paulò poſt ſuperaret.

Henricus

Henricus Barbatus & coniunx Heduigis frequentissimè habitarunt Vratislauiæ, illicq; magno studio vrbem exornarunt: Sed aduersata est fortuna. Nam fatali clade, vt quidem ego annotatum reperio, 1200. & rursus 1219. maxima pars vrbis incendijs periit. *Vratislauia perit ex incendijs.*

Lignicium obtinebat Henricus Pius, Heduigis filius, qui eò vocauit ex Germania passim colonos, eosq; dilexit, ita vrbs creuit frequentia & cultura. Nam in tota Silesia illæ ciuitates citissimè excultæ sunt, in quas migrarunt Germani. Mortuo Henrico Barbato anno 1241. secuta est miserabilis vastatio Tartarica, vbi Silesij corpora sua obiecerunt furori & rabiei Scytharum, qui toti Germaniæ excidium & vastitatem minabantur. *Lignicium uicit Vratislauiam.*

Tartari deuastata Polonia accesserunt ad Vratislauiam paulò ante ferias Paschatis. Vrbs, quæ parum munita erat propter recentem conflagrationem, à ciuibus fuit deserta. Importata sunt bona in arcem, domus vero inflammatæ. Cinxerunt obsidione arcem Tartari, sed frustra. Nam precantibus pijs dicuntur flammæ & fulgura ex cœlo cecidisse & Tartaros latè ambussisse atq; terruisse. Ita diuinitus repulsi sunt Scythæ ab arce Vratislauiensi precibus piorum: sicut olim Attila ab vrbe Aurelia in Gallia. Historia belli Tartarici legatur suo in loco. *Vratislauiæ arx sustinet impetus Tartarorum.*

Post hanc cladem sequitur noua ætas vrbis. Fuit enim dominus Vratislauiæ Henricus Tertius adolescens, quem regebant mater Anna, filia Regis Bohemiæ Ottocari Primi, mulier sapiens, & Thomas Episcopus: illis assentientibus, vt ciuitas citius augeretur, permissum est illi ius Germanicum, & abolitæ sunt iniquæ leges, & seruitus Polonica, concessæ vero immunitates, quales sunt in ciuitatibus Germanicis. *Vratislauia accipit formam nouæ urbis.*

Cito igitur creuit habitatoribus, & mediocriter etiam munita est, propter loci insignem oportunitatem, adeo vt anno 1245. quarto post conflagrationem, iam sustineret trimestrem obsidionem Boleslai Lignicensis, qui fratrem excutere ex Ducatu suo conabatur. Discessit tunc re infecta, & cum non multo pòst bellum redintegraret, propè Vratislauiam captus, & in arcem ductus est. *Vratislauiæ trimestris obsidio.*

Anno tertio pòst fuerunt Vratislauiæ legati Pontificij, missi Lugduno ab Innocentio Quarto, isti petiuerunt pecuniam à Silesijs Pontifici in vsus bellicos contra Fridericum Secundum Cæsarem, & vt nostros homines simpliciores inescarent, ieiunio quadragesimali ex autoritate Pontificis detraxerunt dies Septendecim, & cum ex veteri more Moschouitico & Græco prius inchoatum esset ieiunium illa Dominica, quæ nominatur Septuagesima, iusserunt fieri initium die citerum, vt loquimur, & prius more Romano agitare Bacchanalia, ita plebs delinita concessione conuiuiorum & ludorum Pontifici misit nummos. *Legati Pontificij ueniunt Vratislauiam.* *Quadragesimæ ieiunium mutatur.*

Subinde

Subinde autem recruduerunt odia inter fratres Principes, & fiebant continuæ vastationes in Silesia, quarum autor erat Boleslaus Lignicensis, vir supra modum iniustus & stultus. Is non modo Lignicium & Silesiam perdidit, verum etiam animos Polonorum à Silesijs abalienauit, ita vt regnum deinde illis inuiderent.

Boleslaus Caluus fuit pestes Silesiæ.

Anno 1266. mortuus est Henricus Tertius Vratislauiensis, reliquit filium puerum Henricum Quartum, qui postea probus dictus est. Hoc proximè sequenti decennio tranquillus & fortunatus fuit status Vratislauiæ, & auctæ sunt opes ciuium mercimonijs. Princeps enim adolescens habebat curatores aliquos ex præcipuis ciuibus, qui bene gubernabant ditionem, & Principi magnam pecuniæ vim collegerunt.

Sed anno 1276. rursus secutæ sunt turbæ & calamitates. Nam, vt scriptum reperio, die S. Marci vrbs tota conflagrauit, & anno proximo post Henricus probus captus est à patruo Boleslao Lignicense, & posteaquam multis oppidis mulctatus est, vix tandem dimissus est.

Vratislauia rursus conflagrat.

Anno deinde 81. Henricus Probus, vlturus veteres iniurias, per speciem amicitiæ ad se vocatos multos ex Principibus Silesiæ cepit: Poloni ideo indixerunt ipsi bellum, & agrum Vratislauiensem grauiter vastarunt. Iste Princeps, anno 1288. cum recepisset in gratiam Episcopum, quem acerbissimè afflixerat, erexit collegium sacræ Crucis Vratislauiæ, adeoq; in religionem factus est procliuis, vt offerret Episcopo dono vrbem Vratislauiam, quam tamen ipse, metuens inuidiam Principum & bella, non accepit, moritur anno 90. 22. Augusti: successorem habuit Henricum Quintum obœsum Lignicensem, patruelem suum, quem anno 1292. abductum ex balneo in suburbijs Vratislauiæ per insidias, Conradus Glogouiensis in caueam ferream inclusit, ibiq; eum penè necauit, ademit illi oppida pleraq; in territorio Vratislauiensi, & ipse Henricus triennio post moritur. Tutor filiorum Henrici Quinti fuit Episcopus Henricus.

Hisce annis viginti rursus respirauit Vratislauia, & cumulauit opes non contemnendas, adeo vt circa annum Christi 1320. ciues Vratislauienses Hannouiam & Goltpergam vrbes, à Boleslao Lignicense Principe prodigo & iniusto, hypothecæ nomine pro magna summa pecuniæ acciperent. Nec multo post consilio vrbis Vratislauiensis facta est illa mutatio in Silesia, quæ adhuc hodie manet.

Vratislauia creuit opibus.

Videbant omnes homines prudentes, Principum Silesiæ non modo esse imbecillitatem magnam, in illa prouinciæ inter plures dominos dilaceratione, verumetiam plurimorum enormem petulantiam & tyrannidem, vnde perpetua oriebantur bella, & necesse erat tandem prouinciam ab hoste externo opprimi. His malis

Vratislauia facit inclinationem ordinum ad regnum Bohemiæ.

vnica

vnica inueniebatur medicina, si vocaretur Monarcha potens, qui Principes tumultuantes sua autoritate coherceret,& esset custos legum & disciplinæ.

Senatores igitur Vratislauienses, qui autoritate & gratia in aula sui Principis Henrici Sexti valebant, imitati sunt consilium Mecœnatis. Nam & is Augusto deliberanti,ecquid expediret imperium Senatui & populo Romano reddere,dissentiens ab Agrippa, hoc dissuasit, quod putaret, non eam virtutem atq; coniunctionem esse Senatus, quæ tueri posset pacem, sed ciuilibus lanienis eos mutuò perituros, potius igitur autoritate Monarchica compescendos esse turbulentos, & illud imperium conseruandum. Respexerunt igitur ad Regem aliquem præstantem virtute & viribus, qui hanc regionem posset pacare.

Vratislauiensis senatus imitatur consilium Mecœnatis.

Etsi autem credibile est, eos magni fecisse Imperium Cæsarum Germanicorum, & futurum erat honorificum, si hæc prouincia fuisset immediatè subiecta Imperio Romano: tamen has cogitationes interuertebat tunc status Germaniæ turbulentissimus. Extincto enim Henrico Septimo Lucelburgense, dissidijs Electorum inuaserunt Imperium duo, Ludouicus Bauaricus, & Fridericus Austriacus, vnde tota Germania motibus ciuilium bellorum amplius viginti annis fuit concussa, atque ita nostra patria inde nihil opis potuit expectare.

Erant autem in vicinia duo Reges,Polonicus Vladislaus Locticus, & Iohannes Lucelburgensis, qui cum filia Venceslai adeptus erat Bohemiæ regnum. Locticus inuisus erat omnibus Silesijs, quia erat Tyrannus, & sceleratus grassator: oderat etiam acerbissimè totum nomen Teutonicum: oppugnabat ordinem in Prussia: sæuiebat in ciuitates Germanicas: peruenerat ad regnum cum contumelia Principum Silesiorum, qui erant iniquè præteriti, & nunquam assensi fuerant isti electioni. Deinde gubernatio Polonica, in qua tunc multum erat seruitutis, non placebat ciuitatibus.

Iohannem vero regem multa commendabant: natus erat ex patre Cæsare laudatissimo, ipse videbatur excellere humanitate & clementia. Florebat tunc etiam regnum Bohemiæ, & longè præstabat Polonico, quod rapinis Scythicis & bellis intestinis planè erat debilitatum: Præterea tenebat iam Bohemus ducatus Silesiæ superioris,ita vt non posset sine incommodo fieri diuulsio.

Has causas grauissimas habuit ciuitas Vratislauiensis, cum suasit suo Principi,vt se cum Bohemis coniungeret, eiusque autoritati obsecutus est Henricus. Non dubium est igitur,gentem Bohemicam deberi gratiam huic vrbi, quæ prima fecit inclinationem ad ipsorum regnum. Procatarctica vero erant furiæ Boleslai, qui affligebat

Vratislauiensis Senatus motus fuit grauibus causis, quando suasit coiunctionem cum Bohemis.

affligebat fratrem, conabatur eum eiícere Vratislauia, quam ipſe deinde funditus euertiſſet.

Tranſegit igitur Henricus Sextus cum Iohanne: nominauit eum hæredem ſui ducatus, cum ipſe non ſuſcepiſſet prolem maſculam, muneris autem loco accepit ad tempora vitæ ſuæ ditionem Glocenſem, quam Iohannes emerat à duce Monſterbergenſe. Rapiebantur etiam reliquæ ciuitates incredibili ſtudio in Iohannem, qui intra proximum decennium deinde, precibus, precio, minis, fermè reliquos omnes ſibi deuinxit, præter Suidnicenſem, vt ſuo loco narratum eſt.

Iohannes Bohemiæ Rex potitur Sileſia.

Quare ego exiſtimo, non proditam fuiſſe libertatem patriæ noſtræ, ſed fuiſſe cauſas huius conſiliꝝ neceſſarias, & vtiles huic regioni, quæ intra paucos annos tota concidiſſet, niſi hæc à Deo fuiſſet monſtrata ratio. Nam diadema regium Poloniæ, Locticus, qui iam genuerat filios, & erat ſatis fœlix præliator, nunquam erat redditurus Sileſiꝝ, & quidem iam gliſcebant odia inter has duas gentes, quæ non facilè potuiſſent reſtingui.

Grati etiam fuerunt reges Bohemici erga Vratislauiam. Nam & viuente Henrico Iohannes effecit, vt ciuitas adminiſtrationem iudiciorum acciperet, emta ea à viris nobilibus, qui negligentia ſuperiorum Principum eam ſibi vendicauerant: & Carolus filius eam vrbem in primis dilexit.

Vratislauienſe collegium fauit Polonis.

Iuratum eſt in verba Iohannis Regis anno 1337. Sabbato, qui præceſſit dominicam Palmarum, Henrico iam mortuo. Qualis tunc fuerit lis Regi cum importuno Epiſcopo Nancero, ſcriptum eſt alibi. Ciuitas etiam experta eſt grauiſſima odia collegiꝝ, quod magis fauebat Polonis.

Vratislauia denuo perit ex incendio.

Anno 1341. 7. Septembris rurſus conflagrauit Vratislauia penè tota, ſed ea calamitas Dei benignitate ciuitati in commodum ceſſit. Tunc enim inchoata eſt noua exædificationis forma, & ædes eleganti ordine penè omnes ex lapide extructæ. Deinde anno 1353. Carolus Cæſar ſuo ſumtu templum arduum ædificauit, ſub nomine Diuæ Dorotheæ, & ciuitati adiecit inſignem appendicem, ripam videlicet vlteriorem Olauiæ fluuiꝝ.

Vratislauiæ ſtructura noua & egregia.

Ita igitur excreuit vrbs, vt nulli ex Germanicis ſtructuræ pulcritudine cedat, pleraſque autem ordinata concinnitate platearum ſuperet. Carolus Quartus venit Vratislauiam anno 1348. 7. Nouembris. Senatus Vratislauienſis anno 1355. Carolum comitatus eſt ad coronationem Romam, triennio poſt Cæſar Senatui magiſtratum perfecturæ ſuper totum territorium attribuit.

Vratislauia magna ornamenta accepit à Carolo Quarto.

Hoc modo ſub tam propitio & benigno Cæſare, qui verè fuit patriæ noſtræ pater, conquieuit Sileſia, & Vratislauia, Deo benedicente, creuit in vrbem laudatam & elegantem, ita vt pleriſque ex Italicis poſſit opponi. Dixerat idem Carolus, lætari ſe, quod haberet in

beret in limitibus imperij duas præclaras vrbes, in Italia Romam, in Germania Lubecam, ipsius autem beneficentia effectum est, vt etiam his annumerari possit Vratislauia. *Carolus Quartus euexit urbes.*

Ornauit Pragam quoque, ita vt de ea scripserit Aeneas Syluius, eam parem esse Florentiæ, sed illa euersa fuit furore Hussiticorum. Anno 1381. fuit ciuitati lis cum sacerdotibus, orta ex cereuisia intercepta: Sed pœnas superbiæ dederunt, grauiter mulctati à Venceslao rege, sicut prius dictum est.

Anno 1404. fuerunt Vratislauiæ vnà Vladislaus Iagello Poloniæ Rex, & Venceslaus Bohemus. Sperabat vafer Rex Lithuanicus, se decepturum simplicem & credulum Regem Bohemiæ, sed tamen impedita fuerunt eius consilia, & alioqui leges fœderum inter reges constitutæ. Florebat tunc ciuitas, sed, quod solet accidere, fortunam sequebatur insolentia in populo.

Legerat Venceslaus nouum Senatum, sed eum plebs vrbana anno sequenti post per seditionem 9. Septembris abrogauit, & ab eo tempore in vrbe cœperunt gliscere factiones, quæ eruperunt in tristes motus, & multis extremas calamitates attraxerunt. Non enim sedari potuit furor multitudinis multis annis. *Vratislauiensis seditio.*

Anno 1418. 18. Iulij plebs vrbana horribilibus acta furijs expugnauit curiam, plerosq; ex ordine senatorio, aut suis manibus, aut etiam per carnificem trucidauit, vnum ex loco sublimi præcipitem deiecerunt, & hastis armatorum confixerunt. Tam tristia scelera in armis populi confirmauit diuturnum ocium, ignauia Regis & cupiditas licentiæ. Sed tristes sunt secutæ pœnæ, non modo quas inflixit Sigismundus Cæsar, sed etiam bella multorum annorum, quæ vlta sunt contemtum legum & disciplinæ neglectionem.

Cæsar quidem 6. Martij anno 1420. securi percussit autores seditionis viginti duos, qui fermè erant tribuni opificum, multos in exilium eiecit, & bona eorum ærario Senatus adiudicauit. Secutum est deinde bellum Hussiticum. Quia Bohemi irritati sæuitia concilij Constantiensis, & quod Silesij, secuti exercitum Sigismundi, Bohemiam vastassent, Silesiam latè depopulati sunt, grassati ferro, flamma & rapinis, rabie plusquam Turcica. *Seditiosorum supplicia in urbe Vratislauiensi.*

Etsi autem agmina illa se nominabant Hussitica: tamen plerumq; conflata erant ex perditissimis latronibus Bohemis, Morauis & Polonis, qui trucidabant pueros in scholis, exurebant templa & statuas, vnà cum ipsis sacerdotibus & hominibus, quos adepti erant, perierunt tunc præcipua & optima oppida Silesiæ: Huic tanto incendio nulla opponebatur defensio à magistratu superiori: procul enim aberat Sigismundus Rex occupatus alijs bellis.

Vratislauia defendit Silesiam contra latrones Hussiticos.

Ibi in publico periculo virtus huius verbis enituit, quæ pro patria fuit in excubijs, sicut olim ciuitas Attica in bello Persico. Coniunxit se ipsi vrbs Suidnicensis, cuius erant tunc opes non vulgares. Conducto exercitu passim represserunt latrones Bohemicos, multa oppida texerunt, atq; etiam receperunt ab hostibus.

Laborauerunt in ea statione annos pene sedecim vario & dissimili cum euentu, benignitate tamen Dei ita sunt accisæ vires hostium, vt regionem in suam potestatem redigere non possent. Bellum Bohemicum excepit Polonicum, ortum à fratribus Poloniæ regibus, Vladislao & Casimiro, qui primum Albertum Austriacum, Sigismundi generum, ex regno Bohemiæ excutere, deinde Ladislao Posthumo regnum Hungariæ eripere conati sunt.

Albertus Cæsar venit Vratislauiam 18. Nouembris, 1438. mansit ibi vsque ad ver anni sequentis: prolapsus ex gradibus scalæ, postea claudicauit. Vratislauiensibus belli ducem dedit Marchionem Albertum Brandeburgensem, qui fortiter reiecit Polonos, illisq; incussit metum, ne, sicut assueuerant, liberè grassarentur. Certa tamen pax in Silesia non fuit ab anno Christi 1420. vsq; ad regnum Vladislai Poloni, annos 70.

Poloni subinde carpebant Silesiam incursionibus, etiam post interitum sui Vladislai ad Varnam, & deprædationes illæ bellicæ tot annorum, repleuerunt regionem latronibus & prædonibus, qui omnes vias obsidebant. Mortuo deinde Ladislao cœperunt litigare de Silesia primum Georgius Bohemus & Mathias, postea Mathias & Vladislaus. Historiam motuum illorum non repeto, cum ea copiosè libro superiori sit descripta.

Ladislaus Posthumus venit Vratislauiam 1454. die S. Nicolai, triennio post Pragæ perijt. Anno priori fuit Vratislauiæ Capistranus hypocrita Italicus. Non fuit alius error maior, & magis pernicioſus huic vrbi, quàm ista mirifica & tamen non necessaria fortitudo, quòd ista Respublica se opposuit Georgio Bohemo, eumq; tandem armis & consilijs suis Silesia eiecit.

Vratislauiæ error in bello contra Georgium Bohemum.

Erat is vir sapiens & clemens creatus in Regem legitimo modo, tribuebat illi titulum regni Cæsar, tota Silesia & Lusatia agnoscebat eum pro rege. Sola autem hæc vrbs constanter eum reiecit. Cuius ardoris duæ fuerunt causæ: prior sæuum odium erga Bohemos, qui superioribus annis crudelissimè Silesiam afflixerant, deinde persuasio religionis vel pietatis, quam instillabant ipsis sacerdotes, qui publicè sine fine Georgium tanquam hæreticum execrabantur.

Sed illi ipsi, qui erant faces huius incendij, postea leuiter icti resilierunt: plerosq; ex ciuibus iuuabant pecunia, sed sub conditione grauis

ne grauis fœnoris, & quasi vniuersas ciuitatis cædes seruitute sibi deuinxerunt. Ipsi autem, vrbe iam exhausta, occultè apud hostem sibi cauerunt.

Georgius vrbem amabat, cui noluit supremam adhibere vim, etsi à principio beneuolentia & viribus suorum egregiè erat instructus: potuisset Respublica per transactionem ab hoc rege libertatem & alia ornamenta adipisci. Nam Georgius etiam illi annuam pensionem de suo promittebat, si modo vellet quiescere, & abstinere à bello: Sed alia fuerunt fata. Peruicit quidem consilium vrbis, & cum immisceret se Mathias Huniades, Georgius Silesia eiectus est: sed graui cum patriæ detrimento.

Nam filij Georgij regionem sæpè acerbissimè diripuerunt & exusserunt, & tandem Mathias à duobus regibus Vratislauiæ cum exitio regionis oppugnatus est. Et quamuis Poloni & Bohemi grauiter cæsi sunt, tamen, vt olim dictum est, victus quidem plorauit, sed victor interijt, Silesia nempe ferro & flamma deuastata. Ordinem rerum istarum poterit lector inspicere in historia, quæ ipsa commonefacere debet prudentes de illo præcepto Paulino: In hoc sitis ambitiosi, vt propria faciatis. Item: Patriam quoque perdidit olim Gloria paucorum laudis titulique cupido.

Vratislauia attraxit Mathiam.

Existimatum fuit Mathiam ad extremum non fuisse bonam gratiam relaturum Vratislauiensibus, si diutius vixisset. Quia adhuersabantur consilijs ipsius, nimium interdum calidis. Mandauerat ne mutarentur magistratus vrbani ante ipsius aduentum, & denuo volebat Silesiam & hanc præcipuè vrbem constituere arcem belli Polonici. Sed mors Regis hæc omnia interrupit.

Mathias non fuit gratus Vratislauiensi urbi.

Anno igitur 1490. quieuerunt quidem bella, sed successerunt latrocinia admodum terribilia. Vladislaus vero Rex segnis & parum efficax, nullum opponebat præsidium. Vrbs Vratislauiensis & Gorlicensis repressérunt grassatores per equites suos emissarios. Deinde Sigismundus frater Regis bonam operam nauauit in extirpandis prædonibus, & multos ex nobilitate etiam, inquinatos rapinis & cædibus affecit supplicijs.

Intercessit deinde vrbi breuis quædam lis cum Friderico Lignicense, quæ tamen cito sopita est, & bonus Princeps magno deinde redemisset, si non iræ suæ indulsisset. Sub hoc Rege fuit fœlix successus mercaturæ, & auctæ sunt opes multorum ciuium in vrbe. Floruit etiam Respublica Senatoribus præstantibus consilio & fide, inter quos eminebat Iohannes Haunoldus: is multos annos egregie rexit fastum sacerdotum, qui inflati opibus & potentia meditabantur singularem dominatum constituere, & omnia conabantur figere & refigere pro suo arbitrio.

Vladislao regnante fuit fœlix mercatura in Silesia.

Vratislauia habuit sapientem Senatum.

Autor fuit Senatui, Academiæ constituendæ in sua vrbe, consilio laudatissimo & vtilissimo. Sed hoc bonum publicum, & singulare prouinciæ nostræ ornamentum euertit in quitas sacerdotum, qui hoc impedierunt largitione in aula Iulij Pontificis, vere illaudati, cum & lucem doctrinarum in illa sua tyrannica barbarie non ferrent, & quia à Rege quidam reditus sacri, ipsis detracti, donati fuerant recenti Academiæ: putauerim tamen consilia sacerdotum non futura fuisse superiora, cum præsertim Leo, qui Iulio successerat, faueret artibus & literatis, nisi vrbem retardassent duo incommoda: mors Haunoldi viri industrij & magnanimi, deinde disceptationes, quæ fuerunt vrbi cum Polonis propter emporium.

Vratislauiensium lites de Academia & emporio.

Anno enim 1511. 29. Ianuarij cum liberis, Anna & Ludouico, vrbem ingressus est Vladislaus Rex, & mense Februario edicto publico iussit Vratislauiam esse limitem commerciorum inter Poloniam & Germaniam. Sed cum totum quadriennium acriter esset litigatum, & Poloni commercia cum Silesijs vetarent, freti audacia Bohemorum, qui ipsis dabant transitum, cum maximo detrimento vrbis ius illud abrogatum est.

Bartholemæus Monsterbergensis hostis Vratislauiensium.

Fuit deinde vrbi negocium cum Bartholemæo Monsterbergense, Principe facundo, sed inquieto. Is cæsus est ad Cantium, & quamuis ciuitatem apud Regem in odium adduxerat, tamen hoc illi nihil profuit. Anno enim 1515. perijt in Danubio.

Vratislauiæ emendantur Ecclesiæ.

Post mortem Vladislai, & primis annis regni Ludouici, illustre fuit studium vrbis in emendatione doctrinæ cœlestis, & abolendis idolis Pontificijs. Qua in re ipsi etiam exemplo suo, reliquæ Silesiæ optimè præluxerunt, neque moti sunt vlla periculorum denunciatione, etsi in aula Regis habebant aduersarios Episcopos, qui omnia poterant, & domi circumsessi erant à domesticis hostibus sacerdotibus.

Iohannes Hessius & Ambrosius Moibanus instauratores Ecclesiarum in urbe Vratislauiensi.

Nacti sunt ab initio statim doctorem pietate doctrina & modestia excellentem, D. Ambrosium Moibanum, qui circumspectè grauiores abusus taxauit, & peritè monstrato discrimine Euangelij & ordinationum politicarum, animos multitudinis admodum incensos delinijt, ne orirentur seditiones aut alij violenti motus. Electus etiam tunc fuit Episcopus Iacobus Salzensis, Legum Doctor, vir sapiens & moderatus, qui veritatem opprimere vi, quod petebant sacerdotes, non voluit, cum præuideret inde secutura grauissima mala.

Ipsum D. Moibanum adductum, vt manus ipsi imponeret, his verbis affatus esse dicitur: Vade, doceas Euangelium Iesu Christi in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti. Inchoauit verò primus ministerium purioris doctrinæ vocatus in vrbem ex collegio, anno 1523. D. Iohannes Hessus præstans sapientia & numine eaq; quasi

Periclea

Periclea eloquentia. Illi coniunctis sententijs & operis ceremonias Ecclesiasticas emendarunt, reiectis superstitiosis & idolatricis ritibus, tamen retinuerunt eos, qui prodesse possunt ad ordinem, & ad excitandos motus inuocationis in animis hominum.

Cum etiam in hac regione passim vagarentur errones Enthusiastici, Anabaptistæ & alij, qui homines abducebant à ministerio, & multos in doctrina turbabant, ipsi constanter coniuncti cum Academia Vitebergense eos refutarunt, & ab Ecclesia sua deliria illa excluserunt.

Hoc exemplum cum intuerentur alia pleraq; oppida in Silesia, Enthusiastis non patuit publicè locus docendi, nisi alicubi, vbi singulari fato miseri & dementati populi irrepserunt, eosq; aculeos in animis hominum reliquerunt, qui nondum planè potuerunt eximi. Ea fuit etiam prudentia amplissimi Senatus, vt semper frenum calidis motibus in religione iniecerit, & voluerit dici necessaria, omissis inutilibus disputationibus aut criminationibus, & imprimis auctoritatem superioris magistratus diligentissimè curauit muniri, ne vlla specie contumaciæ possent prægrauari.

Vratislauia amauit moderationem in disputationibus religionis.

Ideo mortuo etiam Ludouico, & euecto ad imperium diuo Cæsare Ferdinando, etsi multa crudelitatis flabella in aula fuerunt, & ipse Rex ter vrbem eam reuisit, anno 1527. Calendis Maij, rursus 1538. 9. Maij, & tertio. 1546. 20. Martij, tamen vrbs singulari modestia & demissa obedientiæ significatione, clementissimi Cæsaris animum ita flexit, ne propter emendationem religionis ipsis iraſceretur: cui etiam concessione, non dissimili edicto Cyri, permisit vsum rituum receptorum, donec in synodo legitime conuocata posset fieri dijudicatio dogmatum.

Vratislauia impetrauit ut religioni daretur pax à Ferdinando Rege.

Hæc tanta moderatio non solum vrbi, verum etiam reliquæ Silesiæ fuit salutaris, adeo vt ardente seditione rustica, fermè in tota Germania, hæc Regio à contagijs furorum illorum fuerit immunis, & æquissimus Cæsar nullam etiam ex minoribus ciuitatibus consentientem in doctrina cum Vratislauiensi perdiderit.

Anabaptistas vero & alios, qui seditiosa & pernicioſa dogmata circumferebant, hæc vrbs & reliquæ maturè repressérunt, & relegarunt, qui deinde in Morauiam profugerunt, vbi inuenerunt domicilium, ibiq; singularem politiam Platonicam, plenam turpitudinis & scelerum constituerunt.

Anabaptistica colluuies fuit excluſa à Vratislauia.

Fuit etiam hoc beneficium Dei eximium, quod in ea religionis purioris plantatione largitus est duos Episcopos huic regioni, sapientes & bonos, qui admodum propitij fuerunt aduersarij, neque vnquam ad sæuitiam se accendi passi sunt, sed quietem publicam consilijs iracundis anteferre maluerunt.

D. Iacobo enim succeſſit Balthasar Promicius nobilis Freistadiensis Princeps doctus eloquens & beneficus, qui cum imperio

Iacobus Salzensis & Balthasar Promicius fuerunt Episcopi salutares Silesiæ.

etiam Silesiæ, nomine regio, præfuit, & vrbem hanc sicut reliquam Silesiam totam amore verè patrio complexus est, fuit custos pacis, concordiæ & iusticiæ assiduus, neq; vllum ordinem, propter confessionem veræ doctrinæ afflixit.

Non dubium est igitur, æternam huic optimo Principi deberi gratiam, qui verè talis fuit, sicut versus græcus inquit: χρηστὸς ἀνὴρ κοινὸν ἄγαθον ἐστὶ: Vir bonus est bonum publicum. Ipse etiam in vita præsentiam Dei expertus est, qui eum euexit, texit & amplissimis opibus auxit, secundum promissionem: Beati mites, illi possidebunt terram.

Recensui seriem euentuum memorabilium, qui acciderunt vrbi vsq; ad necem regis Ludouici, vt illi in vna quasi tabella facilius possint aspici & considerari. Exposita sunt autem ista copiosius in historia. Chorographiam vrbis accuratam non describo, & extant picturæ non inuenustæ. Magnitudo satis ampla est, & ex mea

Vratislauiæ magnitudo.

æstimatione, quam tamen non pro certa pono, diameter non est minor sex stadijs.

Vratislauiæ qualis sit aëris constitutio.

Veteres Philosophi & medici iusserunt considerare, quibus ventis quælibet ciuitates expositæ sint. Nam cum corpora nostra ex aëre nobis circumfuso maximè immutentur, prodest ea diligentia ad curam tuendæ valetudinis. Sita est vrbs in magna camporum planicie in ripa Viadri Australi. Ad ortum tamen brumalem montibus protensis excluditur Euronotus. Liberrimè autem perflatur Aquilonibus, excurrentibus per longos campos ex Polonia, deinde etiam ventis orientalibus & Zephyris.

Siccitas vero Aquilonum retunditur ex duabus potentibus causis. Versus Septentrionem enim cingitur plurimis locis palustribus, vliginosis & multum humidis, sicut traditur, ipsam vrbem olim in lacu exiccato extructam. Ripa etiam illa Viadri admodum depressa est & decliuis. Deinde prope vrbem passim est ager, qui habet glebam pinguem & humidam.

Ex his causis siccitas ventorum remittitur, & aër potius ad humiditatem quandam notabilem declinat. Deinde etiam frigiditas propter halitus terrestres & paluſtres, præditos vuida quadam caliditate, atq; ex incursu calidiorum ventorum remittitur. Ita vt crediderim, constitutionem aëris primo quidem esse humidam, deinde nonnihil calidam, eamq; respondere ex quadam analogia, seruato videlicet discrimine climatum, aëri Italico, præsertim Bononiensi aut etiam Longobardico.

Nec ab hac nostra opinione dissentiunt Astrologi, qui vrbem subijciunt Virgini & Mercurio, eamq; conferunt cum Ticino, Lutetia, Basilea. Ingenia etiam vt plurimum congruere manifestum

Vratislauiensium ingenia.

est, quæ ex temperie quodammodo media sunt inter sanguinea & bilioſa. Ideo plurimi ex inclytis ciuibus, non modo sunt excitati ad honestas actiones diligenter efficiendas, capaces artium, prudentes,

amant

amantes religionis & artium, verumetiam præditi singulari dexteritate in familiari consuetudine, affabilitate & morum eleganti ciuilitate, quæ quidem virtutes propriæ sunt gentis Italicæ excultæ.

Vratislauiæ qui sint morbi familiares.

Morbi familiares, & quasi ἐνδήμιοι sunt, procliuitas in febres ex facili errore, calculi renum & dolores articulorum omnis generis. Causæ sunt non solum ex aëris qualitate, verum etiam ex ratione victus, qui apud plerosq; est liberalior & plenior, accedit simul ratio in potu, qui constat ex cereuisia succulenta, multi nutrimenti illiusq; subuiscidi, ita vt, si cibi potusq; in genere facienda sit collatio, ego eam cereuisiam ex proportione respondere existimauerim carni suillæ, quæ ex testimonio Galeni, vbi bene conficitur, & in habitum corporis distribuitur, præbet alimentum multum, laudatum & compactum.

Deinde hauriuntur ibi familiariter vina plena, fumosa & dulcia, Hungarica, Austriaca & Francica. Inde suppeditari ex erroribus intemperantiæ excrementum partim pituitosum, partim biliosum, euidens est, multumq; repleri caput exhalationibus illis calidis & humidis. Humores eiusmodi præbere occasionem generationi calculorum constat. Articulorum vero imbecillitas est à naturali humiditate, quæ efficit laxitatem, & occasionem ad recipienda excrementa affluentia ex capite, præcipuè quæ ab humore bilioso & acri, tanquam à vehiculo eò deducuntur & intruduntur. Sed hanc considerationem prudentissimis Medicis illius ciuitatis relinquimus & subiicimus.

De statu ciuitatis sparsim iam dictum est. Vetustas laudauit Massiliam, veterum Ionum coloniam, qui ex sua patria in littus illud Gallicum importarunt sapientiam & eruditionem Græcam, ipsaq; vrbs tanquam illustris Academia, Romanam iuuentutem & aliarum gentium diu erudijt doctrina & honestis in omni genere virtutum exemplis.

Vratislauiæ ornamenta.

Hæc nostra vrbs ciuilibus ornamentis Massiliæ non cedit, alijs verò illisq; verioribus bonis, longè eam superat. Nam Principio habet Ecclesias rectè constitutas, in quibus sonat vox incorruptæ doctrinæ de agnitione Christi & de vera inuocatione Dei propter Mediatorem, resectis omnibus erroribus idolatricis.

Vratislauienses Ecclesiæ & scholæ.

Ita vero amans est populus publicorum congressuum, vt etiam illa spaciosissima templa tantam multitudinem non capiant, in ea frequentia funduntur preces publicæ pro Ecclesia, pro Magistratu & Oeconomijs ardentes & piæ. Templis adiunctæ sunt scholæ, constitutæ ex pia liberalitate Senatus & ciuiū, vbi iuuentuti magna cura & assiduitate traduntur initia pietatis & optimarum artium semina. Hæc nimirū sunt vera & laudata bona, quibus hæc ciuitas illustris est, multasq; alias, etsi potentia superiores, sed implicatas idolatria, aut inquinatas barbarie, quales sunt Constantinopolis, Alexandria, atq; ipsa etiam Roma, antecellit: de quibus verum est

hoc,quod in Græco versu de Helide dicitur,eas esse ebrias & mendaces, hoc est, defendere ipsas idola,& contaminatas esse luxu & libidinum immundicie.

Vratislauiensis Aristocratia.

Respublica autem ipsa pulcra est Aristocratia,in qua nec sunt Oligarchiæ, nec Democraticæ confusiones. Magistratus vrbanus seuerus custos est legis diuinæ in vtraq; tabula. Tuetur ministerium, punit blasphemos,homicidas, inquinatos libidinibus,fures & alia scelera cum decalogo pugnantia.

In consilijs sunt circumspecti, non præcipites, sed amantes exquisitæ & cunctatricis cuiusdam prudentiæ. Atq; prorsus ea præstantissimi Senatus augusta est dignitas,& ad suos ciues cum graui cultu reuerentiæ caritas, vt verum sit illud poëtæ: Formosi pecoris custos formosior ipse.

Ferdinandi Cæsaris elogium de Repub. Vratislauiēsi.

Ideo honestissimo hoc elogio Cæsar sapiens,diuus Ferdinandus, vrbem hanc ad fratrem Carolum Imperatorem ornauerat: Est, dixerat, Vratislauia vrbs pulchra,ibiq; forma gubernationis optima est. Aedificia quidem vrbis etsi sunt splendida,eaq; structuræ & ordinis elegantia distincta, vt Germania ea in re non habeat vrbem meliorem, tamen pulchriora non sunt, quàm ipsi domini,& œconomiæ, in quibus sunt multi ciues ornati honestis opibus, quibus benefaciunt discentibus doctrinam Ecclesiæ & artes vitæ necessarias, animi promtitudine maximè pia, ita vt quorundam præstantium ciuium in hoc genere liberalitas sit par magnis Principibus.

Vratislauiæ ædificia & œconomiæ.

Vratislauiensium liberalitas & studia discentium.

Erga ministros etiam doctores suarum Ecclesiarum & Scholarum sunt munifici & officiosi. Magistratui cum superiori tum vrbano largiuntur liberaliter ad conseruationem pacis & disciplinæ. Nulla etiam in Silesia, aut in vicinia quoq; est vrbs,vbi ita accurata habetur ratio pauperum, sicut in ista. Nam & publica impensa extructa sunt commodissima nosocomia,vbi inopibus & ægrotis munda & locuples alimonia datur,& præterea peritis medicationibus iuuantur: in eamq; rem ciues eleemosynas amplissimas contribuunt.

D. Iohannes Hessius erexit ampla nosocomia Vratislauiæ.

Instituti huius pij primus autor & hortator fuit D. Iohannes Hessus, qui voce sua studia reipublicæ & ciuium ad hanc pietatem mirificè excitauit.Oeconomiæ domi gubernantur piè,sobriè,ciuiliter,& ex conuenienti inprimis ordine. Nam liberi & familia assuefiunt ad precationes & exercitia pietatis: dicuntur preces manè,ante & post cibum, ante somnum à liberis,qui inspectores habent domesticos præter parentes doctos & modestos pædagogos. Matronæ excellentes forma,ingenio & pudicitia filiabus sunt monstratrices pietatis,modestiæ, elegantis culturæ & assiduitatis in œconomijs. Verè itaq; in multis pijs familijs conspicitur exemplum Prophetici voti: Sint filij nostri sicut plantulæ crescentes in iuuentute sua:Filiæ nostræ sicut anguli ornati ad similitudinem templi: nempe, vt

pe, vt non solum puellæ figura & cultu corporis sint similes templo ornato, verum etiam, vt ipsæ intus sint templa Spiritus sancti, in quibus vera lux de Deo, & veræ virtutes fulgeant.

Neq; facile locum reperies, vbi mundior & exquisitior sit victus, maiorq; elegantia & ciuilitas in œconomijs, quàm in ista vrbe. Sed ego, ne nimium euagari videar, desino, & Deum supplex oro, vt hanc regionem atq; hanc vrbem, quæ est corona huius Prouinciæ, protegat, & ipse faciat, vt ad omnem posteritatem nostræ vrbes sint domicilia pietatis, sapientiæ, doctrinæ & virtutis, ipseq; arceat à nostris ceruicibus, aris & focis latrones Scythicos, ne ista Ecclesiarum atq; politiarum hospitiola & niduli fiant mapalia aut stabula impietatis, blasphemiarum & barbaricæ turpitudinis, propter Filium Mediatorem & Saluatorem nostrum. Non enim frustra dictum est: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

DVCATVS GLOGOVIENSIS.

NOn est mei instituti depingere vel describere omnes Silesiæ vrbes aut loca. Nam & hoc esset laboris infiniti, & multa repetitione rerum non magnarum oboriretur fastidium legentibus, cum præsertim nunc extent picturæ. Verum posteaquam in genere situm & statum Prouinciæ recitaui, & quædam etiam de inclyta vrbe primaria dixi, nunc harum vrbium, in quibus natus sum & magnam partem vitæ meæ transegi, breuem historiam texam: vt in hac re etiam amorem meum patriæ testificer, quam verè diligo, & cui opto, vt Deus tribuat ciues multos, qui ipsi tanquam dulcissimæ matri pareant, à qua victum, leges, disciplinæ, religionis, literarum & artium intellectum acceperunt, & cogitent, tali se fœdere obligatos, vt eadem bona posteris tradant, nec laxent frenos iniustis cupiditatibus odiorum, ambitionis, curiositatis, aut auaritiæ, ex quibus accendi possunt dissensiones, aut alioqui attrahi mala inextricabilia, memores illius tristissimi vocabuli, quod multi ex veteribus Principibus Græciæ, quamuis excelluerunt sapientia & autoritate, tamen, quòd suis consilijs, ortis ex flammis malarum cupiditatum, vrbes suas euerterunt, nominati sunt parricidæ patriæ.

Patriæ debetur gratitudo.

Nouum regnum Sclauonicum vel Sarmaticum veteres ciues Silesiæ coëgit accipere leges & linguam suam, & inter tot bella vrbes antiquæ, si quæ fuerunt, sunt deletæ: quamuis nunquam sub imperio Lygiorum & Marcomannorum fuisse insignes aut valde amplas ciuitates in hac regione consentaneum est, quia perpetuæ erant harum gentium migrationes, & vix vspiam diu hæserunt. Ideo etiam veteres historici de Germania scribunt, eam non fuisse excultam magnis vrbibus.

Distri-

Silesiæ & Germaniæ ueteris urbes quales.

Distributa erat gens in præfecturas & pagos, ita vt plures vici parerent vni præsidi: sicut ea vocabula manserunt penes Heluetios. Deinde populi Sarmatici nunquam fuerunt studiosi ædificationum. Vrbes igitur Silesiæ penè omnes sunt recentes, & cæperunt ab eo tempore, quo religio Christi his populis innotuit: tunc enim, cum doctrina, etiam ordinem politicum in hæc loca intulerunt homines Itali & Germani: qui huc ex vicina Misia & Saxonia commigrarunt. Interea tamen verisimile est, mansisse aliquorum locorum appellationes veteres, quæ deinde ob memoriam vetustatis sunt repetitæ.

Inuenio nominatim antiquas vrbes esse Lignicium & Lubenam, de quibus dicitur, quod Boleslaus procerus primus Silesiæ Princeps, circa annum Christi 1170. eas exornauit & amplificauit. Tales autem fuerunt veteres vrbes, vt circa arcem aliquam munitam trabibus & cratibus, starent aliquot casæ congestæ ex materia lignea rudi & cespitibus: quales adhuc hodie multæ sunt ciuitates in Lithuania & Moscouia.

Cœnobium Leubense etiam antiquum est: & scribitur locum illum sub idolomania ethnica fuisse sacrum statuæ cuidam, quæ religiose colebatur: aliqui suspicati sunt, eam fuisse Martis.

Germanorum ueterum numina.

Apud Lucanum nominantur numina veterum Germanorum, quæ fuerunt heroes gentis proculdubio Theudates, Taran & Hesus. Isti sunt Deudschman/Garman, vel Herman: & Hesus, quem dicunt fuisse Martem, forte est Hertzog. Monstrantur etiam alibi adhuc templa, quæ putantur fuisse ethnicorum. Ea fuerunt ab initio parua, sed à Christianis amplificata sunt. Quia templa Christianorum sunt condita propter doctrinam, ethnicorum tantum propter sacrificia: Conciones autem gentium meliorum & cultiorum erant poëmata scenica, quæ recitabantur in theatris.

Glogouia antiquissima ciuitas in hoc ducatu.

Vtrum Suidnicia & Suibusium nomina sua retineant à Sueuis, non possum certo affirmare. In hoc nostro ducatu non credo esse antiquiorem vrbem Glogouia, quæ est metropolis ducatus. Est quoddam oppidulum Bethania, quod olim appellatum est Bythomia, illud est quidem vetus, & haud scio an non habeat suum nomen à Biturige, sed iam non est in veteri sua sede.

Bythomia uetus oppidum est.

Complectitur hic ducatus præter Glogouiam alia oppida quinque, Freistadium, Guram, Sprottam, Grunbergam & Suibusium, de quibus annotabo ea, quæ videntur memoria digna.

GLOGOVIA.

IN Ptolemæo nominatur vrbs Lugidunum, cuius situs non multum differens est ab hac ciuitate, cui asscribuntur Gradus longitudinis

dinis 33. M. 1. Latitud. Gr. 51. M. 31. Existimo igitur antiqua rudera & ἐρείπια Lugiduni excitata & coacta in formam nouæ vrbis Glogouiæ. Origo vocabuli Lugiduni, meo iudicio est, à Lygijs, vel à Luijs: Ita enim hos populos nominant Strabo & Ptolemæus: & proculdubio vetus appellatio in lingua Germanica fuit Lügenau: vnde, vt esset mollior flexus, gentes exteræ dixerunt Luiunum & Lugidunum.

Glogouia instauratur ex ruinis Lugiduni.

Lugiduni etymologia.

Vtrum vocabulum Luij sit à leonibus, non certo determino: quamuis sonus alienus non est, & notum est, veteres Principes sibi tribuisse appellationem Leonum, Vrsorum, & talia etiam symbola pinxisse. Apud Herodotum est, Lygios vel Luios sua lingua mercatores nominare Sigynas: & ita scribit appellari gentem, quæ habitet ad ripas Istri in Germania: posset quis existimare, hoc nomen esse nostrum Zichegan, qua voce maiores nostri appellarunt homines vagabundos, qui in assiduis fuerunt profectionibus, etiam antequam noti fuerunt illi errones Aegyptij: & apparet Herodotum hoc velle, illos populos sic nominari, quod propter commercia longa suscipiant itinera. Ex mea opinione ab eadem sunt origine Lugidunum, Lignicium, Leubusium, LubenaL, ibusium, & si quæ sunt alia, videlicet à Lygijs vel à Luijs.

Sigynæ Herodoti qui sint.

Quo tempore Glogouia sit instaurata, & hoc nouum nomen Sclauonicum acceperit, certò non possum indicare, cum nulla extent monumenta. Vetustissimæ literæ, quas ego Glogouiæ videre potui, sunt scriptæ anno 1285. sub nomine Henrici Principis, qui fuit filius Conradi, nepos S. Heduigis. Scio tamen, in hac vicinia apud viros nobiles extare paulò vetustiores, paucis annis post bella Tartarica scriptas.

Glogouiæ instauratio.

Historiæ Polonicæ incipiunt disertè facere mentionem Silesiæ sub annum Christi 1100. & nominatur Glogouia primum apud Dugloſſum circa annum Christi 1104. vbi dicitur, Boleslaum Crispum Principem collegisse copias Glogouiæ, quas duxit in Pomeranos. Deinde narrat, anno 1109. vrbem eam ab Henrico Quinto Cæsare obsessam esse: Sed eandem non tunc primum cœpisse indicio est, quod Dugloſſus scribit, oppidum illud tunc fuisse frequens numero hominum, sed mœnia illa fuisse collapsa ex vetustate. Ergo iam vrbs fortassis longius vno seculo steterat. Neque enim muri, etsi ex roboribus constructi, quales fuerunt veterum, cito cadunt.

Existimo igitur natales illius incidere in Vratislauiæ instaurationem: quo tempore nempe in toto regno Poloniæ fuerunt plantatæ Ecclesiæ, scholæ, & vrbes, illarum domicilia, gubernantibus consilia ista hominibus Italis Godefrido Episcopo & alijs. Regnabat autem tunc Mieslaus Princeps. Crebro Episcopi fuerunt

in hac

Breichauuiensis ager donatur Episcopo.

in hac vicinia, quia ager Breichaw prima fuit donatio, quæ Episcopo facta est. Ideo apud maiores nostros fuit sermo, Episcopum domicilium suum ibi habuisse, quod tamen historiæ Polonicæ non testantur. Verum eos ideo sæpe & multum in hæc loca excurrisse constat, vt Ecclesias hinc inde constituerent: cum Episcopus Smogrensis inspector esset Ecclesiarum ad ipsum vsq; Libusium, Marchiæ oppidum.

Deinde hæc mea est opinio, vrbem ab initio sitam fuisse in altera ripa, Aquilonari fluminis Viadri, non vero in Australi, vbi nunc est. Cuius rei istas habeo coniecturas, propemodum certas. Narrat historia, Cæsarem cum exercitu Germanico & Bohemico progressum ex Misnia expugnasse primum Libusium, quod nunc est Marchiæ oppidum, deinde penetrasse eum in loca interiora ad ripam fluuij, & irrito conatu tentasse Bythomiam, postea transijsse ipsum fluuium Oderam die S. Bartholemæi, & oppugnasse magna vi Glogouiam. Deinde interfecto Principe Bohemo, eum, motis castris, in eadem ripa Aquilonari perrexisse Vratislauiam, & ad vicum Hundsfeldt conflixisse cum Polonis. Ex qua narratione manifestè colligitur, vrbem fuisse in altera ripa.

Glogouiæ veteris situs.

In annalibus etiam manuscriptis dicitur, Glogouiam eò loci sitam fuisse, vbi nunc est collegiata Ecclesia S. Mariæ, ita enim loquuntur. Forma quidem loci omnino talis est, qualem amauit vetustas, palustris & vliginosa, vt non facile pateat aditus. In vicinia illa adhuc effodiuntur vrnæ, & similia vestigia sepulturæ ethnicæ, ita vt mihi plane videatur probabile, stetisse vrbem in illa ripa, vbi nunc est sedes collegij sacerdotalis, & via, quæ nominatur lapidea: neq; tunc valde magna fuit.

Glogouiæ etymon.

Facit etiam fidem appellatio, quæ deducitur à frutice spinoso, quem latini nominant paliurum: Significat igitur spinetum vel senticetum. Qua in re accuso nostros maiores, quod non maluerint vrbi attribuere nomen minus horridum, minusq; ominosum.

Nomina sunt fatalia.

Fermè enim nomina solent esse fatalia. Porro in ista ripa adhuc hodie tale est fruticetum & spinetum.

Non procul ab ea parte est pagus, qui paret ciuitati, is nominatur das Höckrich, quæ vox planè est interpretatio vocabuli Sclauonici Glogau: & fortassis hic etiam locum habet opinio nostri Philippi, qui putabat inde vsque ab antiquissimis temporibus promiscuè habitasse Teutones & Henetos, qui simil ex oriente sunt progressi versus Aquilonem & Occasum: etsi magna pars Henetorum consedit in Sarmatia vel Moscouia. Quælibet autem gens habitationibus suis, suæ linguæ attribuit nomina. Sicut Lipsia significat tilietum, & non procul ab ipsa vrbe pagus est, qui Germanicam appellationem habet à tilia. Plurima vero similia exempla passim in Germania reperiuntur.

Quo

Quo tempore translata sit Glogouia in hanc, vbi nunc est, ripam, etiam videor posse colligere ex historia. Anno proximo post obsidionem, nempe 1110. Boleslaus Crispus fuit Babebergæ apud Cæsarem, cui tunc est reconciliatus, & vt firmior esset concordia, coniugia ibi sanxit. Reuersus ex Germania diu substitit Glogouiæ, eamq; vrbem bene meritam de nomine Polonico, quassatam verò priori bello, vt historia narrat, restauit & ornauit.

Tunc igitur vrbem ex illa loci angustia, quæ frequentiam ciuium non bene capiebat, & ex illo sabulo transtulit in hanc ripam vberiorem & amœniorem. Descripsit formam vrbis ampliorem, eamq; vt ornaret & cœtibus religiosorum augeret, assentiente & iuuante Haymo Episcopo Vratislauiense, instituit collegium sacerdotum ad doctrinam & ad exercitia pietatis: illudq; cum Vratislauiensi, tanquam cum suo corpore, coniunxit.

Glogouia in alteram ripam translata.

Glogouiense collegium fundatur.

Fundatio scribitur facta 1120. Fuit vero templum Canonicorum in illo loco, vbi postea extructum est cœnobium sodalibus Dominici: & adhuc hodie notum est, quæ ædes fuerint domicilia præcipuorum ex collegio. Huic narrationi de condita vrbe fidem facit euentus. Anno quadragesimo octauo post hoc tempus, Fridericus Barbarossa cum exercitu inuasit Poloniam, ibi Princeps Polonicus, filius huius Boleslai, cum desperasset Glogouiam vrbem magnam, sed recentem, & adhuc non satis munitam, posse defendi aduersus Cæsarem, eam exussit: Si autem in veteri sede ripæ aduersæ fuisset, proculdubio exemplo patris eam munijsset præsidio, cum præsertim prius fœlix fuisset euentus.

Glogouia oppressa à collegio.

Neq; etiam consilium de collegio vrbi fuit salutare. Nam breui tempore annitentibus Episcopis, magna pars vrbis venit in potestatem sacerdotum, qui hic dominati sunt pro suo arbitrio, & cum iniquiores essent Germanis, ciuitas in illo suo oportunissimo situ non magna habuit incrementa. Creuerunt interea Lignicium & Vratislauia excultæ à Germanis.

Tandem sub annum Christi 1260. Conradus Glogouiensis, nepos S. Heduigis, qui domicilium suum in arcem Pridomiam vno milliari ab vrbe distantem collocauerat, eamq; ad vsus bellicos muniuerat, collegium ex vrbe, facta permutatione, in istam, vbi nunc est, Viadri insulam transtulit: ipse autem extructa arce in vrbem migrauit: exemplo fratrum huc accersijt colonos ex Germania. Atq; ita Glogouia serius quàm aliæ vrbes, mores & deinde linguam Polonorum deseruit, & primum sub isto Conrado accepit formam veræ vrbis, cùm prius, quod esset inflammata, & quod seruiret sacerdotibus, esset neglecta.

Glogouia exornatur à Conrado.

Inuenio igitur istum Conradum vrbi tribuisse iura & priuilegia ciuitatis Germanicæ, cum abrogasset imperium sacerdotum, & iniquas leges Polonicas. Istorum saluberrimorum consiliorum apud maritum Principem fuit gubernatrix Salome Posnanienſis,

Monasteriorum Glogouiensium fundatio.

cuius opera cœnobium Dominicanorum constructum est in parte ciuitatis occidentali, & rursus ad ortum Solstitialem magna ciuitati adiuncta appendix, & ille locus, vbi olim cruces publicorum supplicíorum steterant, designatus ad cœnobium Virginum erigendum, quam ædificationem absoluit Henricus Tertius Glogouiensis, filius Salomes. Fœmina ista propter pietatem adeo fuit celebris, vt post mortem à Monachis & alijs fuerit adorata.

Glogouiæ magnitudo.

Hoc modo paulatim vrbs aucta est, & in eam formam, qua nunc cernitur, promota. Diameter eius, meo iudicio, est quatuor stadiorum: ambitus duodecim stadiorum fermè. Situs ita opportunus est, vt post Vratislauiam in Silesia locus commodior non sit. Ex Polonia enim, quæ vrbes magnas in hac vicinia non habet, importantur annona, carnes, merces omnis generis magna cum vbertate, ita vt hæc ciuitas multorum populorum sit commune quasi horreum, vnde frumenta magna in copia euehuntur.

Glogouiæ cõmoditates.

Agrorum circa vrbem magna etiam est fertilitas, & rei pecuariæ insignia sunt studia. Flumen piscosum est, piscinæ etiam in vicinia multæ: Secundo fluuio aduehuntur ligna, atq; ita forum egregium, refertum omnium rerum necessariarum copia est, nisi auaritia hominum precia augeret.

Vrbs ipsa versus Austrum montibus & locis editioribus cincta est, neq; ab vlla alia parte liberè à ventis perflatur, præterquam ab Aquilonibus, & angularibus ventis, ipsi proximis, qui ex planicie Polonica per flumen ad vrbem feruntur. Ipsa ripa meridionalis fluuij alta est, non depressa aut decliuis, qualis est Vratislauiensis: Salubritas igitur aëris satis commoda est, melior etiam quàm Vratislauiæ, & constitutio talis, quæ non facile impressiones putridas recipit.

Glogouiæ salubritas.

Nam cum auram Australem, eamq; insalubrem, montes excludant: Aquilones vero, qui omnium maximè aërem à putridis halitibus expurgant, sine impedimento aliquo quotidie aspirent, atq; horum tamen mordacitas & acrimonia ab halitibus fluminis humidis, & quasi tepidis refrenetur, manifestum est hunc aërem, qui Vratislauiensi paulò est frigidior & siccior, non esse pronum ad pestifera semina admittenda, neq; tamen eundem ob nimiam tenuitatem & mordacitatem inimicum esse cerebro & pulmonibus.

Ratione igitur aëris, qui, vt in hoc climate, nullo enormi vitio præditus est, non multi sunt in hac ciuitate morbi ἐνδήμιοι: propter delicta tamen in potu præcipuè deinde propter ventorum naturam huic etiam vrbi familiarior est Arthritis quàm vicinis.

Cereuisia enim coquitur ex aqua, cuius fontes plerique sunt versus Austrum, in solo pinguiori & limoso, ipse etiam Viadrus vehit aquam lentam, turbidam & tepidiorem: Præterea magna ex parte triticum quidem probum pingueq; est, sed ex nimia torrefactione in præparatione contrahit quandam acrimoniam fumosam, quæ proculdubio

culdubio qualitas est accedens ad aliquam putredinem. Cereuisia igitur efficitur succulenta quidem, multiq; nutrimenti sed turbidior, acris & fumosa, cum præsertim largè condiatur lupulo, qui sua natura caput petit. *Glogouiensis cereuisia est succulenta & fumosa.*

Victus etiam vt plurimum plenus, crassioris q; succi est ex carne suilla, bubula, caseo, brassica condita, & similibus. Ex his vitæ erroribus corpora excremento pituitoso & bilioso impleri manifestum est, & imprimis caput, in quo fumi isti eleuati & condensati necessario transeunt in serum limosum & acre, quod deinde in caua spatia articulorum, qui alioqui ab Aquilonibus debilitari solent, delabitur. *Glogouiæ familiares morbi.*

Secundo loco, corpora hæc multum nephritidi obnoxia sunt, ex eadem causa. Materia enim proxima, ex qua lapis aut arenulæ in renibus concrescunt, est pituita diluta sero bilioso & acri. Aedificia vrbis paulatim emendantur. Nam huc vsq; semper fuit neglectio Sarmatica in ædificando, & vrbs magna ex parte adhuc lignea est. Nihil est amœnius collegio sacerdotum, quod in suburbio flumentano extructum est in insula Viadri pulchra, ibiq; sunt horti feraces. Nam solum alterius ripæ aridius, arboribus non est æquum. *Glogouiæ ædificia.*

Figura vrbis penè est oualis, maximè protenditur ab Austro versus Aquilonem. Fuit olim arx in parte Australi, sed ea diruta est, & commutata in portam vrbis, extructa vero est alia versus occasum solstitialem ad ripam fluuij, eaq; studio veterum Principum pro ratione illius ætatis munita est. Fuit ea domicilium veterum Principum, & ibi est magna, & tetra illa turris albicans, vbi fame necatus est Senatus Glogouiensis, ex mandato Ducis Iohannis, vt postea referetur.

Templum vrbanum in loco editiori (nam versus Austrum vrbs assurgit in quandam altitudinem) ad meridiem locatum est, structura vetustissima est, sed subinde annexæ sibi sunt appendices, pro vt aut vrbs creuit frequentia habitatorum, aut inualescentibus subinde superstitionibus, aut nouis cultibus diuorum. Habet hoc templum turrim altam, crassitudinis miræ, ita vt grandiorem Silesia vix videat. Aetas eius ignoratur: sed proculdubio ante annos 400. vnà cum ciuitate cœpit, ignoratur etiam quando ipsi sit auulsum fastigium. *Glogouiensis templi turris.*

Sunt in vrbe monasteria tria. Virginum vnum ad ortum solstitialem prope flumen, ante annos ferme 300. constitutum, religiosa pietate veterum Principum, qui ibi voluerunt educari puellas ad pietatem & honesta officia disciplinæ, quæ consilia adhuc hodie essent vtilissima, si abolitis impijs votis & superstitiosis cultibus ætas puellaris, in hac præsertim domesticæ disciplinæ nostra ætate laxatione, assuefierent ad exercitia precationum, lectionum cantionum & modestiæ in omni vita. Ad Aquilonem est Monasterium sodalitij S. Francisci, in quod deinde immigrarunt illi, qui nomi- *Virginum cœnobia sunt vtili consilio constituta.*

nantur obseruantes Bernhardini, & aliud Dominicanorum, vbi olim fuit collegium sacerdotum ad occasum Solis, cum templo spatioso & egregio, extructo ex eleemosynis multorum piorum ciuium. In illis, sicut alibi etiam, olim habitarunt apes, quæ fundebant mella vtilis doctrinæ, deinde successerunt fuci ignaui, & ebrij ventres: faciat Deus, ne immigrent auaræ harpyiæ, sicut in multis locis accidit. Portæ vrbis sunt quinq, ex quibus duæ sunt flumentaneæ, quarum tamen altera tantum seruit molæ vrbanæ: præterea duæ ianuæ minores, pro viatoribus.

Glogouiensis urbis portæ.

Vrbs quidem fermè duplici muro & fossa cincta est, sed tamen ad longas oppugnationes nihil haberet roboris: Pacem igitur poscamus, & Deum oremus, vt ipse sit murus igneus in circuitu nostro, sicut in Propheta dicitur.

FREISTADIVM VEL ELEVTHEROPOLIS ELYSIORVM.

APud Homerum vir sapiens Vlysses de sua arida & saxosa Ithaca inquit, inter longa sua exilia nondum se reperisse terram dulciorem ista: ita certè ego verè diligo hoc oppidum, quod auo meo paterno, nato in oppido Camencio Lusatiæ, & deinde dulcissimis meis parentibus, Gregorio Cureo & Margarethæ matri, hospitium tribuit annos propemodum 70. ab anno nempè 1494. vsq ad annum 1564. quo matrem nostram, post mortem Vitrici, inde abduximus. Ibi ego quidem non solum vitales spiritus, verum etiam semina cœlestis doctrinæ & artium hausi.

Ioachimi Curei familia.

Cum igitur virtus sit amare patriam, & eius tranquillitatem omni officio tueri, amorem & gratitudinem huic oppido debeo, quod etsi nõ ita liberum est, sicut vrbs Veneta, quæ tenet imperium & regias opes, tamen est Eleutheropolis Christi, exemta tyrannidi Diaboli & idolatrarum: adiuncta autem Ecclesiæ filij Dei, in qua est vera libertas in cœlesti republica, parta per Christum, nec tamen etiam oppressa est tyrannica seruitute corporum, sed fruitur libertate, quam honestis legibus circumscripsit legitimus magistratus, & in ea modestè tolerat communes ærumnas imperiorum in hac senecta mundi, & vitat illa vulgaria errata hominum, de quibus dicitur: *Libertatis amor stultas cur decipis vrbes.*

Freistadij commoda.

Situs oppidi talis fermè est: Longitudo (si modo certæ sunt annotationes Appiani) est Grad. 32. M. 36. Latitudo Grad. 51. M. 28. Est quasi centrum collatum ad vicina oppida, Sprottam, Saganum, Grunbergam, Bethaniam: vbiq enim interuallum est milliarium trium: distat à Vratislauia milliaribus 16. versus occasum, à Glogouia quinq. Situm est quasi in valle: Cingitur enim montibus & locis editioribus ad omnes plagas cœli, præterquam ad Aquilonem proximum ortui solstitiali. Defenditur igitur ab omni-

Freistadij situs.

Freistadij constitutio.

omnibus ventis vel aura, & solum liberrimè perflatur ventis Septentrionalibus & orientalibus solstitialibus, qui feriunt ciuitatem, accurrentes per loca decliuia, sabulosa & arida, ita vt ipsis nulli vapores aquei aut humidiores misceantur. Viadrus enim spacio vnius magni milliaris abest. Inde facile est ratiocinari de loci salubritate, quæ esset ad aëris puritatem, & ad putredinem eius arcendam, valde commoda, nisi ex erratis hominum aliquantum deprauaretur. Stagna enim prope vrbem, inquinata cœno & sordibus opificum, tetrum exhalant fœtorem, qui bonitatem aëris corrumpit.

Præterea cum maxima sit aëris tenuitas cum frigiditate, manifestum est illum minus commodum esse pulmonibus, qui cum sint aëris receptaculum, & constent ex substantia delicata & flaccida, facilè à talibus halitibus acrioribus sauciantur, & simul propter penetrationis facilitatem ad cerebrū, expressionem factam ab aura frigidiori, excitantur catharri tenues & acres, ad loca thoracis defluentes. Ideo huic oppido morbus ἐνδήμιος & familiaris est Phthisis, eaq; immedicabilis, qua totæ familiæ intereunt, præsertim mulieres, cum etiam errata laborum & defatigationum sub Sole, delicta in victu, & expurgationum muliebrium difficultas accedant. *Freistadio familiaris morbus.*

Diameter oppidi, ex æstimatione mea, est duorum stadiorum: ambitus stadiorum ferme 6. Oppidum ligneum est, quamuis etiam quotannis quædam emendentur. Arx posita est ad Aquilonem, extructa & munita fossis à veteribus Principibus, præsertim ab Henrico decimo. Instauratur vero splendide à D. Fabiano Schöneichio ditionis illius hypothecario. Templum & schola sunt ad occasum solstitialem. Nullum fuit in oppido monasterium, sed ab Henrico Decimo templo fuit annexa appendix lapideis fornicibus iuncta, in eam collocati sunt sacerdotes, quos ætas illa nominauit Mansionarios: illis attributi sunt locupletes reditus, & iniunctum, vt sonarent in templo cantilenas de passione Christi. Princeps enim pius, qui iam illa ætate detestabatur scelera monachorum, maluit tales, qui minus essent hypocritæ, eosq; voluit seruare memoriam passionis Christi, omissis alijs cancionibus de Sanctis, quæ admodum sunt inuerecundæ. Agri sunt sabulosi, partim etiam lapidosi, sed cultura emendantur. Sunt circa vrbem horti non inamæni, plures & meliores quàm Glogouiæ. *Freistadij magnitudo.* *Freistadienſis Mansionarij.*

Frequentes in territorio illo sunt pagi, ideo in hoc oppido etiam, vbi alioqui hominum multitudo magna est, forum est egregium, & mediocre precium omnium rerum, carnium, piscium, leguminum, frumentorum, & cereuisiæ, ita vt tenuiores ibi facilius viuant quàm alibi, vbi precia rerum sunt maiora, aut vbi ea, quæ ad victum plebeium pertinent, venum quotidie non exponuntur. *Freistadienſe forum.*

Aetas certa oppidi ignoratur, sed ex coniectura probabili ea potest æstimari. In annalibus manu scriptis inuenio, primam mentionem fieri Freistadij sub annum Christi 1380. Sed oppidum esse *Freistadij ætas.*

vetuſtius inde poteſt intelligi. Tres Henrici fratres, cum partirentur ducatum paternum, conſtituerunt pro prima parte Saganum, Croſnam, Naumburgum & Suibuſium, pro ſecunda mediam partem Glogouiæ & Guræ, Stinauiam & Hencedorfium arcem, pro tertia Sprottam & Freiſtadium. Ergo neceſſe eſt hoc oppidum tunc fuiſſe mediocriter cultum, quod vna cum Sprotta potuit æquare aliarum partium vrbes multas.

Anno 1309. poſt mortem Henrici Tertij Glogouienſis, qui fuit filius Conradi, facta eſt diuiſio inter quatuor filios Henrici, ex quibus natu maximus domicilium ſuum collocauit Saganum, & dicitur ſimul obtinuiſſe Sprottam cum vicinis locis. Ibi nulla adhuc fit mentio Freiſtadij. Sed credibile eſt vrbem hanc, ſicut & reliquas, paulatim accepiſſe incrementa, neq; vno anno formam veræ vrbis accepiſſe.

Quia autem appellatio oppidi, ſicut fermè omnium pagorum in vicinia, Germanica eſt, certum eſt illud cœpiſſe eo tempore, cum vſus linguæ Germanicæ in his locis fieret familiarior: quod vt plurimum accidit ſub Henrico Tertio Conradi filio, ſub annum Chriſti 1300. Nupta fuit illi Henrico fœmina ſancta & ſapiens Mechtildis, filia Alberti Ducis Brunſuicenſis, quæ maximo ſtudio ditionem hanc excoluit. Deduxit huc ex Saxonia plurimas familias nobiles & vrbanas, quibus ſedem & amplas immunitates attribuit.

Mechtildis exornauit Freiſtadium.

Ideo, cum Freiſtadium in ſignis ſuis pingat turrim cum litera M grandiori, exiſtimo hoc propter memoriam præſtantis huius dominæ in vſum aſſumtum, vt ad poſteritatem extaret monumentum, ex beneficentia Mechtildis turrim, hoc eſt, vrbem illam ſua accepiſſe exordia. Quæri etiam poteſt de origine glorioſi illius nominis, deducti à libertate. Neſcio an exiſtimare debeam, propoſita immunitate allectos fuiſſe Germanos, vt loca illa excolerent, an vero, quod magis puto, vetus nomen loci ſeruatum eſſe.

Freiſtadienſis character unde.

Nam in illo tractu iacuerunt campi ſpacioſi, conſiti arboribus omnis generis ſylueſtribus, diſtincti pratis & paſcuis, qui erant publici, deſtinati à magiſtratu, vt pro certo vectigali eſſent communes toti viciniæ: ſicut adhuc hodie aliqua reſtant veſtigia. Nam illi campi nominantur liberi ab incolis. Inde igitur cenſeo attributum fuiſſe huic oppido nomen, quod in campis illis fuerit exædificatum: Si tamen prior coniectura cuiquam videtur probabilior, ego non repugno. Nam certum eſt, oppida hæc omnia tunc creuiſſe, quando Reſpublicæ ex legibus Germanicis fuerunt conſtitutæ.

Freiſtadij appellatio.

Poloni nominarunt hanc vrbem Cozuchouiam, à veſtibus pelliceis, quod ipſum documento eſt, frequentes hic conſediſſe opifices Germanos. Multum autem, vt ex omnibus circumſtantijs colligi poteſt, creuit ſub filijs Henrici Tertij, quando Glogouia

Freiſtadij nomen Polonicum.

gouia Principibus istis ademta fuit à Iohanne Rege, quod fuit anno Christi 1331.

Tunc enim Princeps Henricus Quartus Saganum migrauit, & vt damna sua resarciret, noua oppida partim condidit, partim iam inchoata excoluit: præcipuè caput suum tamen exeruit, quando Principes domicilium in vrbem eam transtulerunt, quod factum est circa annum Christi 1415. atq; hac occasione accidit.

Freistadium quo tempore creuerit.

Mediam partem Glogouiæ vnà cum arce, reges Bohemici attribuerant Principibus Theschinensibus: Saganum etiam assignatum erat fratri natu maximo ex filijs Henrici passeris. Ibi Henricus Decimus sedem suam fixit Freistadium, opibusq; valde creuit, cum ex breui interuallo duos fratres amisisset, quorum ipse solus fuerat hæres, quia Iohannes Saganensis diu antea à fratribus plane fuerat seiunctus.

Freistadiensium ciuium opes.

Simul etiam intra annos 18. bis conflagrauit Glogouia, & præterea exposita erat iniurijs & incursionibus Polonorum. Ideo multi ex vicinis vrbibus commigrarunt Freistadium, & ipse Princeps, vt propitius pater, ciues tegebat & iuuabat omni genere beneficentiæ. Breui itaq; tempore ita auctum est oppidum, vt inueniam annotatum, anno 1444. adeo honestas fuisse opes ciuium Freistadiensium, vt ciuis quidam opifex elocauerit filiam suam, illiq; præter iustam partem patrimonij donauerit vestitum & ornamenta, æquantia precium aureorum Hungaricorum 194. quæ pecuniæ summa tunc non fuit exigua: Similis etiam pietas in ciuitatem fuit Henrici filij, clementis & iusti Principis.

Sed deinde secuti sunt motus horribiles sub Iohanne Saganense viro furioso, & sub tyrannicis præfectis Regum Poloniæ, vt in historia paulò pòst recensebimus. Ex mea igitur opinione, quæ probabili nititur coniectura, ætas oppidi est circiter 250. annorum. Reliquæ descriptiones & narrationes postea attexentur. Nam ista capita situm vrbium præcipuè recitant.

GVRA.

Guræ oppidi situs.

OPpidum est non valde inæquale Freistadio: Distat à Glogouia versus ortum solstitialem milliaribus quatuor. Situm est in limite Polonico, & ipsum vocabulum, quod significat montem, Sclauonicum est. Stat enim in loco edito, exposito omnibus ventis, præsertim Aquilonibus. Sed versus Septentrionem syluæ & dumeta sunt palustria, & multum cœnosa, quæ vapore humido Aquilonum siccitatem & mordacitatem refrigerant, ideo, etsi sit constitutio frigida & Borealis: tamen minus est sicca, quàm Freistadiensis, nimisq; subtilis. Agri sunt sabulosi & lapidosi, mediocriter tamen fertiles.

Guræ ætas.

Oppidum vetustius est quàm Freistadium, quod, sicut existimo, cœpit ætate Henrici Barbati, qui libenter in illa vicinia crebro vixit, propter venationes: & passim in illa vicinia, vt in oppidulo Cõbena & alibi dicitur erexisse arces, ad vsus venationum. Neq; tamen subito creuit. Nam sub annum Christi 1300. Conradus Gibbosus à fratre Henrico Glogouiense collocatus est Stinauiam, non vero Guram.

Sed prima mentio Guræ in historijs fit anno 1309. Eo enim anno Iohanni filio Henrici Tertij pro parte sui patrimonij assignata sunt oppida Stinauia & Gura. Non fuit ibi cito magna frequentia habitatorum, quia propter vicinitatem Poloniæ fuit exposita primis periculis.

Nam ipse Henricus Barbatus, & deinde filij atq; nepotes ipsius multis annis dimicarunt de possessione Poloniæ maioris, in quibus bellis crebræ sunt factæ vastationes in illis locis. Deinde culpa Principum inopum oppidum fuit distractum inter plures dominos, & peruenit tandem in potestatem Principum Teschinensium.

Guram amauit Margareta Cilienſis.

Valde dilexit oppidum hoc, illiq; benefecit Margareta Cilienſis, vidua Vladislai Glogouiensis, nec quidem iniuria. Nam Gurenses egregia fide & constantia ducissam defenderunt aliquot annos, contra tyrannicam vim Iohannis Saganensis, qui mediam partem Glogouiæ tenebat, & tandem viduam ex arce eiecit: Gurenses eam in suam receperunt vrbem, fecerunt Iohanni bellum, & quamuis ab omnibus essent deserti, tamen transegerunt cum Iohanne conditionibus non iniquis, & interea ex beneficio ducissæ ornati sunt immunitatibus & peculiari iurisdictione in suo territorio. Forum frumentarium in hoc oppido est locuples propter situs oportunitatem ad Poloniam.

SPROTTA.

Sprottæ oppidi ætas.

OMnes populi amarunt ripas fluminum in condendis vrbibus, propter plurimas commoditates. Ideo in Silesia etiam cito culta sunt loca vicina fluuijs. Atq; ita Sprotta post Glogouiam & Bythomiam in hoc ducatu est antiquissima, meo iudicio. Ipsum nomen, sicut multorum pagorum in vicinia, Sclauonicum est, quod significat locum repurgatum à vepribus & dumetis ad vsus habitationum, der Reumauff.

Sprottenſis arcis antiquitas.

Adeo magna opinio est de vetustate, vt in propinquo agro adhuc monstrentur templa, condita ab ethnicis. Arx vero longè ciuitate ipsa est antiquior, & si ex probabili coniectura, in hac veterum monumentorum inopia, iudicandum est, extructa est circa ætatem Boleslai curui paulò pòst annum Christi 1100. Nam in historia illius Principis scribitur, eum, cum præuideret bellum Bohemicum & Germanicum, multa loca oportuna in Silesia munijsse, hinc inde

arcibus

arcibus & propugnaculis extructis: Postea vero Silesia iam distributa inter filios Vladislai ethnarchæ, cum sedatis motibus bellicis certa spes pacis appareret, cõfluxit eò multitudo hominum, qui aliquam formam oppidi inchoarunt, excisis vepribus & arboribus in illo sylvestri loco. Ante tempora tamen Conradi Glogouiensis non redactum est ad formam vrbis Germanicæ.

In historia, prima mentio Sprottæ fit sub annum Christi 1280. Eo enim tempore, cum Conradus ducatum inter filios partiretur, Sprottam collocauit Primislaum, illiq; etiam Saganum assignauit. Inde æstimari potest iam tunc Sprottam mediocriter fuisse auctam. Ibi enim Princeps suum habuit domicilium, & Saganum, quod Sprotta tunc erat infirmius, locupletauit. Ex oppido Naumburgo huc transtulit collegium Canonicorum, qui vocantur regulares, illiq; donauit reditus admodum vberes, qui tamen deinde paulatim ad maximas opes creuerunt.

Virginum cœnobium in oppido Sprottæ.

Bythoniam debilitauit Glogouia, ideo propter inopiam oppiduli & damna incendiorum, cœnobium Virginum Sprottam translatum est. Sed tandem Saganum, & postea Freistadium, hoc oppidum rursus exhauserunt. Nam Henricus Quartus Saganum migrauit, eoq; sedem suam fixit, & tandem Henricus Freistadiensis Sagano etiam amisso Freistadium Sprottæ prætulit, & cum ibi habitare mallet, oppidum illud multum euexit.

Sprottæ situs & cõstitutio.

Situs est amœnus & commodus. Ad meridiem alluitur Bobera fluuio, qui cum habeat solum lapidosum & arenosum, vehit pisces optimi succi & admodum salubres. Ab altera parte affluit fluuius minor, cui nomen est à nigredine, & appellatur etiam ab ipso oppidi nomine. Arx sita est versus ortum, loco qui circumdatur à fluuijs & paludibus, atq; ita satis munita est.

Oppidum Freistadio paulò minus est, satis tamen frequens. Aëris salubritas est mediocris, sed tamen impeditur à duabus causis. Nam amnis ille niger, qui vehit aquam cœnosam & limosam, inquinat aërem vaporibus crassis & humidis. Deinde magnam partem auræ Aquilonaris ab vrbe excludunt montes. Rursus tamen Austros multũ arcent sylvæ magnæ & propinquæ vrbi, eosq; emendant exhalationes à Bobera frigidæ & tenues. Distat à Glogouia versus occasum brumalem milliaribus quinq; magnis.

GRVNBERGA VEL PRASIÆ ELYSIORVM.

Grunbergæ ætas & situs.

OPpidum inter omnia huius ducatus est recentissimum, conditum à Germanis sub filijs Henrici Fidelis, post annum Christi 1320. non multo antequam Silesia venit in potestatem regum Bohemiæ. Apud Thucydidem oppidum est Laconicæ, Prasiæ, quod appellatione huic est affine.

Situm

Situm est in valle longe amœnissima, quæ egregijs ornata est commoditatibus. Aër frigidus est & humidus. Sunt ibi pulcherrimæ scaturigines & riuuli limpidissimi. Aues & feras suppeditant vicinæ syluæ, pisces Viadrus, qui inde abest milliari vno, & sunt plurimæ piscinæ in vicinia. Sunt etiam egregij horti, & montes exculti ferunt vina mediocriter proba.

Magnitudo congruit cum Sprotta. Abbati Saganensi olim ibi extructum fuit domicilium, qui eò mittebat suos colonos Monachos. Tenuerunt illi templum oppidi: Sed nostra ætate est facta emendatio. Distat à Glogouia versus occasum solstitialem milliaribus septem.

SVIBVSIVM.

Suibusij etymon & situs. EXistimo & hoc oppidum esse vetus, sed tamen rara in historijs illius fit mentio. Sonus appellationis non est alienus à nomine Sueuorum, vel Suionum. Possibile est igitur hæsisse in hoc loco veterem appellationem. Situm est vltra Viadrum versus Aquilonem & Poloniam.

Acerrimè dimicarunt de hoc oppido Marchiones Brandeburgenses & Poloni. Posteaquam enim Polonia fuit distributa inter multos, eosq; discordes Principes, non fuit par Prutenis & Pomeranis, qui subinde totam illam oram hostiliter ferro & flamma percurrebant. Accersiti sunt igitur Germani ex Saxonia & aliunde, illisq; datæ sedes, vt arcerent illos prædones ethnicos. Collocatus est etiam eò ordo militum Teutonicorum, qui nominantur S. Mariæ. Illi homines equestres & militares optimam operam nauarunt Poloniæ, & tandem ita illas gentes afflixerunt, vt fidem & imperium Christianorum acciperent. Sed demum parta victoria Poloni cœperunt litigare de finibus cum Germanis: & repetebant tractus illos, quos Germani suo sanguine emerant, tanquam suos. Inde orta sunt sæua & diuturna bella, quæ nostra ætate vix sunt sedata.

Acerrimè autem dimicarunt de parte illa, quæ nominatur Marchia noua, cum ducibus Poloniæ maioris Marchiones Brandeburgenses, & anno 1296. Primislaum Posnanienſem, cui ex longo interuallo imposita erat corona regni Poloniæ, nocte oppressum vicerunt & trucidarunt. Anno tricesimo post, Vladislaus Locticus Rex, adiutus à Scythis & Moschis, rursus crudeliter vastauit Marchiam & Silesiam.

Suibusij fuit varia fortuna. Ita tunc variæ fuerunt vices huius etiam vrbis, quæ erat limitanea, & modo fuit in possessione Marchionum, modo Polonorum. Tandem vero opera regum Bohemiæ, qui erant recentes Domini Silesiæ, constitutis limitibus, attributa est duci Glogouiensi, & illius fit mentio sub annum Christi 1380. Iam tunc enim paruit Principi Saganensi.

Hæc

Hæc fuit causa, cur oppidum minus cito creuerit, quod propter propinquam Poloniam semper esset in metu: propter loci tamen oportunitatem magna copia est ibi omnium rerum necessariarum. Abest à Glogouia versus occasum solstitialem milliaribus decem.

Fuerunt olim cum ducatu Glogouiense coniuncta alia oppida plura, ditio tota Saganensis, quæ complectitur præter Saganum, Pribusium & Naumburgum, præterea Stinauia, Crosna, Zülichium: imo magna pars Poloniæ maioris, sed illi tractus iniquitate temporum sunt auulsi & distracti: sicut inferius narrabimus. *Glogouiensis ducatus amisit multas ditiones.*

Sunt in ducatu isto adhuc alia oppidula ignobilia & parua, partim vetusta, partim recentia, inter quæ primi locum tenet Bethania, quam veteres nominarunt Bythomiam. Habuit olim arcem satis munitam, quæ anno 1109. sustinuit oppugnationem Henrici Quinti Cæsaris. Sed ea tunc sita fuit in colle quodam excelso prope ripam Viadri, quem iam in vineam conuertit vir nobilis & optimus, dominus loci, Volffgangus Glaubisius. Distat spatio fermè medij milliaris ab eo loco, vbi nunc est Bethania. *Bythomiæ oppidi ætas.*

Nam posteaquam vetus oppidum in motibus bellicis fuit incensum, incolæ migrarunt in ripam paulò inferiorem & magis occidentalem. Sed cum Glogouia subinde augeretur, Bythomia non potuit coalescere, & collegium virginum migrauit Sprottam. In nidum vero Virginum immigrarunt Monachi Saganenses, quos tunc Principes locupletabant. Nunc dominus oppiduli est D. Fabianus Schoneichius.

In eodem territorio Glogouiense est aliud oppidulum Polcouicium etiam vetus, quod multis seculis paruit Principibus Glogouiensibus. Prope Guram est Cõbena, quæ cœpit sub Henrico Barbato. Ad Freistadium sunt oppidula recentia Neustadia & Vartemberga. Vbicunq; enim nomina sunt Germanica, structuræ sunt nouæ. Ad Sprottam est Primislauia, sic nominata à Principe Sprottensi, qui celebratur hoc nomine, quod fuerit diligens in augenda & ornanda sua ditione. *Polcouicium. Cõbena. Neustadium. Vartemberga. Primislauia.*

ANNOTATIO PRÆCIPVARVM MVtationum, & euentuum, qui acciderunt ciuitatibus ducatus Glogouiensis in Silesia inferiori.

IN vestibulo historiæ indicauimus, in Silesia hac inferiori olim consedisse Elysios, Manimos & quosdam ex vicinis populis, teste Tacito, qui fuit Germaniæ inquisitor diligentissimus. Comprehendebatur autem olim & iste tractus sub nomine Sueuorum: sicut non longissimè abest à nostris limitibus fluuius, qui Sueuus est nominatus.

Cogna-

Cognatione vero moueor, vt credam vocabulum Elysij esse ab Elisha. Nec dubito de illa opinione, quam secuti sunt viri doctissimi, quod videlicet nostri maiores ex Asia, cum bella & tyrannidem fugerent, huc progressi sint. Et sicut in Asia vicinas sedes habuerunt Ascanij, Lygij, Mysi & Heneti: ita istæ gentes simul etiam profectæ sunt, & promiscuè habitarunt. Deinde aucta multitudine, cum subinde affluerent noui populi, cognati tamen prioribus, ex oriente, ex littore maris Caspij, quæsitæ sunt etiam nouæ sedes versus occasum & Aquilonem. Vbi autem quælibet gens diutissime læsit, ibi impressit locis sua nomina.

Grata autem nobis esse debet recordatio veterum Elysiorum, de quorum pietate & beatitudine multa dixerunt veteres poëtæ: sicut recentiores de Insulis Fortunatis: & ipsum nomen significat salutem Domini, hoc est, felicitatem à Deo datam.

Ex narratione etiam Taciti manifestum est, in hac vicinia fuisse singularem & celebrem cultum, & quasi religiosum quoddam fœdus, quod continebat pacta pietatis & honestatis in vita: illud igitur etiam indicio est, nostros maiores claros fuisse ob pietatem & modestiam. Hæc ornamenta vetera nostræ patriæ, non minus quam ipsos agros & ædificia nos tueri & augere par est. Articulos præcipuarum mutationum, ex probabili coniectura, & indicatione veterum historiarum, colligere possumus.

Glogouiensis ducatus ueteres incolæ.

Constat Sueuos ante Iulium Cæsarem transijsse Rhenum, ex quibus multi exercitibus Cimbricis in Italia & Græcia permisti fuerunt, multi etiam in Galliam migrarunt: sicut expressè fit mentio Lygiorum & Quadorum in Gallia & Heluetia. Deinde post ætatem Augusti cœpit regnum Marcomannorum, quod complexum est totam hanc viciniam: gessit asperrima bella cum Romanis vario cum euentu: desijt sub annum Christi 400. & aliquanto ante iam innotescere cœperat nomen & potentia Vandalorum. Quia in sedes vacuas Lygiorum, qui aut in bellis ceciderant, aut in alias regiones profecti erant, successerunt magna agmina vicinorum Henetorum ex Sarmatia, vel Moscouia: qui Vandali, hoc est, Heneti vel vagabundi dicti sunt: & tamen illi adhuc imperium Lygiorum acceperunt.

Paulò pòst illi ipsi Vandali, collectis ingentibus copijs ex tota vicinia, inuaserunt Galliam, Hispanias: Ceperunt Romam, & in Aphrica nouum regnum condiderunt: quæ omnia acciderunt circa annum Christi 450. ea ætate magnæ cateruæ nostrorum maiorum ex his locis migrarunt, allecti vbertate illorum regnorum, & quia illis imminebat periculum ex vicina Pannonia, quam occupauerunt populi Scythici Hunni, & deinde Auares.

Seruijt

Seruiſt autem noſtra Sileſia etiam, ſicut alij populi multi, truculentiſſimo Tyranno Attilæ, illiuſq; caſtra eſt ſecuta. Vbi cogitemus de miſerijs noſtrorum maiorum, qui amplius viginti annis, pertulerunt ſeruitutem & tyrannidem ſæuiſſimam: ſicut gens Iudaica ſub Aſſyrijs. Necato Attila, Sarmatæ & Sclaui infuſi innumerabili agmine hæc loca, penè deſerta, compleuerunt.

Narrant vetuſti annales, Lechum & Zechum ſine ſanguine potitos eſſe his locis: atq; ego credo illos vltro inuitatos fuiſſe cõtra Attilam: ſicut recitat hiſtoria Romana, ex vltima Sarmatia accurriſſe populos in Galliam ad opprimendum Attilam. Illi noui hoſpites arripuerunt dominatum, & paulatim aucta multitudine plurima loca Germaniæ ſibi deuinxerunt. Tandem autem conuenit agmen quoddam, quod nominarunt Longobardos, à longa agrorum planicie, illud fugiens imperium Sclauonicum, & appetens libertatem, per Sileſiam tranſijt in Pannoniam ſuperiorem, vbi nunc eſt Auſtria. Factum eſt hoc ſub annum Chriſti quingenteſimum.

Tunc igitur temporis flos gentis Lygiæ & Elyſiæ, ex mea opinione, ſedes ſuas reliquit. Illi populi regnum Longobardorum in Italia condiderunt, quod ſtetit annos 204. vſque ad Carolum Magnum. Ampla laus tribuitur à vetuſtis ſcriptoribus Longobardis, quod antecelluerint pietate, virtute & iuſticia, domi & foris.

Glogouienſis ducatus uetères incolæ emigrarũt cum Longobardis.

Apud Ligurinum veterem Poëtam, qui vixit ætate Cæſaris Barbaroſſæ, eiuſq; res geſtas carmine non inuenuſto deſcripſit, inter alios iſti ſunt de Longobardis, hoc eſt, de noſtris maioribus verſus:

Gens aſtuta, ſagax, prudens, induſtria, ſolers,
Prouida conſilio, legum iuriſq; perita,
Corpore, mente valens, animo vigil, ore venuſta,
Membrorum leuitate vigens, patiensq; laboris,
Promta manu, ſermone fluens, auidiſſima laudis.

Longobardorum commendatio.

Inter alias hæc lex Longobardica [illegible]data eſt, quæ dignitatem equeſtrem pro præmio virtutis omnibus tribuit, non ſolum natis ex familia veteri. Ita igitur in Sileſia cœpit regnum Sclauonicum, quod principio non ſolum fuit barbarum, ſed etiam inops & tenue. Non ſunt conſtitutæ magnæ & ſplendidæ vrbes, ſed paſſim, præcipuè vbi Principes Sclauonici locum aliquem paluſtrem munierant, ædificatæ humiles aliquot caſæ, quæ ſine magno detrimento poterant dirui & reſtitui. Etſi autem opinabile eſt, aliquas reliquias etiam veterum habitatorum manſiſſe in hac terra, tamen illi tandem linguam, imperium & mores Sclauorum acceperunt.

Sclauonicum regnum ab initio fuit inops.

Apparet [illegible]loca illa, vbi nunc ſunt vaſtiſſimæ ſyluæ, olim fuiſſe arata & conſita, poſtea autem ea neglecta & inculta iacuiſſe:

quod ipsum indicio est, regionem olim expletam fuisse habitatoribus, ante tempora nimirum Sclauonica, postea secutam fuisse solitudinem, populis illis per bella & migrationes varias dissipatis.

Sclauonici regni periodus.

Durauit regnum Sarmaticum sub idolomania ethnica fermè integram periodum, hoc est, annos quingentos: quo tempore qualis huius nostræ patriæ fuerit fortuna, facile potest æstimari ex historijs.

Vsq; ad Carolum Magnum mediocres fuerunt successus nostrorum, quia Franci diu occupati fuerunt in bellis Italicis & Saracenicis: sed eo temporis articulo, cum media periodus esset expleta, Potentia Sclauonica nonnihil est languefacta. Nam à Carolo Poloni cæsi sunt & ad pensionem tributi adacti. Deinde, vt omittam cætera, hæc nostra patria duriter quassata est ab Henrico Aucupe, circa annum Christi 920. Deuictis enim Sarmatis, Cæsar constituit Marchias in hac vicinia, contra nostros homines: Brandeburgensem, Lusaticam & Misnensem.

Glogouiensis Ducatus fortuna sub regno Sclauonico.

In illo bellorum feruore, quotannis fermè hæc ditio arsit. Nam vbi hostis irruebat, illa sua mapalia ipsi ciues inflammabant, ne essent vsui hosti: eodem abeunte, noua constituebantur tuguria. Expleta periodo ethnica, paulò ante annum Christi millesimum, qui erat Iubilæus magnus, propagata est in Silesiam religio Christi, & cum ea initia quædam culturæ politicæ & œconomicæ. Ducatus iste fuit subiectus inspectioni Episcopi Smogrensis, & prima donatio fuit agri Breichauiensis, non procul à Glogouia.

Tunc igitur, ex meo iudicio, cœpit Glogouia, & quidem ex consilio fortassis Episcopi, excitata ex veteribus ruderibus Lugiduni: vbi tamen etiam post veteris vrbis deletionem semper aliquot casæ propter loci oportunitatem steterant. Nec multo post etiam condita fuit arx Bythomia, & quædam aliæ, inter quas primæ fuerunt Sprotta & Crosna, quæ etiam antiqua est, sed tamen longo interuallo post Glogouiam.

Hinc igitur incepit noua periodus, & initium regni Sclauonici. Nam corona regni imposita est Boleslao Gnesnæ ab Ottone Tertio Cæsare, qui procul dubio per hæc nostra loca iter fecit, anno 1001. Fuit pax vsq; ad annum Christi 1012. Nam tunc ex hac Silesia inferiori, Boleslaus Rex bellicosus, intulit bellum vicinis Marchionibus, & latè Germaniam vastauit. Post quinquennium, bellum hoc sedatum est, & Boleslaus rursus redijt in gratiam cum Henrico Bauaro Cæsare.

Etsi autem tunc continua fuerunt bella cum Prutenis & Moschis, ad quæ etiam proculdubio maiores nostri ducti sunt, tamen ego solum facio mentionem earum rerum, quæ in hoc Ducatu acciderunt. Incidit in hanc ætatem initium bellorum Bohemicorum cum Polonis, quæ Silesiæ admodum fuerunt exitiosa & funesta.

Sub

Sub annum Christi 1030. Marchio Brandeburgensis multa loca in limite huius Silesiæ inferioris ademit Polonis, eaq; immediatè subiecit imperio Germanico: Sexennio post insignis mutatio toti Silesiæ contigit. Nam cum nobilitas Polonica eiecisset matrem Regis & filium Casimirum, secutæ sunt seditiones, & domestica bella teterrima, ea vsus occasione Princeps Bohemicus, totam Silesiam in suam redegit potestatem. Dicitur eum tenuisse Vratislauiam & Posnaniam. Casimirus tamen reuersus, Silesiam per transactionem à Bohemis recepit.

Valde fuit vastata hæc Silesia sub annum Christi 1090. à Vratislao Bohemiæ Rege: cui titulum Regis tribuerat Henricus Quartus, eiq; permiserat, vt Silesiam Polono, qui contemnebat Cæsarem, eriperet.

Narrat historia hanc partem tunc fuisse ex longa pace benè cultam, ideo grauissima tunc fuerũt accepta damna. Nam etsi erant crebra bella ex Bohemia, tamen illa rarius attingebant hanc partem Silesiæ, quæ erat remotior. Boleslaus curuus, qui factus est Princeps Poloniæ anno 1102. iure nominatur pater ducatus Glogouiensis. Meditabatur bellum in Bohemiam & in Cæsarem, ideo munijt hæc loca, sita in limite imperij Germanici versus Marchiam.

Boleslaus curuus est pater ducatus Glogouiensis.

Anno 1104. Glogouiæ collegit exercitum, quem duxit in Pomeranos, qui erant ethnici, & perpetui hostes Poloniæ.

Anno 1109. ab Henrico Cæsare, qui huc accessit ex Misnia, obsessa est primum Bythomia, deinde Glogouia, sed frustra. Nam ciues defenderunt vrbem, & ideo celebrem famam fidei & virtutis Glogouienses apud Polonos adepti sunt. Historia legatur in libro superiori. Oppugnatio cœpit die S. Bartholemæi, Cæsaris castra fuerunt in ripa Viadri Aquilonari, in illis 21. Septembris interfectus est Suantopultus Princeps Bohemicus, & plurimi Germani & Bohemi in illis tumulis arenarum sunt sepulti, sicut adhuc hodie interdum reperiuntur vestigia. Cæterum tota ditio fœdè fuit vastata & exusta ab exercitu Cæsaris. Rursus igitur nostra patria interijt.

Glogouiæ obsidio.

Anno 1110. incipiunt noui natales Glogouiæ. Nam vrbs translata est in nouam sedem, & dati sunt illi spacioſi campi. Verum successum culturæ eripuit fundatio Collegij, facta anno 1120. à Boleslao Principe & ab Episcopo Vratislauiense Haymo. Nam sacerdotes facti sunt non vicini, sed Domini nouæ vrbis, itaq; rexerunt, vt nemo libens illis pareret, aut hic habitaret. Ideo vrbs parum vel nihil creuit. Interea Petrus Danus ornauit Vratislauiam & Silesiam superiorem. Superuenit etiam noua calamitas.

Glogouia in alterã ripam translata.

Nam anno 1158. cum Fridericus Barbarossa duceret exercitum contra Poloniam, Boleslaus Princeps oppida ducatus Glogouiensis exussit, inter quæ præcipua fuerunt Glogouia & Bythomia.

Glogouia incensa à suo Principe.

Imperator non procul à Glogouia transijt flumen 22. Augusti, & deinde à Boleslao obedientiam extorsit.

Anno 1163. Silesia accepit primos suos Principes, cum post bellum Barbarossæ diuideretur inter filios Vladislai. Boleslaus procerus adeptus est Silesiæ ditionem mediam, Vratislauiam nempe & Lignicium. Nam istæ vrbes nominantur: Mieslaus factus est dominus Silesiæ superioris: Conrado adolescenti valetudinario data est Silesia inferior, & nominantur istæ vrbes, Glogouia, Crosna, Saganum: ita tunc quasi est constitutus ducatus Glogouiensis: Sed ea ordinatio non fuit diuturna.

Conradus Primus Princeps Glogouiensis.

Erant adolescentes Principes nati ex matre Germanica, educati in Germania, & moribus Germanicis imbuti. Ideo cœperunt imitari mores & culturam Germanicam in suis oppidis. Sed ducatui Glogouiensi adhuc fuit iniqua fortuna. Nam Conradus Glogouiensis cito mortuus est, atq; ita omnis Glogouiensis ditio peruenit ad Boleslaum, is fuit occupatus in ornando Lignicio, & Glogouia neglecta est.

Conradus Herici Barbati filius extinguitur in uenatione.

Henricus Barbatus factus est dominus totius Silesiæ, anno 1201. Iste fuit Princeps bonus & amans suorum. Ideo etiam Glogouia, vbi Princeps crebro erat, aliquantum sub ipso creuit. Anno 1213. fuit ciuile bellum inter duos filios Henrici Conradum & Henricum, quod pater putaretur patrimonium assignasse locupletius Henrico quam Conrado. Dederat enim Conrado Crosnam, Saganum & aliquam partem Lusatiæ superioris: præliati sunt prope Lignicium: Conradus ducebat Polonos, Henricus Germanos. Henricus pater eo tempore fuit Glogouiæ: Conradus victus ad patrem eò profugit, vt esset tutus à fratre: paucis diebus pòst interijt in venatione ad pagum Tarnau, prope Bythomiam, fractis ceruicibus ex lapsu ab equo.

Anno 1221. cœpit ingens fames & lues totam hanc regionem premere, durauit per triennium.

Anno 1233. Polonia maior venit in potestatem Henrici Barbati, quæ deinde cum ducatu Glogouiensi fuit coniuncta.

Anno 1238. Henricus Barbatus inspexit ciuitates ducatus Glogouiensis, mortuus est Crosnæ 19. Martij. Henricus pius tenuit totam Silesiam & Poloniam maiorem: posteaquam fuit expleta media periodus regni Polonici, inciderunt horribiles vastationes Scythicæ, à quibus tamen hic ducatus fuit immunis.

Tartaricæ uastationes incidunt in mediam periodum regni Polonici.

Heduigis cum virginibus Trebnicensibus tempore belli fuit Crosnæ in oppido limitaneo. In ipso prælio fuit egregia virtus Clementis præfecti Glogouiensis, qui Principem suum, desertum ab equitibus, conatus est tegere contra Tartaros, & prope ipsum trucidatus est, cum etiam Princeps in eodem loco cecidisset. Fuit hoc anno 1241. 9. Aprilis.

Glogouiensis præfecti uirtus in prælio Tartarico.

Anno

Anno 1244. Maior Polonia magna ex parte fuit amissa: Silesia vero diuisa est inter filios Henrici Secundi,& exarserunt inde ciuilia bella luctuosa. Boleslaus tenebat Lignicensem & Glogouiensem ducatum: is fratri natu minimo noluit cedere Glogouia,& insuper alteri fratri Henrico conabatur eripere Vratislauiam. Ita autem furijs Principum fuit concussa Silesia,vt,cum alioqui futura fuisset domina totius Poloniæ, tunc autoritatem suam amiserit.

Conradus Secundus occupat Crosnam & munit Pridomiam.

Conradus, qui vixerat in studijs Lutetiæ,& destinatus fuerat ad Episcopatum Bambergensem, repudiato sacerdotio, coniunxit se cum Primislao Duce Gnesnense, sororio suo, & duxit sororem Primislai Salomen. Ab eo fuit adiutus, occupauit primum ditionem Crosnensem: Deinde prope Glogouiam munijt arcem Pridomiam, ex ea vastauit agros Lignicenses & Vratislauienses,& coëgit tandem fratres ad transactionem.

Glogouiensis ducatus tempore Conradi Secundi.

Anno 1255. fuit conuentus Principum Glogouiæ,ibi opera Thomæ Episcopi Vratislauiensis, est facta pax inter fratres, & Conrado attributus Ducatus Glogouiensis, qui tunc simul complectebatur tractus,Costensem & Fraunstadiensem in Polonia maiori: præterea Stinauiam, Sprottam, Saganum & Crosnam. Ab isto Conrado proximè descendunt Principes Glogouienses. Habitasse dicitur aliquot annos in arce Pridomia, cum in vrbe adhuc dominaretur collegium.

Conrado attribuitur Glogouia.

Sub hoc Principe paulatim immigrarunt Germani,non solum in oppida ista,verum etiam in agros Poloniæ maioris,Fraunstadiensem & Costensem, qui omnes tunc sub nomine Silesiæ censebantur. Anno 1257. Conradus fratrem Boleslaum Lignicij captum abduxit Glogouiam, illumq; coëgit sibi renumerare mulctam,quam paulò ante extorserat ab Episcopo.

Conradus abduxit Boleslaum secum captum.

Non fuerunt æqui isti Principes ordini sacerdotali,quem iam tunc propter auaritiam accusabant, & Episcopus captus, coactus est promittere,se deinceps omissa postulatione decimarum contentum esse velle mediocri pecuniæ summa, vt supra recitatum est. Conradus facta pace adiecit animum ad exornandam Glogouiam, quam primo liberauit ab imperio Sacerdotum.

Conradus exornat Glogouiam.

Transtulit eos in insulam Viadri ad illum locum, vbi olim arx & templum vrbis steterat: ibi extruxit templum & habitationes, pro illa ætate, satis magnificas. Templum collegij in vrbe mutauit, ex contributione multorum piorum hominum (nam ipse Princeps non abundabat) amplificauit,& in illud collocauit monachos instituti S. Dominici, qui tunc recens in lucem editi erant. Hæc consilia præcipuè gubernauit Salome, fœmina sancta & sapiens, quæ anno 1271. apud Dominicanos est sepulta.

Dominicanorum cœnobium extruitur.

Salome Glogouiensis moritur.

Tunc simul enituerunt Sprotta, Saganum, Gura, quæ oppida omnia accessione Germanorum auxit Conradus, et si nobilitas adhuc & aula sermonem retinebat Sclauonicum. Eodem anno Con-

radus egens pecuniæ duxit Brigittam, filiam Marchionis Miſnenſis cum ampla dote. Sed cum eadem anno proximo poſt eſſet mortua, implicatus fuit nouis damnis.

Croſna uenit in poteſtatem Henrici Probi.

Nam Marchio ſocer Croſnam & vicinas quaſdam arces, donatas filiæ propter nuptias, pignoris loco tribuit Archiepiſcopo Magdeburgenſi: eaſdem biennio poſt ſua pecunia redemit Henricus probus Vratislauienſis, & fuit Croſna aliquandiu in poteſtate Principis Vratislauienſis. Anno 1277. Boleslaus Lignicenſis cepit nepotem ſuum Henricum probum adoleſcentem ex inſidijs. Intulerunt ipſi propter hoc ſcelus bellum Princeps Poſnanienſis & Conradus Glogouienſis. Pugnatum eſt die S. Georgij. Victoria manſit penes Lignicenſes, & captus eſt Primislaus Poſnanienſis adoleſcens, qui poſtea fuit Rex.

Henricus Tertius Glogouienſis.

Conradus iam vergens ad ſenium partitus eſt ducatum inter filios, ne poſt mortem ſuam, ſicut prius acciderat, orirentur bella. Henrico aſſignauit Glogouiam & ditiones in Polonia maiori. Conrado Stinauiam, Guram & vicina loca. Primislao Sprottam & Saganum. Henricus Glogouienſis anno 1281. captus eſt ab Henrico probo, ductus eſt Vratislauiam, & tandem dimiſſus. Is, ſicut oſtendunt vetuſtæ literæ, viuente adhuc patre, ſuſtinuit labores gubernationis, & nominatus eſt Princeps Glogouienſis.

Primislaus Sprottenſis interficitur.

Anno 1290. Conradus miſit filium ſuum Primislaum Sprottenſem cum exercitu, vt ferret opem Henrico probo, tunc lethaliter decumbenti, contra Polonos, qui ipſi conabantur eripere Cracouiam. Pugnatum eſt 26. Februarij non procul à Cracouia. Sileſij pulſi & ſuperati ſunt, ipſeq; Primislaus interfectus.

Habet iſte Princeps laudem pietatis & prudentiæ: dicitur exornaſſe cœnobium Canonicorum regularium Sagani, cum mores & religio veterum Canonicorum iudicarentur admodum diffluere: illud deinde Principes ſequentes valde locupletarunt. Henricus Probus moriens ſcripſerat hæredem Conradum Glogouienſem patruum, ſed Vratislauienſes accerſerunt Henricum obœſum Lignicenſem. Inde ortum eſt bellum inter Principes.

Anno 1293. Conradus Henricum proditum à ſuo miniſtro captiuum abduxit ex balneo in ſuburbio Vratislauienſi, & Glogouiæ crudeliter eum excruciauit. Incluſit illum in caueam ferream, anguſtam, humilem & breuem, cuius duo erant orificia, alterum pro porrigendis alimentis, alterum pro excrementis eijciendis, in ea totos menſes ſex, cum nec ſedere erectus nec iacere poſſet, corpore ita conuoluto delituit, ſordibus vermibuſq; fermè conſumtus.

Fuit

Fuit hoc exemplum inusitatæ sæuitiæ allatum ex Italia. Nam ibi & præsertim in ducatu Mediolanensi iisdem annis tyrāni vrbium talibus enormis crudelitatis artibus inter se certabant. Exoluit pro liberatione sui Conrado 30000. marcas, cessit ipsi magna parte ducatus Vratislauiensis, illis videlicet oppidis, quæ sunt vltra Viadrum, Namslauia, Bernstadia, Creuceberga, Bicina, Cunstadia, Rosenberga, præterea Boleslauia & Hannouia. Ita quidem locupletauit se Conradus, sed hæredes ipsius hac accessione non sunt lætati.

Conradi crudelitas in nepotem ex fratre.

Anno quidem 97. mortuo iam Henrico, territus à tutore pupillorum Conradus, filijs Henrici reddidit Boleslauiam & Hannouiam. Ipse Conradus anno proximo post etiam mortuus est, sepultus in templo Collegij Glogouiæ, vt quidem scribitur in veteribus chartis. Fuit dominus Ducatus annos 43. eumq; ornauit legibus & ædificijs. Sacerdotes non rectè annotarunt hunc decessisse anno 1270. decepti ea occasione, quod viuente adhuc patrē filij fuerunt in gubernatione.

Conradi mors.

Fuerunt patri superstites duo filij, Henricus & Conradus: præcipua pars gubernationis tradita est Henrico. Conradus, qui erat ingenio simplici, & præterea gibbosus, fuit præpositus Vratislauiensis, & simul frater ipsi tradidit Stinauiam, Rudnam & vicinos agros.

Fuit anno 1302. renunciatus Archiepiscopus Salzburgensis, sed cum nollet relinquere suam cereuisiam Stinauiensem, Vienna domum reuersus est, & à fratre collocatus in turrim arcis Glogouiensis, quæ tunc fuit ad portam Nosocomij, ex ea ereptus est à sua nobilitate Stinauiense & Rudnense, quam ornauit amplis immunitatibus & priuilegijs.

Conradus Gibbosus Stinauiensis.

Sed anno 1304. ille Conradus mortuus est, & Henricus solus fuit dominus. Habuit vxorem Mechtildem filiam Alberti Ducis Brunsuicensis. Ab initio statim iste Henricus munijt sese auxilijs Germanorum. Sanxit igitur leges honestas & salubres, sustulit latrocinia, repressit licentiam barbaricam nobilitatis Polonicæ, passim attribuit sedes familijs Germanicis, nobilibus & ignobilibus. Ad quas res habuit hortatricem coniugem suam, fœminam sapientia & bonitate præstantem, & cogebant eum tempora, Quia Poloni iam oderant Silesiam, eamq; conabantur traducere ad suos Principes.

Henricus Tertius Glogouiensis addidit nouā formam ducatui Glogouiensi.

Hoc igitur tempore mutatus est sermo, & noua facies rerum orta in hoc Ducatu: habuerunt etiam tunc initia sua vrbes & alia loca, quorum appellatio Germanica est, vt Freistadium, Grunberga, Vartemberga, & alia plurima.

Vetustas celebrauit Orpheum, Linum & alios gubernatores, qui sapienter constituerunt & auxerunt suas vrbes. Retineatur igitur memoria etiam huius Principis, qui nostræ patriæ barbariem

detraxit, eamq; multis vitæ commodis ornauit. Posteaquam mortuus est Venceslaus Bohemiæ & Poloniæ Rex anno 1305. Henricus potitus est tota Polonia maiori. Tunc igitur vulgo appellatus est Rex Poloniæ, sed ipse scripsit talem titulum, Henricus D. G. hæres regni Poloniæ, Dux Silesiæ, Dominus Glogouiæ & Posnaniæ.

Henrici Tertij Glogouiensis titulus.

Verum anno 1306. Vladislaus Locticus, cui maior Polonia fauebat, & qui armatus erat auxilijs Lithuanorum, Hungarorum atque etiam Scytharum, Henrico Glogouiensi bellum intulit, & quamuis præsidia plerasq; munitiones defenderunt, tamen magna pars ditionis miserabiliter est deuastata rapinis & flammis. Locticus etiam, cum mutassent fidem Episcopi, in Polonia maiori multa ad se traxit.

Vladislaus Locticus Henrico detrahit Poloniam.

Iohannes Biberstenius Sorauiensis anno 1308. Henrico iam decumbente, cum exercitu ad pacandam Poloniam profectus est, sed nulla re perfecta regressus est: Princeps anno proximo post consumtus animi mœstitia, 15. Decembris decessit. Imagines ipsius & coniugis sunt collocatæ in templum Collegij. Sepultus est in monasterio Leubensi. Liberis suis Epitaphium in monasterium Leubense posuit, quod propter memoriam veteris & simplicis scripturæ annoto: Hic iacent pueri S. Heduigis:

Iohannes Biberstenius Sorauiensis infœliciter gerit bellum.

Henricus Tertius Glogouiensis moritur.

Hedwig vnd auch Salome mit Gott vrohent sich vnmerme/ Hinricus zwey edele Kindt von Glogowe hy begrabē ligen/alle hernach.

Quatuor filij huius Henrici Tertij Glogouiensis partiti sunt patrimonium. Henricus Quartus accepit Saganum, Sprottam & loca vicina: Conradus Tertius Olsnam, Volauiam & oppida illa, quæ auus detraxerat Principi Vratislauiensi: Iohanni cessit Stinauia, Gura & vicina ora: Primislaus Secundus natu minimus retinuit Glogouiam, Territorium Costense & Fraunstadiense, cum Locticus Polonia maiori alia esset potitus.

Henrici Tertij Glogouiensis filij diuidunt patrimonium.

Henricus erexit Epitaphium suis liberis.

Silesia auulsa à Polonia ex fatalibus causis.

Hoc tempore facta est inclinatio ad Regem Bohemiæ Iohannem, qui recens fuerat adeptus regnum Bohemiæ. Præbuerunt causam ad hanc mutationem, primum, quod Principes Silesiæ essent adolescentes, & grassarentur mutuo bellis & cædibus: Secundo quòd Poloni prætulissent Silesijs Locticum, virum malum, & quod Iohannes Rex esset Princeps Germanus, præstans consilio & humanitate.

Primislai Glogouiensis industria & fortitudo.

Primislaus Glogouiensis, etsi sæpe prece, precio & minis fuerat tentatus, vt se Iohanni subijceret, tamen constanter hoc negauit, & in illa sua adolescentia habet laudem, quod fuit industrius in gubernatione: Pingi se curabat cum gladio erecto, & scripsit se dominum & hæredem Poloniæ.

Anno 1315. fuit illa miserabilis & horribilis inedia, vbi parentes cadauera filiorum, & liberi parentum vorarunt. Boleslaus

Bregensis

Bregenſis anno 1319. Conrado Olſnicenſi oppida pleraq; Vratislauienſis ditionis ademit. Anno 1331. mortuus eſt ſine hærede Primislaus Glogouienſis ſepultus in monaſterio Leubenſi. Exuuias illius diuiſerunt fratres, Conrado Olnicenſi inopi Principi data eſt à Iohanne fratre Stinauia, quæ deinceps fermè ſemper coniuncta manſit cum ducatu Olſnicenſi, quem etiam rexit ſtirps Principum Glogouienſium, ſed auulſa & ſeparata à reliquis Principibus.

Glogouia traditur in poteſtatem Bohemiæ regis.

Ipſe autem Iohannes retinuit Guram, & adeptus eſt mediam partem Glogouiæ, altera pars ceſſit Henrico Saganenſi, qui eſt quartus inter Henricos Glogouienſes. Sed Iohannes Gurenſis partem ſuam vendidit Iohanni Bohemiæ Regi: Is cum non impetraret ab Henrico Saganenſi, vt ſe profiteretur ſubditum regni Bohemiæ, eiecit eum Glogouia anno 1332. Rex habuit caſtra in pago Creideluiſio, milliaribus duobus ab vrbe.

Interea à ciuibus & nobilibus vexillum regium ab arce ſuſpenſum eſt, & Rex in vrbem receptus, præfecit huic Heinamannum Dubenſem, quæ familia apud Reges Bohemiæ Lucelburgenſes in magna fuit autoritate. Fuit tota Glogouia immediatè in poteſtate Regis Bohemiæ amplius viginti annis. Henricus Saganenſis, cum quo nupta fuit Mechtildis filia Marchionis Brandeburgenſis, Princeps pius & modeſtus, domi ex mœrore animi mortuus eſt, ſucceſſorem habuit Henricum Quintum, qui nominatus eſt Ferreus.

Henricus Saganenſis pater Henrici Ferrei.

Anno 1333. Locticus Rex vaſtauit agros, quos adhuc Sileſij Principes in Polonia maiori tenebant, & tunc amiſſum eſt territorium Coſtenſe. Biennio poſt eſt facta pax inter regem Poloniæ Caſimirum, Loctici filium, & Regem Iohannem. Caſimirus renunciauit toti Sileſiæ, & deſcripti ſunt fines regnorum, eo tempore Suibuſium Sileſiæ adiudicatum eſt.

Coſtenſe territorium amittitur.

Sileſiæ fines deſcribuntur.

Decennio poſt turbauit pacem inopinatò contra pacta idem Caſimirus, & ducibus Glogouienſibus, abſente Rege Iohanne, eripuit territorium Fraunſtadienſe. Occupauit & inflammauit Stinauiam. Principes impares tantæ potentiæ, pacem à Polono ceſſione Fraunſtadij redemerunt. Fraunſtadio oppido ius cudendæ monetæ & leges Germanicæ ſunt conſeruatæ.

Suibuſium adiudicatur Sileſiæ.

Fraunſtadium amittitur.

Anno 1345. Iohannes Rex iniuriam iſtam vltus eſt, & fœdè vaſtauit Poloniam minorem. Conradus etiam Olſnicenſis vir proceri corporis, & animi magni Polonos grandi ſtrage fudit, multoſq; captiuos abduxit. Henricus ferreus ſubinde excurſionibus hiſce annis vexauit præfectum Glogouienſem, nullum tamen bellum grandius exarſit. Carolus Quartus Cæſar, cum faueret virtuti ipſius, promiſit reſtitutionem Glogouiæ, eumq; vnà Romam ad coronationem duxit.

Anno

Glogouia à Carolo Cæsare diuiditur.

Anno 1349. & proximè sequenti sæuissima pestilentia in hoc, & in toto orbe cognito grassata est, quam descripserunt Bocatius Florentinus & Guido Medicus Chirurgus.

Glogouia aucta immunitatibus à Carolo Cæsare.

Anno 1360. scribitur ipse Carolus fuisse Glogouiæ, partitus est vrbem in duas æquales partes, ex quibus alteram tribuit Henrico ferreo, in arcem autem Aquilonarem (Nam Australis paulò ante sub rege Iohanne fuit diruta) collocauit præfectum suum.

Extant monumenta, quibus Carolus Cæsar ciuitati Glogouiensi tribuit ius in syluis Bythomiensibus, quas tunc ad arcem Glogouiensem transtulit, & præterea administrationem iudiciorum Regiorum. Henricus Ferreus, Iohanne Gurense extincto sine sobole, etiam mediam partem oppidi Guræ adeptus est: habitauit Saganni, fuitq; Princeps satis potens. Tenebat enim Crosnam, Suibusium, Zulichium, Freistadium, Sprottam, Saganum, Grunbergam, mediam partem Glogouiæ, mediamq; Guræ.

Henricus ferreus superauit Biberstenium Sorauiensem.

Intercessit illi bellum cum Domino Biberstenio Sorauiensi propter aliquos agros, quem coëgit facere imperata. Hic tamen Princeps florens opibus & dignitate, in senecta adeo spretus est à sua nobilitate, vt annotatum inueniam, potentiores quosdam nobiles, eum captum velata facie circumduxisse per ludibrium, frondibus ipsum percussisse, & inclamasse, vt auerso capite ictus ramorum vitaret in sylua. Tandem abdiderunt eum in vicinum pagum Jacobs Kirch in cellam subterraneam: hoc cum à rustico quodam, qui ex eodem carcere euaserat, significatum esset, ciuitas Glogouiensis Principem liberatum cum magna lætitia in vrbem reduxit.

Henricus Ferreus contemnitur in senecta.

Glogouia liberat Principem captiuũ.

Adeo cum ætate magnæ accrescunt calamitates etiam potentibus & fœlicibus hominibus. Ideo non temere dixit antiquitas: Φόβε τὸ γῆρας: ἃ γὰρ ἔρχεται μόνον: Formidato senectam: non enim venit sola. Dicitur Principem hunc, quasi intemperanter amasse suam coniugem, cui fuit nomen Catharina, de cuius tamen stirpe nihil est annotatum. Mortuus est Henricus Ferreus anno 1369. sepultus Sagani: reliquit tres filios superstites impuberes, Henricos, illi aliquot annos simul educati sunt, sicut ostendunt multa monumenta, edita sub nomine trium Henricorum.

Henricus ferreus moritur.

Henrici tres impuberes.

Henricorum trium diuisio.

Sub annum Christi 1380. facta est diuisio Ducatus inter tres Principes. Henrico Sexto Saganensi, qui est nominatus senior, data sunt territoria Saganense, Crosnense & Suibusiense. Henrico Septimo, Rapoldo dicto, cessit media Glogouia, medietas Guræ & Stinauiæ etiam, præterea arx Hencedorfensis cum suis agris. Henrico Octauo, qui ob fœcunditatem nominatus est Passer, obuenit Freistadium & Sprotta cum vicinis locis, inter quæ procul dubio fuit Grunberga.

Rapol-

Rapoldus Glogouiensis fuit Princeps non ignauus. Anno enim 1388. Polonia fuit quassata bellis ciuilibus, cum Poloni repudiarent Sigismundum, qui postea fuit Cæsar: Ibi Rapoldus adiutus auxilijs Conradi Stinauiensis & Gurensis, adortus est territorium Fraunstadiense, illudq; post annum quadragesimum, ex quo amissum fuit, conatus est recuperare: Sed non respondit fortuna.

Henricus Rapolus superat Polonos.

Oppidum enim, etsi in diuersis locis fuit incensum, tamen à ciuibus & præsidiarijs est defensum. Poloni etiam maturè noua submiserunt auxilia, quibus cum Rapoldus cederet, factæ sunt vastationes in agro Glogouiensi: Sed Rapoldus sese colligens profligauit Polonos ad pagum Veschiz prope flumen, ibi magna multitudo fugiens in vndis Viadri perijt. Ex spolijs hostilibus Princeps in suburbio Glogouiensi prope pontem fluuij extruxit templum sub nomine & honore diui Georgij.

D. Georgij templum erectum ex manubijs hostiū.

Non diu superstites fuerunt Principes isti. Scribitur enim Henricus Passer adeptus esse Glogouiam & Saganum, fratribus sine liberis extinctis. Grassabatur ea ætate frequens & popularis lues, quæ cum in illa inscitia, atque etiam superstitione hominum, nihil coherceretur, maximam turbam hominum subinde tollebat.

Henricus Passer totum ducatum Glogouiensem adipiscitur.

Anno 1395. Glogouiæ tanta fuit pestilentiæ sæuitia, vt scribatur, extincta esse supra duo millia hominum. Annonæ vero mira fuit vilitas. Annotarunt sacerdotes, medimnum tritici emtum fuisse tribus grossis Glogouiensibus. Olyræ duobus, Auenæ vno, atq; etiam quatuor numulis. Fuerunt tunc vero vsitati in his vrbibus Grossi Misnenses, insigniti ensibus.

Pestilentia grauis.

Annonæ utilitas.

Eodem anno mortuus est Henricus Passer, qui reliquit filios quatuor, Iohannem Venceslaum, Henricum Nonum dictum Rapoldum, & Henricum Decimum. Natu maximus plane voluit seiungi à fratribus, illi datum est territorium Saganense, quod hoc modo à Glogouiensi ditione auulsum est, & cœpit habere nomen peculiaris ducatus.

Henrici Passeris mors & filij eius.

Saganēsis ducatus constituitur.

Freistadij longo tempore simul vixerunt tres fratres, sicut ostendunt literæ editæ sub nomine Principum iuniorum scriptæ lingua germanica. Cœpit autem vsus Germanicæ scriptionis sub Carolo Quarto, & paucis annis ante sub Henrico Tertio & filijs eius. Et vt extet testimonium vetustæ simplicitatis, & rectitudinis, subijcio formulam ex antiquis literis Glogouiensibus. Tale igitur est exordium monumenti scripti anno 1373. Glogouiæ.

Germanicæ scripturæ initium.

Wir Rathman der S. G. G. in dem theil des Innerlüchten Fürsten vnsers gnadigen Herrn Carls/ von G. G. vnd gunst göttlicher mildickeit/ Römischen Keisers/ zu allen zeiten mehrer des Reichs/ vnd Kynigs zu Behmen/ etc.

Anno

Iudæi exusti Glogouiæ.

Anno 1401. exusti sunt Iudæi Glogouiæ, qui dicti sunt affeciſſe contumelia panem conſecratum in miſſa Pontificia: tabula rei geſtæ pendet in templo Glogouienſi. Paulò ante annum Chriſti quadringenteſimum Venceslaus Bohemiæ Rex mediam partem Glogouiæ attribuit Boleslao Duci Teſchinenſi, quem ob fidem & virtutem diligebat. Tenuerunt iſti Principes Glogouiam ad annos fermè octoginta, habitarunt in arce, & paulò pòſt etiam adepti ſunt Guram vniuerſam, Principibus vero Olſnicenſibus tota Stinauia data fuit.

Teſchinenſes Principes adipiſcuntur Glogouiam.

Glogouiæ fuit incendium.

Anno 1406. Glogouiæ magnum fuit incendium in ſuburbio flumentano. Conflagrauit longa platea, quæ nominatur lapidea, & tota area, vbi ſunt caſæ piſcatorum. Anno 1412. rurſus per biennium tota Sileſia fuit lue infecta. Anno 1414. Venceslaus Glogouienſis militauit regi Vladislao Polono contra Prutenos, in bello quod nominatum eſt famelicum.

Gubernatio fuit penes Henricum Decimum, qui paulò pòſt duorum fratrum fuit hæres: Venceslao aſſignata fuerat Croſna & illa vicinia, ſed cum in ea vrbe incautè tractaret machinam bellicam, ab'ea diſcerptus eſt. Henricus Rapoldus, cum aliquamdiu militaſſet in Bohemia, profectus eſt in Daniam ad regem, ibiq; mortuus eſt.

Henricus Decimus Princeps potens.

Henricus Decimus fuerat vocatus ad poſſeſſionem Epiſcopatus Vratislauienſis, quia amabatur propter morum pietatem & placiditatem, ſed ipſe hoc repudiauit. Fuit potentiſſimus inter omnes Principes Sileſiæ ſui temporis, & complectebatur tunc Ducatus Glogouienſis, mediam partem Glogouiæ, Freiſtadium, Sprottam, Grunbergam, Zulichium, Suibuſium, Croſnam, & præterea oppidula minora multa, arcesq;.

Glogouia cõflagrauit.

Anno 1420. quo Sigiſmundus Cæſar venit Vratislauiam: poſtridie feſti Dominicæ Aſcenſionis tota Glogouia conflagrauit, præter monaſterium ſodalium Dominici: Princeps habitauit Freiſtadij, ſub quo oppidum illud floruit.

Anno 1426. factum eſt initium deprædationum Huſſiticarum in Sileſia, ſed illæ non peruenerunt in ducatum Glogouienſem, quia magna erat potentia Henrici Ducis, & ipſe non irritabat Bohemos. Quia metuebat fratrem, hominem malum & turbulentum, fecit fœdus cum Biberſtenijs, qui tunc erant potentes.

Henrici Decimi fœdus cum Biberſtenijs.

Terræmotus in Sileſia.

Anno 1433. tota Sileſia ſcribitur eſſe concuſſa terræmotu, qui denunciauit ſequentia bella.

Anno 1433. die Iacobi filij Zebedæi, qui tunc erat Dominicus, & dicatus recordationi conſecrationis templi parœcialis, dum populus ſpectat miſſam, tota Glogouia igne perijt, præter cœnobium fratrum S. Franciſci. Magnas igitur opes fuiſſe calamitates huius vrbis, quæ toties interijt.

Glogouia rurſus perit incendio.

Teſtantur

Testantur etiam historiæ multum mali omnibus temporibus accidisse sub theatricis missis, cum Deus puniret idolatriam. Eodem anno excitatum est bellum Polonicum, cum Poloni conarentur eiecto Alberto Austriaco, Sigismundi genero, collocare in regnum Bohemiæ Casimirum, Vladislai Regis fratrem. *Missæ præbuerunt causam ad multa mala.*

Anno 1439. mense Ianuario, manus quædam prædonum Polonicorum inuasit oram Suibusiensem. Tanta fuit virtus ciuium & agrestium, vt euestigio obuiam irent hostibus, quos circumuentos in syluis iugularunt, capitaneis præcipuis captis. Interfecti sunt ex Polonis supra 250. Mortuus est eo anno Iohannes Saganensis Henrici frater, vir malus & Tyrannus. Scribitur coniugem suam, quæ fuit filia Landgrauij Thuringiæ, calcaribus per ὄφιν agitasse, eamq; cum duabus filiabus & tribus filijs domo eiecit. Abbati Saganensi eruit oculos, & præterea in multos alios seuijt. *Suibusienses profligant Polonos.* *Iohannis Saganensis scelera & mors.*

Dicitur familiari sermone sæpe multumq; dixisse, non se moriturum, priusquam turris Saganensis cecidisset. Illa ipsa turris cecidit eodem anno, die Iouis antecedente Orgia Bacchi, ibi Princeps accipiens omen, peccata sua deplorare cœpit, & post Pascha mortuus est. Reliquit superstites quatuor filios, Venceslaum, Rodolphum, Balthasarem & Iohannem, qui proximis istis annis simul Sagani educati sunt.

Anno 1441. Varteberga oppidum agri Freistadiensis totum conflagrauit. Fuit eo anno parœcus Glogouiensis, vir pie liberalis & diues, qui celebratur ob virtutem. Maluit opes suas collocare in vsus pios quàm in luxum. Adiutus ab altero ciue hoc anno instituit in suo templo sacellum, vbi decantari voluit religiosas cantiones de Passione Christi. Tabulæ in ara illa ad statuam Christi crucifixi inscripsit hos rythmos: Vt viuant morior, non est dilectio maior, Pellicanus vocor, pro pullis scindor. *Varteberga oppidum perit incendio.* *Glogouiensis parœci pia liberalitas.*

Anno deinde decimo octauo post accersiuit alios præsbyteros, illisq; alimoniam de suo constituit, qui in altero sacello sonarent cantum de beata virgine, sed ille magis est superstitiosus. Nam cum videret à sacerdotibus maioribus negligi rem diuinam, hoc modo putabat se mederi aliquantum posse profanitati hominum. In testamento assignauit aureos trecentos ciuitati, ex qua pecunia sculperetur tabula, quæ collocata fuit in altare templi præcipuum. Legauit etiam summam pecuniæ in vsus publicos, qua canales & aquæductus per ciuitatem traducerentur. Quæ omnia cum sint indicia voluntatis honestæ, merentur approbationem, nomen illius fuit Franciscus Launald. *Mansionarij Glogouienses.* *Franciſci Launaldi pietas.*

Iudæorum synagoga Glogouiæ euertitur.

Anno 1442. fuit Glogouiæ incendium in platæa Iudæorum die S. Marci, populus vsus ea occasione domos Iudæorum diripuit & synagogam eorum euertit.

Margarita Cilienſis fuit ſapiens fœmina.

Anno 1445. Glogouiam venit die S. Dorotheæ Margarita Cilienſis, nupta Vladislao Teſchinenſi & Glogouienſi, qui hiſce annis bellum fecit Vratislauienſibus, quod ſupplicio capitis affeciſſent Haſſenheimerum Auſtriacum. Sedata fuit controuerſia triennio poſt ab Epiſcopo. Ipſa autem domina fuit ſapientior & melior marito. Rurſus eo anno platea lapidea ſuburbij frumentarij exuſta eſt.

Glogouienſis Conſul interficitur in ſeditione.

Anno 1453. Glogouiæ fuerunt motus ſeditioſi. Aduerſatus fuerat tribui fullonum Conſul in parte ciuitatis, quæ parebat Henrico, eosq; ad Principem detulerat, ibi tribuni & ſocij ipſorum Conſulem oppreſſum per vim necarunt. Nomen eius fuit Georgius Schillingius. Seditioſi recepti ſunt in cœnobium Dominicanorum.

Rodolphus Saganenſis victor cadit in acie.

Anno ſequenti poſt nobilitas Sileſia iuit militatum in Pruſſiam aduerſus Caſimirum Polonicum: duxerunt ordines duo Principes Saganenſes, Rodulphus & Balthaſar: prælium commiſſum eſt 17. Septembris ad oppidum Cunizum. Exiguum agmẽ Germanorum grandem exercitum Polonorum profligauit. Rodolphus in acie cecidit, ſed Balthaſar pugnam reſtituit, & fuit victor: capta ſunt ſupra 4000. curruum, & impedimenta omnis generis.

Gura oppidum perit incendio. Polcouicium oppidum conflagrat.

Anno 1457. quo Pragæ mortuus eſt Ladislaus Rex, 6. Septembris, oppidum Gura vniuerſum vnà cum templo conflagrauit. Eodem anno 16. Martij oppidum Polcouicium etiam totum incendio abſumtum eſt, ſicut ex ſimili calamitate rurſus anno 1564. 26. Julij interijt.

Sigiſmundus Freiſtadienſis moritur.

Anno 1458. 24. Decembris Freiſtadij deceſſit Sigiſmundus, Henrici Principis filius, iuuenis annorum 28.

Henricus Decimus recepit Georgium regem.

Hoc tempore cœpit diſſenſio in Sileſia propter electionem Georgij Podiebrachij. Vladislaus Glogouienſis conſtanter tuebatur partes Georgij. Henricus Princeps ſapiens principio noluit conſentire in electionem, tandem cum videret Georgium confirmationem regni impetraſſe à Cæſare, acquieuit, & cæteris etiam fuit autor, ne amplius reluctarentur. Multos quidem autoritas tanti Principis mouit, ſoli Vratislauienſes manſerunt in ſententia, & bellum quam imperium Georgij pati maluerunt.

Anno 1459. oppugnauit eos cum alijs Vladislaus Glogouienſis, ſed cum in prælio glande ſcopeti eſſet percuſſus, delatus eſt Glogouiam, vbi integrum penè quadriennium decubuit, & nullo relicto hærede mortuus eſt.

Anno 1462. 15. Maij ingreſſus eſt Glogouiam Rex Georgius cum comitatu equitum 2000. ſecutus eſt Regem inter alios Principes Henricus Freiſtadienſis.

Die 18.

Die 18. Maij Glogouiam venit Casimirus Poloniæ Rex, duxit secum equites 5000. Certarunt reges splendore & pompa, sed Georgius fuit superatus. Casimirus deductus est in arcem, Georgius diuertit in curia vrbana. Magnifico conuiuio excepit Casimirus Georgium, eumq; luxu & ostentatione ita terruit, vt ipse Polonum ad suas epulas inuitare non auderet. Sancitum est fœdus inter Reges, cum animi interea pleni essent odiorum. Fuerunt vnà dies nouem.

Glogouienses ciuitates emunt nouum cultum à legato Pontificio.

Anno 1463. à legato Pontificio, qui erat Archiepiscopus Cretensis, emerunt istæ ciuitates recentem cultum: permisit ipsis legatus, vt singulis diebus quintis panem consecratum cum theatrica pompa in cœmiterio vrbis gestarent. Adeo stultitia humana Diabolus abutitur ad cumulanda idola. Vt vero Paulus inquit, Corinthios morbis & morte fuisse punitos propter profanationem sacræ cœnæ: ita euestigio pœnæ apud nostros secutæ sunt.

Pestilentiæ contagia unde afferantur in Silesiam.

Nam anno proximo post, inaudita lues sæuijt in tota hac vicinia, propagata ex Misnia. Et quidem ratione atq; experientia certum est, periculosissima contagia pestifera his locis esse ea, quæ ex Misnia, regione nobis Australi, huc deferuntur. Glogouiæ sæpe vno die extincti sunt homines 68. interdum plures. Grassata fuit à medio mensis Augusti vsq; ad initium Decembris.

Monasterium Bernhardinorum, extructũ à Margarita Cilienſe.

Anno 1465. Margarita Cilienſis vidua extruxit nouum monasterium, in suburbio prope arcem in colle editiori, in quod collocauit fratres obseruantes, quos ante annos duodecim in Silesiam adduxerat Capistranus Italus, animalia non bona. Anno 1467. fuerunt turbæ bellicæ in agro Freistadiensi.

Iohannes Pribusiensis profligat fratrem Balthasarem.

Iohannes Pribusiensis sua bona decoxerat, & appetebat Saganũ, q̃ tenebant duo fratres, Venceslaus & Balthasar, cum sororibus. Inuenit πρόφασιν belli, quod Balthasar frater oppugnabat partes Georgij, quas ipse defendebat: inuadit igitur Saganum, & vrbem in suam traducit potestatem. Balthasar Princeps tunc militabat Vratislauiensibus, ab illis impetrat milites quadringentos, properat domum, & putat se fratrem inopinato oppressurum. Sed ille præmonitus de suo periculo, iam vigilabat & erat in armis. Balthasar igitur, diffidens suis copijs, deflectit ex itinere Freistadium, vt patruum Principem de auxilijs interpellaret.

Iohannes Pribusiensis restunditur ab Henrico Decimo.

Iohannes subito fratrem est consecutus, eumq; 12. Octobris, qui tunc fuit dies Lunæ, prope vrbem Freistadiensem profligauit. Ademta sunt militibus Vratislauiensibus arma & impedimenta, eosq; spoliatos nudosq; domum remisit. Episcopus Vratislauiensis offensus iniusticia Iohannis, fulmen sacrum in ipsum emisit, quod tamen ipse derisit. Ideo Henricus Freistadiensis excogitauit fulmen efficacius, armauit suos, 18. Octobris accessit ad Saganum, coëgit Iohannem cedere vrbe, promittere pacem, & Saganum restituere fratri.

Verum ista fuerunt initia maiorum motuum, qui postea orti sunt. Vndecimo die Nouembris proximè post, optimus Princeps, sapientia, virtute & clementia excellens, Freistadij moritur. Retineat memoriam Principis huius Freistadium, quod nec expertum est, nec fortassis experietur similem dominum. Verè hoc de ipso prædicare nostra patria potest, πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν. Erat tanquam propitius pater.

Henrici Decimi mors & elogium.

Successit ipsi vnicus filius Henricus Vndecimus, bonitate patre non inferior, sed ingenio & corpore imbecillior. Anna filia nupsit domino Rosenbergio Bohemio. Elizabeth vixit apud fratrem, & dicitur habitasse in vrbe. Hoc anno rursus sæuijt hic pestilentia: contagia allata esse dicuntur ex Austria: plura fuerunt funera in pagis quàm in vrbibus. Henricus nouus Princeps fuit Vratislauiæ in conuentu, & ibi adduci se passus fuit ad rem non bonam.

Anno enim 1468. motus à sacerdotibus, qui execrabantur Georgium Regem, misit auxilia collecta ex sua ditione ciuitatibus Lusatiæ superioris: illa multitudo imperita inuasit Bohemiam, & grauiter cæsa est. Multum detrimenti acceperunt ciuitates Freistadium & Glogouia.

Henrici ultimi copiæ uincuntur à Bohemis.

Anno 1469. cum Matthias Rex Vratislauia domum rediens in Morauia cepisset Victorinum Georgij filium, venit in Silesiam Henricus Monsterbergensis, frater Victorini, eamq; crudeliter vastauit. Videbatur is etiam imminere ducatui Glogouiensi, sed Henricus subito comparatis auxilijs profectus est ad Lubenam vsque, & ita terruit Henricum Monsterbergensem, vt copias alio duceret, & hoc modo ducatum suum incolumem seruauit.

Maiores nostri annotauerunt, constitutionem anni septuagesimi primi, quæ fuit calidissima & siccissima. Sexto Martij apparuerunt Violæ. Die Baptistæ in foro Glogouiensi poma & pyra recentia fuerunt venalia: messis finita fuit ante ferias Apostolorum Petri & Pauli. Sub medium mensis Decembris adhuc flores in campis conspecti sunt. Hoc vero anno & sequenti fulserunt Cometæ. Mense Septembri ex hoc ducatu & reliqua vicinia conscripti sunt equites quadringenti ductore Abrahamo Donauiense & Iohanne Lestio ex mandato Casimiri Regis Poloniæ. Missi sunt cum Casimiro filio in Hungariam. Redierunt amissis equis & stipendio.

Annus calidissimus & siccissimus.

Annus 1472. fuit infœlix ducatui Saganensi. Iohannes Pribusiensis Tyrannus desierat metuere Henricum Freistadiensem patruum, ideo anno 1470. rursus fuerat minatus bellum fratribus, qui placauerant eum data pecunia, quam singulis annis ex Prussia & Dania solebant accipere. Ipse iuit militatum ad Regem Mathiam, vt conciliaret sibi patronum potentem. Hoc anno quarto Maij collegit

Iohannes Pribusiensis ejicit & necat fratrem suum.

collegit prædones exteros, & armauit suam multitudinem rusticam & oppidanos, ista manu oppugnauit Saganum.

Balthasar Princeps, qui & ipse erat vir militaris aliquamdiu sustinuit obsidionem. Sed Iohannes septimo Maij, quo, eo anno celebrata fuit memoria triumphi filij Dei ascendentis in cœlum, coniecit ex machinis in vrbem faces & ignita tela, vnde tecta concepe-runt flammam, & tota ciuitas vnà cum templo & magna monaste-rij parte, in quod ciues bona sua congesserant, exusta est. Balthasar in arce, paucos dies adhuc se defendit. Dedidit arcem 16. Maij, quod erat pridie Pentecostes.

Crudelis frater etiam contra fidem datam fratrem vinctum duxit Pribusium in vicinum oppidum, eumq; in tetram turrim coniecit, vbi squalore carceris & morbo paulò pòst interijt. Sepultus est Sagani 15. Iulij. Coniunx ipsius, quæ fuit filia Ducis Teschinensis, in exilium à leuiro impio pulsa est. Commorata est ea Glogouiæ per aliquot septimanas, post mortem mariti deinde redijt ad patrem.

Iohannes perpetrato hoc scelere, cum metueret odia reliquæ Silesiæ, totum ducatum vendidit Principibus Saxoniæ fratribus, Ernesto & Alberto. Fuit ipse Dresdæ mense Decembri, precium fuit 55000. aureorum Hungaricorum. Venceslao fratri Iohannis Principes ex summa ista exoluerunt aureos 2100. qui deinde in honesto ocio omnibus carus ob bonitatem & virtutem Vratislauiæ consenuit. Tribus sororibus singulis mille aureos numerarunt. Reliquum promiserunt Iohanni post triennium, vbi prius assensum Regis Mathiæ impetrasset.

Iohannes ducatum Saganensem uendit Saxoniæ Principibus.

Nobilitas & oppida iurarunt eodem mense in verba Principum, qui eò miserant suos legatos. Ita Saganum, quod olim fuit territorium ducatus Glogouiensis, peruenit in manus Ducum Saxoniæ: mansit in eorum potestate annos 77. fuitq; gubernatio horum Principum salutaris & fœlix isti ditioni. Nam bella & calamitates, quæ paulò pòst reliquam Silesiam, & inprimis ducatum Glogouiensem duriter oppresserunt, prudentia & virtute Principum Saganum non attigerunt.

Saganum fuit tranquillum & fœlix sub Principibus Saxoniæ.

Recuperauit ditionem eandem per transactionem ab Electore Saxoniæ Mauricio, anno 1549. potentissimus Cæsar Ferdinandus, cui nunc nomine Cæsaris præest Sigefridus Promicius Baro liber dominus Sorauiensis, pietate in Deum & virtutibus heroicis ornatissimus. Mense Iulio eiusdem æstatis Henrico Freistadiensi desponsata est Barbara filia Alberti Electoris Brandeburgensis, puella annorum septem. Fuit constitutum, vt traderetur ipsi post quinquennium. Mense octobri publice sunt facta sponsalia.

Henricus ultimus ducit Barbaram Brandeburgicam.

Eadem æstate in hoc Ducatu magna fuit lis de moneta. Superiori anno ex decreto conuentus prouincialis ciuitas Vratislauiensis mutauerat monetam, cudebat numulos, quorum octoni valerent vsitato grosso Misnensi, cuius insigne sunt gladij, duodeni vero æstimarentur grosso Silesio, quem album nominamus, rursus seni grosso albo medio, qui respondet cruciatis Germanicis. Hæc ratio tandem prævaluit. Sed cum ciuitates Glogouienses imitari vellent hanc constitutionem, non successit.

Monetæ mutatio in ducatu Glogouiensi.

Aureus Hungaricus, cuius precium iam tunc iudicabatur nimium crescere, iubebatur valere albis grossis quadraginta: & grossi ensiferi, qui existimabantur esse minus probi, excludebantur. Edebantur Glogouiæ & Freistadij noui numuli, & tertio Augusti numuli veteres, quorum duodeni æquabant grossum ensiferum, edicto tollebantur. Verum, cum precia omnium rerum crescerent, populus concurrebat, petebat rem numariam relinqui priori in loco, & iam omnia spectabant ad seditionem.

Post varias autem actiones, cum Princeps sæpe autoritatem suam frustra interposuisset, mense Septembri negocium fuit suspensum, & veteres numuli in vsum recepti. Excogitatum est vectigal nouum frumenti, ex quo ciuitatibus facta est compensatio sumtuum. Sacerdotes annotarunt, in illo fremitu populi iactatos esse hos rythmos, Der Gloger Gebot / der Freistedter Rath / der Sprotter Vrtel / geschehen selden on furtel.

Rythmi Sparsi de ciuitatibus Ducatus Glogouiensis.

Glogouia nouas instituit nundinas.

Ciuitas Glogouiensis, assentiente Henrico Principe, eodem anno instituit mercatum annuum hybernum sub festo D. Andreæ.

Rodolphus Episcopus primò uenit Glogouiam.

Anno 1473. 4. Ianuarij Rodulphus Episcopus Vratislauiensis, legatus Pontificius, primo venit Glogouiam, & ne nihil ageret, consecrauit suo more templum Monachorum instituti Bernhardini post arcem.

Glogouiensis templi ruina.

Nocte, quæ antecessit diem festum, quo celebratur memoria Christi infantis gestati à matre in templum, columna lapidea in templo maximo corruit, cum qua tres proximæ testudines ingenti cum fragore sunt collapsæ. Oppressi fuissent multi homines, si hoc accidisset die sequenti. Fuit omen denuncians huic Reipublicæ euersionem, & inprimis interitum Senatus.

Sprotta perit incendio.

Pridie diei S. Margaritæ hora matutina octaua oppidum Sprotta totum conflagrauit cum monasterio & templo, arx non est læsa: perierunt incendio duo homines, adolescens & puella.

BELLVM

BELLVM POLONICVM.

OCcasionem & seriem belli, quod gessit Mathias cum Rege Polonico patre & filio, retulimus in parte scripti superiori. Hic mentionem faciemus solum eorum, quæ attigerunt hunc ducatum.

Mandante Rege Mathia, Iohannes Saganensis exul spontaneus conscripsit Stinauiæ ex Silesia equites ter mille, & pedites totidem, præfecit huic exercitui ductorem, virum rei militaris peritum, Melchiorem Löbelium: 18. die Martij, anno 1474. transierunt flumen Stinauiæ, progressi per agrum Gurensem, 20. die mensis illius oppugnarunt Fraunstadium, oppidum ditionis Polonicæ: per quadriduum excitata fuerunt in eo incendia diuersis in locis, sed tamen ciues vrbem non dediderunt. *Iohannes deuastat Poloniam maiorem.*

Totum autem agrum vicinum, fœdè diripuerunt, & exusserunt hostes, processerunt in loca Poloniæ interiora, omnia ferro & flamma, sursum & deorsum miscentes. Consumti sunt incendijs supra 600. pagi & vici: Palatini Polonici contraxerunt agmen duodecim millium militum tumultuariorum, verum non sunt ausi præliari cum hoste armis & bombardis optimè instructo.

Dum verò ita circumfert flammas Iohannes, in oppido Kisselio incenso, præceps in ignem subterraneum, superiori contignatione corruente, lapsus est, eripuit cum ex flamma, miserè iam vstulatum, quidam nobilis Freistadiensis Bussus, quem Princeps postea patrem nominauit. In media flamma dicitur alta voce inclamasse opem Heduigis cognatæ. Sub initium Aprilis ductus est Stinauiam ad socrum, vt ibi sanaretur. Nam etiam crus perfregerat. Lusit in eum populus talibus Rythmis: Hertzog Hans one Landt/ hat für der Kiesel das Maul verbrandt. *Fraunstadium defenditur contra Iohannem Pribusiensem.* *Rythmi in Iohannem exulem.*

Milites regressi ex Polonia, inhiabant collegio sacerdotum Glogouiæ, vt ex illa quasi certa arce subinde facerent excursiones in Poloniam. Sed Henricus Princeps, qui nihil fidebat Iohanni, statim sub initium Aprilis, de nocte misit præfectos duos, Georgium Glaubisium & Melchiorem Gurum, qui ex mandato Principis coëgerunt validum agmen ciuium & agrestium ex vicinia, atq; subito oportunis locis munitiones in collegio excitarunt. Postquam autem 28. die Aprilis indictæ fuerunt induciæ inter Polonos & Silesios, domum reuersi sunt. Exercitus autem Regius, qui in limite Poloniæ partim in pago Vilca, partim in Suusa desidebat, dilapsus est.

Vere superioris anni Henrico, qui videbatur valetudine esse parum firma, sponsa Marchica Crosnam adducta fuit, ipsiq; sponso commendata, qui isto anno cum ea concubuit, cum ætatis annum

decimum nondum expleſſet: Sacerdotes ſcripſerunt de illa vſitatum Canonem: Malicia ſupplet ætatem.

Autumno recruduit bellum Polonicum. Miſſi ſunt à Rege Mathia Fridericus Lignicenſis & Stephanus Sepuſienſis, pater Iohannis Veidani Hungari, illis adiunxit ex ſua nobilitate multos Henricus Freiſtadienſis, ductore Caſparo Noſticio. Venerunt Glogouiam 20. Octobris, ducebant ſecum equites ſeptingentos, inter quos erant multi Pannonij, & ducentos pedites. Intromiſſi fuerunt in ciuitatem, ſed timidè.

Mandauerat Rex, vt illis traderetur arx, vnde inuadere poſſent Poloniam, ſed hoc Margarita Cilienſis conſtanter negauit. 25. Octobris propè pagum Beichau tranſierunt flumen, & ſubito viſa eſt ardere tota ea Poloniæ ora, quam Iohannes reliquerat intactam. 28. die occuparunt oppidum & arcem Meſericium, quod in illis locis magni eſt nominis, ditati ſunt multa præda.

Meſericium oppidum capitur à Sileſijs & Hungaris.

Calendis Nouembris. Fridericus Lignicenſis cum paucis domum recurrit, repreſſurus hoſtes Polonos in ſuo ducatu. Iiſdem diebus venit Glogouiam Melchior Lóbelius Capitanius Regius, cum comitatu equitum quadringentorum, in vrbem non eſt intromiſſus, pagi ſacerdotum fuerunt prædæ equitibus, qui deinde ingreſſi in Poloniam conſederunt Suibuſij, vt inde Regionem depopularentur. Agmen Stephani Hungari manſit Meſericij, & totum oppidum inflammauit. Sedato bello arx eſt reſtituta Polonis ex pacto. Collegio ſumtu ſacerdotum impoſuit mediocre præſidium Princeps.

Circa initium menſis Februarij eiuſdem anni mortuus eſt Stinauiæ ſocer Iohannis Venceslaus Princeps, qui fuerat dominus loci annos viginti duos. Menſe Martio oppidum Neuſtadium propè Freiſtadium totum conflagrauit. Hyeme huius anni aſſcriptus eſt collegio ſacerdotum ſuperiorum Iohannes Dobergaſtius Freiſtadienſis patruus auiæ paternæ Ioachimi Curæi.

Venceslaus Stinauienſis moritur. Neuſtadium conflagrat.

Habet laudem ingenij, & amauit ſtudia Mathematum. Duos nepotes ex fratre, Iohannem & Martinum aluit in Academia Colonienſi, ea ratione, vt, cum in ſtudijs profeciſſent, alternis vicibus in ſcholis alter doceret, & illis reditibus fratrem in Academia ſuſtentaret. Fuit ingenio magno Iohannes, & celebris ob doctrinam illa ætate, ſed Coloniæ immatura morte deceſſit. Martinus autem vir doctrinæ non mediocris & vitæ laudatæ, poſtea floruit Cracouiæ, adeptus laudem oratoriam in religione Pontificia.

Iohannes Dobergaſtius Freiſtadienſis.

Martinus Dobergaſtius Freiſtadienſis.

Anno 1475. poſt Paſcha, Glogouiæ, ſpectante Henrico Principe, duello decertarunt duo nobiles in circo, Buſuius & Bernhardus Noſticius, qui fuit victus, & vitam ab altero impetrauit. Pontifex

Duellum in urbe Glogouienſe.

tifex hunc annum habuit pro Iubilæo, & multi homines ex ciuitatibus istis Romam profecti sunt, inter quos fuit Fridericus Lignicensis.

Ex mandato Regis sancita est moneta Vratislauiensis, & prior abolita, populus tamen diu reluctatus est. Pontifex etiam misit his ciuitatibus nundinas indulgentiarum domum, & auexerunt quæstores ipsius ex hac ciuitate vltra septingentos aureos Hungaricos. Mense Septembri conflagrauit oppidum Beuthen, templum tamen mansit incolume. *Moneta Vratislauiensis sancitur.*

Hactenus fuit mediocris fœlicitas harum vrbium, sed proximis annis viginti post magnis fluctibus calamitatum obrutæ sunt, ita vt penè ex toto conciderent. Initium ærumnarum fuit mors Henrici Principis modesti & iusti, qui anno 1476. 21. Februarij, qui erat dies Iouis antecedens festa Bacchi, Freistadij mortuus est. Nullam reliquit sobolem Heinricus, nec̄ coniunx Barbara egressa erat annum ætatis duodecimum, cui, cum Iohannem propter feritatem & iniusticiam odisset, vniuersam suam ditionem legauerat. *Henrici ultimi mors & testamentum.*

Vt vero vniuersæ huic historiæ lucem addamus, deficiente iam stirpe, pingo Genealogiam Principum Glogouiensium.

STIRPS DVCVM GLOGOVIENSIVM.

Vladislaus Secundus Ethnarcha Poloniæ, exul, natus ex familia Regia, cui ex transactione fuit promissa Silesia à fratribus, quam tamen ipse non est adeptus. Distributa est Silesia inter filios huius Vladislai anno 1163.

Mieslaus Princeps Silesiæ superioris, dominus Ducatuum Opolienſis, Ratiborienſis, Teschinenſis. Stirps eius extincta fuit circa annum Christi 1250. Si modo Dugloſſo creditur.

Boleslaus Procerus, Dux Vratislauiæ & Lignicij, mortuo demum fratre etiam Glogouiæ. Habuit duas coniuges.

Conradus I. Loripes dictus, dux Glogouiæ, Sagani, Crosnæ, decessit sine liberis.

Ex Venceslaua Moscouitica suscepit

Iaroslaum, qui intulit bellum patri, factus est Episcopus Vratislauiensis. Nisse territoriū detractum patri attribuit Episcopæ. Sed non fuit postea superstes vltra triennium.

Ex Adelheide, quæ erat soror coniugis Conradi Sueui Cæsaris nati sunt.

Boleslaus mortuus in adolescentia.

Ottilia

Henricus Barbatus vnicus hæres & dominus totius Silesiæ, coniunx ipsius S. Heduigis filiæ ducis Merauiæ.

Conradus mortuus in adolescentia.

Iohannes puer mortuus in Germania.

Adelheidis nupta Diepoldo Marchioni Moraviæ.

Henricus

Henricus Barbatus moritur Crosnæ 1238. 19. Martij

FILII.

Boleslaus constitutus à patre dominus Lusatiæ inferioris, prodigè vixit, & cito mortuus est.

Conradus Secundus, collocatus à patre in extremam oram Silesiæ & Lusatiæ superioris, dominus Sagani & Crosnæ. Post bellum ciuile motum in fratrem perijt in venatione ad Bythomiam anno 1213.

Henricus Secundus, Pius post patrem dominus totius Silesiæ & Poloniæ maioris. Coniunx eius Anna filia Ottocari Primi Bohemiæ Regis, interfectus à Tartaris, anno 1241. 9. Aprilis.

Henricus Tertius Princeps Vratislauiensis, cuius progenies masculà defecit anno 1290. dominati sunt post eũ duo Principes Lignicenses vsq; ad annum 1337.

Boleslaus sæuus ex quo longo ordine nati sunt Principes Ligni censes, quorum stirps adhuc Bregæ & Lignicij fœliciter superstes est.

Vladislaus Archiepiscopus Salzburgensis, mortuus anno 1270.

Conradus Tertius primũ consecratus in Diaconum, deinde Princeps Glogouiensis, coniunx eius Salome, filia Ducis Posnaniensis, mortuus 1298.

Filij Conradi Glogouiensis.

Primislaus dux Sprottensis & Saganensis, interfectus in prælio Polonico 1290.

Conradus Quartus, Gibbosus præpositus Vratislauiensis, electus in Archiepiscopum Salzburgensem, sed noluit relinquere suam ceruisiã, moritur anno 1304. Stinauiæ.

Henricus Tertius Glogouiensis, coniunx eius Mechtildis, filia Ducis Brunsuicensis, dominus Poloniæ maioris, præterea dominus Glogouiensis, Saganensis, Stinauiensis, Volauiensis & Olsnicensis, electus ab aliquibus ordinibus in Regem Poloniæ, mortuus 1309.

Henricus Quartus, Glogouiensis & Saganensis, dictus fidelis, cõiunx Mechtildis, filia Marchionis Brandeburgẽsis, mortuus circa annum Christi 1334.

Primislaus Glogouiensis mortuus sine liberis 1331.

Iohannes Gurensis mortuus sine liberis.

Conradus Olsnicensis à quo descendunt duces Olsnicenses & Stinauienses, plericq; dicti Conradi, stirps deleta est anno Christi 1491.

Henricus

Henricus Quintus Ferreus Glogouiensis & Saganensis mortuus, anno 1369.

Henricus Sextus, Senior dictus Saganensis & Crosnensis, non reliquit sobolem.

Henricus Septimus, Rapoldus, Glogouiensis mortuus sine hærede.

Henricus Octauus, Passer, Freistadiensis & Sprottensis, mortuis fratrib⁹ etiam Glogouiensis & Saganensis, decessit anno 1395.

Iohannes Saganensis seiunctus à reliquis fratribus, moritur anno 1437.

Venceslaus Crosnensis periit adolescens.

Henricus Nonus, Rapoldus dictus, mortuus in Dania.

Henricus Decimus, dominus totius Ducatus Glogouiensis, Coniunx Heduigis mortuus anno 1467.

Henricus Vndecimus, Glogouiensis, coniunx Barbara Brandeburgica moritur sine liberis, anno 1476.

Filij Iohannis Saganensis.

Rodulphus interfectus in bello Prutenico.

Balthasar mortuus in turri Pribusiensi.

Venceslaus mortuus Vratislauiæ, anno 1488.

Iohannes Pribusiensis, successor Henrici Vndecimi, coniunx Catharina, filia Venceslai Stinauiensis, quæ peperit ipsi quatuor filias.

Margarita nupta Baroni Pannonio.

Salome nupta Alberto Monsterbergẽsi.

Heduigis nupta Georgio Monsterbergensi.

Anna nupta Carolo Monsterbergensi, vnde est materna stirps Ducum Olsnicensium.

BELLVM MARCHICVM.

EXtincto Principe, die 27. Februarij, qui eo anno erat is, quo Pontificij solent cinerem spargere in capita, fuit conuentus ordinum ducatus Freistadij, & in illo mœrore & metu omnium, fuerunt propositæ deliberationes de statu publico. Auditæ sunt legationes multorum Principum, qui omnes petebant ducatum.

Glogouiensis ducatus uocatur in disceptationem.

Primo loco præfecti Regis Mathiæ commemorabant, ducatum morte Henrici, qui non reliquisset sobolem, redijsse ad regem, totius prouinciæ dominum. Secundo legati Marchici allegabant testamentũ mortui Principis, qui totum territorium coniugi suæ viduæ assignasset. Tertio Vladislaus Bohemus vrgebat suũ ius, quod se pro legitimo Rege Bohemiæ, ratione acceptæ coronæ gereret. Quarto Iohannes Saganensis proponebat iura agnationis in successionem, quod Henricus fuisset frater suus patruelis, ideo æquũ esse sui haberi rationem.

Ordines

Ordines re deliberata prudenter responderunt, sese disceptationem hanc æquo & legitimo permissuros iudicio, & habituros pro domino illum, quem leges dominari iuberent. Interea visum est, iustum esse, vt vidua ante cognitionem maneret in possessione ducatus: atq; ita post paucos dies gubernator supremus à Marchione nominatus est dominus Schencius, qui magistratum vrbanum in ciuitatibus constituit. Sed is obfuit causæ sui domini. Accusabatur propter superbiam, quæ in ipso maior fuit, quàm in Principe mortuo, viro placidissimo & humanissimo.

Schencius Marchicus nocuit suis dominis.

Rodolphus Episcopus excluditur à Glogouia.

Die 29. Martij Rodulphus Episcopus Vratislauiensis accessit ad Glogouiam eo consilio, sicut constabat, vt ciuitati persuaderet imperium Regis Mathiæ. Etsi autem ipse, vt callidè propositum suum tegeret, plures eò miserat, qui ordines sacros ibi essent accepturi: tamen præfecti ciuitatis mandarunt Senatui, ne ipsum in vrbem reciperent.

Fuit hoc denunciatum Episcopo, qui petebat, vt cum comitibus octo, vel sex paterentur adire ipsum collegium, & in suam aulam diuertere: verum etiam hoc fuit negatum. Pernoctauit igitur fremens ira in habitatione Cruciferorum in suburbio Nosocomij, mane aliquos initiauit sacris, & finita missa, cum nihil cibi gustasset, Vratislauiam rediit, fulmen excommunicationis in omnem magistratum ciuitatis torsit.

Glogouia excõmunicatur ab Episcopo.

Erat hoc Dominico die Palmarum, & septimana sancta, ideo valde laboratum est de reconciliatione. Placatus est tandem Episcopus mulcta aureorum Hungaricorum 16. & rursus ciuitati vsum sacrorum permisit. Sacerdotes scripserunt, Deum excitato bello Glogouiensi puniuisse hoc scelus, quod non fuit receptus Episcopus.

Iohannes Saganensis sciebat fouere se causam non valde bonam. Quia olim disertè cautum erat, vt patri & liberis nullum esset ius in ducatu Glogouiensi, & Henricus Decimus solus fuerat hæres fratrum mortuorum, præterito Iohanne. Præterea ipse Iohannes, cum Saganum dissipauisset, nullum territorium in Silesia possidebat, atq; ideo secundum leges ad has ciuitates vix poterat habere accessum.

Iohanni Saganensi traditur ducatus Glogouiensis à Mathia.

Confugit vero ad Mathiam, qui legibus & armis erat validior. Is tunc parabat nuptias, præuidebat bellum Austriacum, amabat etiam Iohannem, qui ipsi operam egregiam contra Polonos nauauerat, ideo huic concessit, vt ducatum in suam potestatem traduceret, eaq; de re mandata ad Glogouienses misit: sed iam tunc certa pacta interuenerunt. Quia Rex ducatum illum destinabat filio suo naturali Iohanni Coruino.

Hæc consilia cum intelligeret Elector Brandeburgicus Albertus, quem Germania nominauit Achillem, pater Barbaræ, conuertit se ad Vladislaum, & tandem post longam tractionem hæc

fuit

fuit inuenta ratio, vt Barbara vidua nuberet Vladislao, ipsiq; loco dotis, & tanquam Regi Bohemiæ traderetur possessio Ducatus Glogouiensis.

Barbara Brandeburgica promittitur Vladislao Regi.

Actum hoc fuit sub exitum Augusti: 26. Augusti conuocati fuerunt ordines Freistadium, fuerunt ibi legati Vladislai & Marchionis, quorum Principes erant Henricus Dux Monsterbergensis, cum quo nupta erat Vrsula, filia Electoris Alberti, & Schencius, qui postulabant iuramentum fidelitatis ab ordinibus. Eo die quidem perfici hoc non potuit, sed postridiè curarunt cum certa conditione, hoc nempe pacto: Promittimus fidelitatem & obedientiam, Vladislao Bohemiæ Regi, marito nostræ dominæ, quatenus ipsa domina de iure in nos potest habere imperium. In hanc sententiam etiam fuerunt confectæ literæ.

Glogouiensis ducatus iurat in uerba Vladislai.

Non multo post Iohannes, qui nitebatur Mathia, & sciebat Vladislaum esse segnem bellatorem, non amplius lege, sed armis statuit agere. Stinauiæ igitur magnas spirans minas coëgit exercitum equestrem & pedestrem. Calendis Decembris ordines denuo congregati Freistadij, missa legatione rogauerunt eum, vt ageret mitius, & responsum ipsorum expectaret.

Iohannes occupat armis ducatum Glogouiensem.

Septimo Decembris vocauit ordines Saganum: vbi cum prius de iure suo quædam esset locutus, protulit literas Mathiæ Regis, quibus tribuebatur ipsi possessio Ducatus. Ordines multum ancipites, in diuersa studia scindebantur, quia iam præuidebant bellum funestum patriæ. 9. Decembris iurauit in verba eius tota nobilitas ducatus, & ciuitas Glogouia sola, quam præ cæteris oderat Iohannes: reliquæ vero vrbes, quibus cara erat Barbara vidua, discesserunt.

Iohannes nihil cunctatus, post biduum accessit ad Sprottam armatus. Vrbs re deliberata elegit minus malum, aperuit ipsi portas, & promisit obedientiam. Postridie iuit Freistadium, & idem obtinuit. Sequenti die Grunbergæ, ipsum oppidum, præterea Zulichienses & Suibusienses eò vocati, potestati eius se permiserunt.

Crosna occupatur à Marchione.

Hæc cum summa celeritate perfecisset, 14. Decembris properauit Crosnam, sed ea iam erat munita præsidio Marchionis. Conabatur Iohannes ab illis exprimere deditionem: per triduum inflammauit ædificia suburbana, sed cum præsidiarij eum contemnerent, reuersus est Sprottam.

Die 9. Ianuarij, anno 1477. ordines conuenerunt Freistadij, collocuti sunt per triduum, & pacti sunt inducias cum Marchione vsq; ad ferias S. Georgij. Tempore inducíarum Iohannes domicilium suum collocauit Sprottam, & occultè nobilitatem in Lusatia inferiori, quæ parebat Marchioni, ad Cotbusium & Sprembergam, conatus est sibi conciliare, sed frustra.

Vix dum elapsis inducijs, Iohannes conuertit se ad bellum. Tenebatur præsidio Marchico arx Freistadiensis, illud statuit eijcere. Die lunæ sequenti ferias Dominicæ Ascensionis venit Freistadium: vrbs, quæ diligebat viduam, & præterea prohibebatur à præsidio, non recepit eum: recessit plenus furoris. Reuersus est post octiduum, in ferijs Pentecostes armatus, ciuitas ipsi aperuit portas, sed arx exclusit eum.

Freistadiensis arx obsidetur à Iohanne.

Marchio Albertus, Princeps non solum militaris, sed etiam prudens, nolebat rem cito deduci ad arma. Parcebat enim miseris ciuibus, & sperabat Mathiam facturum quod esset æquum, ideo segniter oppositi se Iohanni. Arcem Freistadiensem muniuit præsidio militum solum sexaginta, quibus præerat Sigismundus Rotebergius.

Vladislaus Bohemus promiserat suæ sponsæ auxilia & defensionem, & sub initium Maij duplex agmen ex Bohemia emiserat, quod Glogouiam proficisceretur, sed vtrumq; infœliciter rem gessit: Prius in ducatu Suidnicensi exterritum armis incolarum, domum redijt: alterum, cum in Lusatia superiori frustra ciuitates aliquas tentasset, etiam dilapsum est. Ipse Vladislaus respiciebat bellum Austriacum, & iam eum affinitatis Marchiæ pœnitebat: atq; ita Barbaram suam deseruit, & Cæsarem non defendit.

Barbara Brãdeburgica deseritur à Vladislao.

Die sexta post Pentecosten, præsidiarij & ciues Crosnenses conati sunt pulso Iohanne, soluere obsidionem arcis, verum hoc frustra fuit: in reditu aliquot pagos agri Freistadiensis & Grunbergensis inflammarunt.

Die Sabbati Iohannes conuentum suorum habuit in pago Brega, agri Glogouiensis, & petijt auxilia. Sequenti die, qui erat festus S. Trinitati, Glogouienses, qui multum formidabant iram Iohannis, miserunt ipsi ex oppidanis pedites triginta, equites 16. detinuit eos Freistadij septimanas tres: 21. Iunij de nocte venit in suburbium Glogouiense, mane vix tandem exoratus à senatu vtriusq; partis, vrbem ingressus est. Abijt inde Calendis Iulij, collocutus fuit cum Margarita Cilienſi, sed non obtinuit quod quærebat.

Crosnenses deuastãt agrum Freistadiensem.

Quarto Iulij, prope Francofurtum, interceptus est ab equitibus Iohannis Episcopus Hauelburgensis, ductus fuit captiuus Sprottam, deinde mense Octobri missus est Freistadium, donec mense Martio anni sequentis soluit λύτρον aureorum mille, & dimissus est.

Iohannes Episcopus Hauelbergensis capitur à Iohanne.

Quinto Iulij Iohannes Marchio Alberti filius, missus à patre cum mediocri exercitu, venit Freistadium: Castra prope vrbem posuit, obsidionem arcis soluere non potuit: multa parua prælia facta sunt, in quibus plerisq; Silesij fuerunt superiores: sed pagi multi in territorio Freistadiensi & Grunbergensi à Marchicis sunt exusti.

Iohannes Marchio frustra conatur soluere obsidionem arcis Freistadiensis.

Die

Die 27. Iulij Iohannes Glogouiæ armauit ſuam nobilitatem, & conſcripſit milites ſtipendio in bellum Marchicum. Eodem die, qui fuit Dominicus, Grunbergenſes conflixerunt cum Croſnenſibus, qui populabantur agros ipſorum: victoria fuit penes Grunbergenſes. Interfecerunt viros 60. ceperunt viuos 150. *Grunbergenſes profligarunt Croſnenſes.*

Vltimo Iulij in oppidulo Bethania vna fuerunt Epiſcopus Varadienſis, Iohannes, & Fridericus Lignicenſis, egerunt de pace inter Iohannem & Marchionem, pax non conuenit, ſed rurſus dictæ fuerunt induciæ vſq; ad feſtum Galli, hac conditione permiſſum eſt, vt obſeſſi ex arce egrederentur, ſi vero pax intra dictum diem conſtitui non poſſet, promiſerunt ijdem ſe redituros in arcem, & fortunam belli expectaturos. *Freiſtadienſis arcis obſidio ſoluitur.*

Sic obſidio poſt decimam ſeptimanam eſt ſoluta, & Marchio domum redijt. 27. Auguſti Iohannes, quem priores ſucceſſus animauerant, ſtatuit vrgere bellum contra pacta, omnem nobilitatem vocauit Freiſtadium, eam ſibi denuo deuinxit iuramento, multos ex illis, quod putarentur fauiſſe Marchioni, afflixit acerbè, aliquos vero in gratiam recepit.

Die Iohannis interfecti, traduxit in ſuam poteſtatem Zulichium, & paulò poſt Suibuſium vrbem & arcem. 28. Septembris ante finem inductarum euocauit ſuos ad expeditionem Neuſtadium. Glogouia miſit ipſi equites quadraginta, pedites centum. Contraxit ſtipendiarios magno numero: prætergreſſus Viadrum obſedit arcem Beutenicium, vbi Bohemi erant in præſidio, qui relictis equis & impedimentis fugerunt. Adeptus eſt Iohannes equos centum, arcem captam inflammauit. *Iohannes occupat Zulichium & Suibuſium.* *Iohannes occupat arcem Beutenicium.*

Acceſſit ad Croſnam, vaſtauit ſuburbia, proceſſit vlterius. Quinto Octobris venit ad Francofurtum, quam vrbem cum præſidio tenebat Marchio filius, is erupit, & prope pontem conflixit cum Iohanne improſperè, Marchici in vrbem compulſi ſunt, capti ſunt 350. Vaſtauit ædificia ſuburbana, abegit armenta pecorum, extorſit pecuniam à vicis & pagis hinc inde. *Iohannes ad Francofurtum proſpere dimicat.*

Vrbs Francofurtenſis fidem ſuam pro captiuis interpoſuit, promiſit numeraturam ſeſe Iohanni aureorum 14000. aut captiuos omnes ad feſta Martini Sprottam miſſuram. His rebus confectis, 17. Octobris domum redijt, ſuoſq; ditatos ſpolijs dimiſit. 29. Octobris denuo nobilitatem Neuſtadium euocauit. Die Martini Epiſcopi, ſecundum pacta, Marchici Sprottæ ſe ſiſtebant, diſtribuit eos in carceres hinc inde per vrbes, quidam ſe ipſos redemerunt. Menſe vero Martio ciuitas Francofurtenſis numerauit pro reliquis 8000. aureorum, eosq; liberauit.

Eodem anno nocte, quæ præceſſit diem Dominicæ Aſcenſionis, oppidum Gura exceptis quadraginta ædiculis & templo totum conflagrauit. Iohannes hac æſtate aſſcripſit collegio Sacerdotum *Opicius Coluir turbulentus.*

primariorum Opicium Colonem consiliarium suum, eumq; deinde ad magnam dignitatem euexit.

Mathiæ Regis consiliarij intercipiuntur in Silesia.

Fuit is vir fax & pestis huius ditionis, proiectus in omne scelus & flagitium. Die 18. Septembris prope Cõbenum oppidulum in ducatu Glogouiensi, capti sunt legati Regij, Doctor Fabianus & scriba Reipub: Vratislauiensis à prædonibus: omnes Principes Silesiæ, qui metuebant iram Regis, fecerunt diligentissimam inquisitionem, neq; tamen constabat, quo ducti essent.

Vere anni sequentis emissi sunt ex carcere arcis prope Sittauiam, cum Vratislauiensis scriba soluisset aureos trecentos, Consiliarius vero Regius 1500. Sub initium veris anni 1478. rursus fuit actum de concordia ex mandato Regis inter Marchionem & Iohannem: sed frustra. Quia Marchio irritatus, iam armabat se contra hostem.

Iohannes occupat Belicium oppidum Marchicæ.

Post Pascha milites Iohannis tempore nundinarum per fraudem occuparunt Belicium, Marchiæ oppidum, plenum bonarum rerum. Marchio re cognita obsedit oppidum spacio trium septimanarum, tandem iniecit ignem, quo ciuitas, supellex & equi militum omnes perierunt. Ipsi milites nudi se Marchioni dediderunt, fuerunt numero 160.

Circa festum Pentecostes rursus constitutæ sunt induciæ vsq; ad diem recordationis Bartholemæi Apostoli, redditi sunt vtrimque captiui, & causa tota permissa est arbitrio Regis Matthiæ. Sub medium mensis Iunij ipse Iohannes ad Regem profectus est, rediit 18. Iulij plenus bonæ spei, quia ardente bello inter Mathiam & Cæsarem, etiam Principes Germaniæ distineri voluit hinc inde Mathias, ne possent opitulari Cæsari.

Primislaus Princeps scholasticus Glogouiensis moritur.

Circa hoc tempus mortuus est Glogouiæ Primislaus, Dux Teschinensis, scholasticus collegij Glogouiensis, & gubernator Margaritæ Cilienſis: exuuias ipsius tribuit Princeps scelerum suorum ministro Opicio. Margarita iam tunc metuebat Iohannem, quem videbat clam tentare suorum ciuium animos: ideo accersiuit Iuuirum Casimirum Teschinensem, vt sibi esset præsidio. Venit is cum magno comitatu Glogouiam 5. Septembris.

Tertio die post ab omnibus subditis Margaritæ postulauit iuramentum obedientiæ. Ipsi autem hoc negarunt, vsi tali excusatione, quod nondum esset hæres. Postridie nobiles & magistratum vrbis vocauit in arcem, eosq; captiuos esse iussit. Senatores decem in turrim inclusit. Sequenti die accersiuit ciues quosdam Gura, vt essent præsidio arci in isto motu.

Casimirus Teschinensis punit magistratum Glogouiensem.

Venit interea Iohannes in vrbem, qui per suos egit de concordia, atq; ita 11. Septembris iuratum est Casimiro vt tutori in quinq; annos. Ipse ante abitum mutauit magistratum arcis & vrbis, atq;

Guram

Guram succeſſit, vbi aliquandiu expectauit, vt videret conatum Iohannis. 20. Septembris Iohannes denuo inchoauit bellum, armauit ſuos ſubditos & ſtipendiarios, acceſſit ad Croſnam, 22. die inflammauit pontem fluminis, vaſtauit vineas, per dies ſeptem populatus eſt territorium Cotbuſienſe, deinde ad Croſnam redijt.

Iohannis exercitus in caſtris ad Croſnam profligatur à Marchione.

Interea, rogatus à ſuis, iuit Francofurtum ad Marchionem, ſub fide publica. Sed nulla potuit ſanciri pax. 10. Octobris, cum Princeps ex caſtris Croſnenſibus iuiſſet Freiſtadium, Marchio Sileſios, incautè ſe gerentes, cum exercitu adortus eſt. Commiſſa pugna Marchici magna ſtrage Sileſios ſuperarunt, euaſerunt pauci equites, pedites capti ſunt omnes, omnia arma & impedimenta. Captiui ducti ſunt Francofurtum, per totum autem quadriennium ſæpe coacti ſunt illi ſe ad mandatum Marchicorum hinc inde ſiſtere, donec tandem prorſus pax facta eſt.

Mathias Rex mittit equites Pannonios in Sileſiam.

Octobris die 16. venit ad Glogouiam Selenus Bohemus, miſſus à Mathia cum turma equitum Pannoniorum 1800. populati ſunt vicinos pagos, vbi habebant diuerſoria ſua. 26. Octobris Princeps ſubditos ſuos ad arma excíuit: Conſcripſit Glogouiæ ſtipendiarios 300. & coniunxit ſe cum Hungaris. Ingreſſi ſunt Marchiam, eamq; duriter vaſtarunt. Ipſe Princeps cum ſuis reuerſus eſt ſub initium menſis Nouembris, ſtipendiarij 14. die poſt. Pannonij diutius ibi hæſerunt, & vaſtitatem in multis locis fecerunt.

Iohannes exhaurit ſuos ſubditus grauibus exactionibus.

Interea miſerum hunc ducatum Iohannes etiam grauiſſimis exactionibus exhauriebat. Nam ſub ferias ſanctorum Angelorum, ſingula capita in ſua ditione, tam hominum quàm brutorum grandiorum exoluerunt ipſi ſingulos groſſos Bohemicos, oues ſingulæ groſſum medium. Sub finem Nouembris indixit aliam contributionem, coëgit omnes ſuos ſubditos pendere marcam triceſimam ſuarum facultatum, ita vt de mille darentur marcæ triginta tres & paulò amplius, quod certè fuit graue.

Menſe tamen Februario anni ſequentis, cum milites ob non ſoluta ſtipendia occupaſſent oppidula Beuthen & Neuſtadium, illis etiam cogente Principe ſatisfecerunt ordines. Nobilitas contribuit quatermille aureos, ciuitates bis mille, & tamen ſuo ſumtu ſimul alebant milites in caſtris ducis. Hæc onera tulerunt maiores noſtri, quæ etiam noſtræ ætati, quamuis magis pecunioſæ, viderentur intolerabilia. Sed & inaudita tamen tyrannis tandem mutationem publici ſtatus attulit.

Anno 1479. Mathias inclinauit ad pacem, & ſua incipiebat patefacere conſilia. Miſerat ad eum Iohannes legationem menſe Februario. Menſe vero Aprili venerunt à Rege Epiſcopus Vra-

tislauiensis & orator Pontificius, acturi cum Marchione de pace, quæ tamen tunc non conuenit. Selenus cum Pannonijs deserta Marchia transijt in vicinam Lusatiam, deinde in Silesiam montanam, & passim multos concussit. Ademit aliquot oppida Conrado Albo Olsnicensi, propterea quod mortuo fratre totum Ducatum vendere volebat Principibus Saxoniæ inuito Mathia.

Iohannes sæuit in suum consiliarium.

Pacificatio belli Marchici reiecta fuit ad cognitionem Mathiæ, cuius animum iam callebat Marchio. Iohannes vltro citroq; misit ad Regem, sed nihil explicati referebatur. Sæuijt autem in quendam ex suis consiliarijs valde atrociter. Is erat Theophilus Bergmanus Glogouiensis vir doctus & facundus, qui multos annos in aula vixerat, carissimus Principi, cuius arcana fermè solus sciebat.

Fortunam vero florentem comitata est inuidia. Nobiles enim oderant illum propter potentiam, & dolebant eum ipsis anteferri: ideo criminati sunt eum apud Principem varijs artibus, & tandem hoc anno, cum à Rege reuersus esset, vicerunt accusationes, & extrema ipsi est conflata calamitas.

Theophilus Bergmanus plectitur capite.

Die 13. Iunij coniecit eum in turrim Sprottæ, detinuit eum sine cibo & potu vsq; ad noctem, quæ secuta est diem Viti, tunc extra oppidum ductus est, & nocte intempesta, spectantibus duobus hominibus, capite truncatus est, cum prius opem Dei supplex imploraſſet, & lugubri sermone questus esset de tyrannide sui Domini, qui ipsi inaudito & indemnato vitam eriperet. Iohannes etiam coëgit omnes ordines sui Ducatus exoluere exactionem, quam priori anno dederant.

BELLVM GVRENSE.

Tempestas in ducatu Glogouiensi.

ANnus sequens, qui fuit 1480. rursus fuit turbulentus in hac dimtione, & fuit etiam causa sequentium calamitatum. Prædixit illas ærumnas sæuissima tempestas, quæ fuit 21. Februarij, horis duabus ante Solis occasum, Glogouiæ & in vicinia.

Fuit ingens ventorum commotio, tonitrua & fulmina horribilia, ceciderunt lapilli grandinosi, æquantes magnitudinem oui columbini, qui excusserunt fenestras in ædificijs publicis & priuatis, confracta sunt tecta multarum ædium, & in agris passim inuenta sunt cadauera anserum, leporum, volucrium omnis generis.

Eodem tempore Mathias, iam sedato bello Austriaco, nunciauit Iohanni, Glogouiensem Ducatum ex lege deuolutum esse ad ipsum,

ad ipsum, qui sit dominus Prouinciæ, se igitur illum in suam potestatem traducturum, cum præsertim Iohannes Marchioni non possit esse par. Interea tamen Regem Iohanni, coniugi & filiabus ipsius prospecturum commodè & luculenter, ita vt causam querelarum habere non possint.

Mathias Rex conatur eripere Iohanni ducatum Glogouiensem.

Tulit hoc Princeps ægerrimè, & euestigio, sicut fuit incogitans, & audax, deliberauit de vindicta. Terruit primum ciuitates reliquas, quæ ipsi promiserunt auxilia, ex illis armauit manum aliquam, venit Glogouiam 5. Martij de nocte. Mane in curia conuocata plebe conquestus est oratione admodum demissa & lugubri de iniusticia Regis, qui ipsi vellet eripere vetus patrimonium Ducum Glogouiensium, petijt igitur vt ipsum iuuarent contra regem. Populus persuasus oratione Principis est assensus.

Iohannes Episcopus Varadiensis, qui intelligebat traduci suum Regem de iniusta violentia, & accendi populum rerum imperitum ad exitiosum bellum, subito Vratislauia excurrit iturus Glogouiam, vbi in conuentu expositurus erat voluntatem sui Regis. Iohannes Princeps vero diffidens suæ causæ, vsus technis Opicij, virum illum, sapientia & gratia Regis florentem, vrbe Glogouia excluſit, illicq; nunciauit, in vicino pago, cui nomen est Ecclesiæ altæ, se ipsum velle operiri, vrbem autem ipsi patere non posse. Tulit hoc indignè Episcopus, & Lubena Vratislauiam, non viso Principe, regressus est.

Iohannes Varadiensis Episcopus excluditur Glogouia.

Iohannes magna celeritate, antequam de turbis istis doceri posset Rex, inuenit rationem, qua posset ejcere Margaritam Cilienſem, quam intelligebat moto bello futuram à partibus Regis. Misit suos internuncios ad ducissam & ciues ipsi subiectos, qui proposuerunt nomine Principis, censere Iohannem, rectè facturam ducissam, cum suis ciuibus, si omnino quiescerent, nec cum hostibus Iohannis sese coniungerent.

Responsum est, ducissam nihil hostile moliri contra Principem: sed ipsam non posse præliari cum Rege, cui esset deuincta religione iuramenti, quare orare se, daret operam Iohannes, ne Rex irritaretur.

Ipsa 9. Martij misit, qui vocarent Casimirum Teschinensem in auxilium, quod tamen frustra fuit: Simul ciues, qui iam odorabantur mentem Iohannis, comportarunt in arcem ducissæ alimoniam & bona sua: data sunt etiam mandata, vt singuli parati essent ad subitos casus.

Vndecimo Martij Iohannes hanc causam belli arripuit, quod ducissa videretur munire arcem, armauit oppidanos & nobiles suos, & paulo ante Solis occasum bellum miseræ viduæ indixit.

Iohannes oppugnat arcem Glogouiensem.

Nocte intempesta armatus arcem inuasit, occupauit vestibulum, abstulit obsessis aliquot tormenta bellica, & multa vasa cereuisiæ. Ipsi ciues præsidiarij compulsi in arcem interiorem, sub auroram ædificia vestibuli incenderunt. Venit in potestatem Iohannis etiam turris vicinæ portæ, quam muniuerat ducissa, vt retineret potestatem portæ flumentaneæ.

Sic factum est initium deprædationum & latrociniorum in ipsa vrbe. Adduxit tormenta & alias machinas Sprotta & Freistadio, totamq; arcem obsidione cinxit. 13. Martij ciues subditi Margaritæ, qui in vrbe manserunt, renunciant ducissæ, & iurant in verba Iohannis: Præsidiarij in arce aliquoties egressi sunt, & domos hostiles diripuerunt. Fugerunt in arcem Iudæi, quos texerat prius Margarita, domos eorum spoliarunt, synagogam spoliatam euerterunt milites stipendiarij, mandante ita Principe.

Ordines in Silesia grauiter commouebantur isto furore insani Principis, & præuidebant iram asperrimi Regis, ideo diligenter laborabant de pace. 18. Martij venerunt in pagum Hohekirch Conradus Olsnicensis, & Legati Friderici Lignicensis, vt Iohanni pacem persuaderent, quam ipse planè repudiauit.

Nec tamen propter salutem patriæ communis, quæ in discrimen proijciebatur, cessarunt ordines: Sed denuo 22. Martij in eundem pagum venerunt Iohannes Varadiensis, qui cum Imperio Regio erat in Silesia, Rodulphus Vratislauiensis Episcopus, Fridericus Lignicensis, Legati Vratislauienses & Suidnicenses, multiq; alij præstantes viri, qui omnes longa & prudenti oratione dehortabantur Principem ab isto furore, sed ipse superbè omnia contemsit, & cum multa de iniusticia Regis locutus esset, dixit, se iuuante Deo, prosecuturum ea, quæ inchoasset, itaq; colloquium abrupit.

Iactauit postea, resciuisse se ex consiliarijs Marchionis, ducissam aliquando agitasse consilia cum Marchione, ipsiq; tradituram fuisse arcem, si voluisset. Gessit igitur sæuum bellum, & inter alia imitatus est factum obsidionis Bohemicæ. Nam ex machina quadam in arcem proiecit vasa referta putridis cadaueribus equorum, cattorum, canum & stercore humano, quæ fœtore intolerabili miseram ducissam cum suis penè necassent. Neq; tamen præsidiarij fuerunt inertes, sed globis emissis & glandibus, multos quotidie feriebant.

Iohannes proijcit stercora in arcem Glogouiensem.

Annotatum est diebus festiuis, quales fuerunt Christi concepti in aluo virginis, diebus Palmarum, quinta & sexta in septimana sancta, quasi tacitas fuisse inducias. Quieuit enim omne bellum, nullaq; sunt explosa tormenta.

Die,

Die, quo fit recordatio ſanctæ cœnæ, Princeps in collegio peccata ſua pro more ſacerdoti confeſſus eſt, & longa oratione in cœtu ſacerdotum omnium bonitatem ſuæ cauſæ prædicauit, & blandis verbis ſacerdotes ſibi conciliauit, ita vt in ſuis annotationibus factum Principis non multum vituperare videantur. Munñt Iohannes proximos pontes & templum S. Georgij in ſuburbio flumentano impoſitis præſidijs, quæ arcere poſſent Gurenſes.

Tertio Aprilis, qui tunc erat dies ſecundus feſtiuitatis Chriſtiani Paſchatis, eiecit ex vrbe vxores & paruos liberos ciuium illorum, qui erant in arce, illasq; domus attribuit alijs. Ingens vero ab illo miſero grege fuit excitatus planctus & eiulatus in vrbe. 5. Aprilis agmen Gurenſium oſtendit ſe prope pontem collegij, nullo cum ſucceſſu. Redierunt de nocte 9. Aprilis, cohortati ſunt obſeſſos in arce, vt fortiter agerent, ſe ipſis affuturos.

Eodem die venerunt legati Principum & ciuitatum Sileſiæ, qui rurſus Iohannem hortabantur ad pacem, ſed fruſtra. 20. Aprilis eiecit Monachos Dominicanos, quod exiſtimarentur colludere cum obſeſſa duciſſa. Die Marci deuaſtarunt totum agrum Cõbenſem, prædas aduexerunt Glogouiam. Venerunt eo die equites Poloni 50. quos collocauit in collegium. 30. Aprilis duciſſa ex arce miſit nuncios, qui peterent pacem à Principe, inter quos fuit Nicolaus Dreiſſimarchius, res dilata eſt in diem ſequentem.

Nicolaus Dreißimarchius conciliat Margaritam cum Iohanne.

Calendis igitur Maij facta eſt tranſactio, cum duciſſa nullibi auxilium reperiret: Arx eſt tradita Principi, res ſuas ſinguli exportarunt, exules ſunt reſtituti, ſed in domos ſpoliatas. Duciſſæ permiſſum eſt, vt aut habitaret in arce, aut in ciuitate, frueretur reditibus ſuis vſq; ad mortem, Iohannes iam teneret imperium, & poſtea eſſet hæres duciſſæ. Ipſa noluit aſſentiri, ſed relicta arce, eodem die migrauit Guram. 8. Maij Gurenſes in ſuburbio flumentano rapuerunt armenta ciuium, & domum ſuam abegerunt: Sic demum mutua exercuerunt latrocinia per duos menſes.

Glogouienſis arx traditur Iohanni.

Cœpit litigare eodem tempore cum collegio, quia ſperauerat ſacerdotes emollitos blandis ſuis verbis collaturos pecuniam in ſtipendia militum, ſed cum ipſi hoc negarent, cœpit per vim hoc extorquere à præcipuis tantum. Nam cum ſenatus collegij inuoluere etiam vellet ſacerdotes minores, eoſq; poſceret pecuniam, Princeps dixiſſe fertur: Laus Es hats nicht / Sechs Zinck mus geben: Addens interpretationem Allegoriæ talibus verbis: Volo vt vos ſacerdotes Primarij contribuatis quantum poſtulo, aut ſi refragabimini, eijciam vos, retraham ad me reditus veſtros, & inde meos milites alam. Ita collegium denuo agmine Polonorum repleuit.

Die

Die 17. Aprilis Gurenſes tranſgreſſi Viadrum, in ripa Auſtrali plurimos pagos depopulati ſunt, Crampſcicium & alios, abactis inde pecoribus redierunt domum, inſecutus eſt eos Princeps Cõbenum vſq; nullo cum ſucceſſu. Gubernabat vero bellum Caſimirus Teſchinenſis, qui erat Guræ. Die Vrbani ipſe Princeps agrum Gurenſem deuaſtauit, 18. Maij Iudæi Glogouia pulſi ſunt, & iuſſi ſunt perpetuo vrbe exulare. Hoc vnicum pro ſalute ciuitatis ſuſceptum fuit ab hoc Principe.

Iohannes Glogouienſis ex urbe eijcit Iudæos.

Sexto Iunij manus quædam prædatoria, quæ militauerat Principi, ob non ſoluta ſtipendia inuaſit agrum Freiſtadienſem, & ex paſcuis illis armenta rapuit. Secutus eſt eos Princeps ad Tribelium oppidulum vſque, ibiq; cum illis tranſegit. 13. Iunij Princeps collectis omnibus ſuis copijs infudit ſe in ditionem Gurenſem, ibiq; graſſatus eſt rapina & ferro. Arcem, quæ fuit in Narthau obſedit per octiduum, præſidiarijs extorſit deditionem, & arcem exuſſit.

Die 19. Iunij ad ipſum oppidum Guram factum eſt paruum prælium, vbi tanta fuit alacritas Principis, vt in ipſum pontem inſiliret, & cepiſſet vrbem ea die, ſi Poloni maturè eum fuiſſent ſecuti. 23. Iunij Conradus Olſnicenſis ſanciuit inducias annuas inter Principem & Gurenſes. Captiui ſunt redditi vtrinq;. Non multo pòſt, cum exiſtimaretur eſſe debellatum, maior confuſio eſt ſecuta.

Gurenſe bellum ſedatur.

Senſerat Iohannes veniſſe fulmen ex aula, ideo cœpit ſe communire contra Regem. Poſtulauit à ciuitate, vt conſcriberet expecunia ſua pedites quingentos, extorſit trecentos, atq; rurſus graui exactione onerati ſunt homines. Poſtulauit etiam à nobilitate, vt eſſet in procinctu, & cum non impetraret quod vellet, nobiles viros 19. coniecit in turrim. Vltimo Iulij legatus Regius Vratislauiæ mandauit ex Imperio Mathiæ toti Sileſiæ, vt Iohanni eriperent ducatum, eumq; captum & vinctum in Pannoniam mitterent.

Mathias iraſcitur Iohanni.

Ordines Iohannem monuerunt de ſuo periculo, & legatum Regium exorarunt, vt paulum rem differret. 12. Auguſti fuit conuentus Parchenicij in oppido agri Lignicenſis, ibi Iohannes Varadienſis, vt parceret afflicto ducatui Glogouienſi, largitus eſt pacem Iohanni ad vnum annum, vt interea culpam ſuam apud Regem poſſet deprecari, & quærere reconciliationem. Sed pacem penè turbaſſent ſtipendiarij Iohannis, qui apud legatum queſti fuerunt, quod ipſis non ſoluerentur promiſſa ſtipendia.

Tandem onera incubuerunt in miſeros ſubditos. Nam 14. Septembris Freiſtadij in conuentu nobilitas & ciuitates fidem ſuam pro illo debito interpoſuerunt, profeſſi ſunt hoc apud legatum Vratislauiæ, & coacti ſunt ſoluere ſequenti anno. Redundauit autem malum in ciuitates, quia à nobilitate parum potuit extorqueri.

Iohannes contutit grauiter ſuos ſubditos.

Marga-

Margarita Cilienſis, conſumta dolore animi & ærumnis obſidionis, Guræ mortua eſt die Magdalenæ, ſepulta eſt in templo collegij Glogouienſis, vbi ante annos vndecim ſibi curauerat extrui ſepulchrum. Anno 1481. ſæpe legati Regij egerunt cum Iohanne de reconciliatione, ſed non potuerunt conuenire.

Margarita Cilienſis moritur.

Tandem igitur perſuaſus à Georgio Stenio miſit ad regem, ſuum Opicium & ſcribam ciuitatis, Iohannem Keppelium, quem tunc magnificiebat, illi exorarunt regem, & die S. Laurentij renunciarunt ſuo Principi, recipi ipſum in gratiam à Rege. Ideo proximo die Dominico poſt, publicè in templis & in arce Glogouiæ fuit excitata lætitia cantu & ignibus. Poſtea rurſus emunxit ſuos, vt poſſet ſoluere ſuis latronibus, & circa Martiniana coëgit nobilitatem & ciuitates fideiubere pro aureis Hungaricis 12000.

Iohannes recipitur in gratiam à Mathia.

Anno proximo poſt die Iunij 18. venit Glogouiam cum mandatis Regijs Georgius Stenius, is renunciauit Iohannem publicè dominum ducatus Glogouienſis, nempe vrbium Glogouiæ, Freiſtadij, Sprottæ, Grumbergæ, Suibuſij & Zulchij. Sed ipſe Princeps & omnes ordines iuramento ſe deuinxerunt Regi, ſi Iohannes decederet ſine liberis maſculis, omnem ditionem immediatè futuram ſub imperio Regis.

Ita Glogouia poſt annos ferme 20. rurſus peruenit ſub vnum Principem. Annitente deinde Georgio Stenio, ſedatum eſt etiam bellum Marchicum die 16. Septembris Camencij, vbi fuerunt vnà Principum Saxoniæ fratrum, & Electoris Brandeburgici Conſiliarij, Princeps Iohannes & Georgius Stenius.

Glogouia redit ad imperium unius domini.

Tranſactum eſt hoc modo: Iohannes reſignauit in manus Regis oppida, Zulchium, Croſnam, Sommerfeldium, & Boberoſpergam, illa Georgius nomine Regis, vt quidem inuenio in vetuſtis chartis, pro dotalicio Barbaræ viduæ, quod fuit 50000. aureorum tanquam hypothecam tradidit Marchioni. Die deinde Dominico, qui fuit 13. Octobris, in omnibus ciuitatibus cantu publico Deo ſunt actæ gratiæ pro concordia. Sed oppidi Croſnæ eadem æſtate miſera fuit fortuna.

Iohannes Glogouienſis trãſigit cũ Marchione.

Nam 27. Iulij vniuerſum conflagrauit, ita vt ne vna quidem reliqua eſſet domus: conciderunt cellæ ſubterraneæ, & plurimi homines omnis ætatis interierunt, templum etiam oppidi corruit, ſed conclaue ſupellectilis ſacræ, quod mirum eſt, fuit ſeruatum, reſtincto igne ſanguine vituli, qui ſubito fuit iugulatus, fortaſſis vt eo caſu præmonerentur omnes, in publicis & fatalibus pœnis mitigari calamitates, & ſeruari aliquas reliquias, propter interceſſionem filij, qui eſt victima, cuius ſanguis ex terra clamat in cœlum, ſicut ſanguis iuſti Abel, & placat iram æterni patris, ne totum genus humanum redigatur ad nihilum. Quomodo fuerit excitatum incendium, nunquam potuit cognoſci.

Croſnæ miſerabilis conflagratio.

Editum

Editum est aliud memorabile exemplum in familia nobili eodem anno. Erant Tsabelij viri nobiles, domini Vuartembergæ, & vicini territorij Contupensis, quod longum tractum complectitur in ripa Viadri Aquilonari. Erant fratres tres: Caspar, Bruno & Christophorus. Nec erat familia potentior & ditior in hoc ducatu. Ex fratribus Caspar erat magister equitum in aula Principis Iohannis.

Tsabeliæ nobilis familiæ interitus.

Die vero 21. Octobris, qui appellationem eo anno habebat à Luna, vbi ex consuetudine agrestes in vrbem conueniunt ad forum, ministri ciuitatis, ita mandante Rege Mathia, armati ex mensa captiuos abduxerunt Casparum & Brunonem, illum in curiam vrbanam, hunc in turrim. Portæ ciuitatis euestigio clausæ sunt, nec vlli hominum patuerunt.

Interea properauit cum paucis familiaribus Freistadium Princeps, armauit ibi viros ducentos, venit Vuartembergam hora noctis secunda, ibiq; oppressit fratrem tertium Christophorum, quem captiuum misit Freistadium. Eadem nocte occupauit arcem Contupensem: Postridie Vuarteberga & omnes pagi nobilium illorum iurarunt in verba Principis.

Deinde in arcibus quæsiuit prædam, quam congessisse dicebantur ex latrocinijs, inuenerunt merces omnis generis, pannos intertextos auro, sericum diuersæ formæ, aromata copiosa, margaritas, deinde merces iocularias, grande vas nouacularum, præterea pelles Sabellinas & alias: ex istis multa misit Glogouiam, vbi hora secunda noctis Caspar capite truncatus est, die 23. Octobris Bruno eodem fuit affectus supplicio. Tertius frater Christophorus in turri Freistadiensi fame perijt.

Confessi sunt, sicut scribitur, quod agitassent consilia de Principe tradendo hostibus. Tam funestum exitium habuit dignitas huius familiæ. Annus 1483. fuit luctuosus his ciuitatibus, quæ cum respirare debuissent ex bellis tot annorum, subito oppressæ sunt, primum magna annonæ caritate, quam auxit turbatio propter monetam, cum princeps seuerè iuberet tantum valere monetam Vratislauiensem. Inediam secuta fuit pestilentia atrocissima, quæ magnam partem populi absumsit.

Annonæ caritas & pestilentia in ducatu Glogouiensi.

Sequenti anno mediocria fuerunt halcyonia. Iohannes filiam natu maximam nuptum tradidit in Pannoniam cum magna pompa. Anno 1486. 18. Maij Saganum vniuersum incendio perijt, unà cum omnibus templis & monasterijs. Glogouiæ princeps arcem munijt, excitata fossa, compulit omnes agrestes ex territorio Glogouiensi in vrbem, eosq; coegit vt laborarent ad ipsam hyemem vsq;.

Saganum incendio perit.

Mense Ianuario anni 1487. Salome filia Iohannis desponsata fuit Alberto Monsterbergensi, Henrici filio: Glogouiæ fuit pompa nuptialis. Sponsa nondum egressa erat annum ætatis duodecimum:

Glogouiensis arx munitur.

mum: coniugium dilatum est in annum secundum pòst. Promisit dotem filiæ 6000. aureorum, quos in se receperunt ordines.

Autumno tamen anni eiusdem nouam eos postulauit pecuniam, qui cum humilimo sermone suam testarentur inopiam, tamen tyrannicis comminationibus territi, coacti sunt facere quod volebat Princeps, cui promiserunt aureos 18000. Simulabat se redemturum ea summa bona sua, quæ partim erant oppignorata, Sed ipse parabat sibi subsidium ad bellum contra Regem.

BELLVM GLOGOVIENSE.

ORdior narrationem belli non maximi quidem, sed valde tristis & exitiosi nostræ patriæ, & maioribus nostris, qui concussi fuerunt continua mole ærumnarum multorum annorum, quem catalogum miseriarum, vbi legit posteritas, grata mente prædicet Dei bonitatem, qui hactenus nobis pepercit, ne inuolueremur tam tragicis calamitatibus, & oremus Deum, vt porro nos suo auxilio tegat propter Filium, qui est vmbraculum, ne ira Dei totum genus humanum absorbeat.

Suauis erit hæc lectio nostris popularibus, etsi exteros historia rerum non celeberrimarum frigidius afficit. Et debemus hanc gratiam patriæ, vt in perpetua memoria vices, quas ipsa sustinuit, conseruemus, & inde exempla virtutum & modestiæ in tota vita petamus: sicut sapientissimus inter omnes historicos, Thucydides narrationibus suis hanc præfixit commonefactionem: Historiam esse thesaurum vitæ, non tantum declamationem ad delectationem scriptam. Annotabo igitur seriem omnium rerum, quæ memoria dignæ sunt.

Dominabatur annos quatuordecim in hoc ducatu Iohannes Saganensis, varia cum fortuna, quam tamen mores sui ipsi fermè fingebant, & exhauriebat hanc suam ditionem perpetuis penè bellis, latrociniis & exactionibus, ita vt omnes ciues, supplices palmas Deo porrigerent, & peterent liberationem.

Secuta est igitur fatalis mutatio. Nam, sicut Stesichorus eruditè scripsit: Cicadas in campis sonare Tyrannorum scelera, & petere vindictam à Deo: ita Deus audijt gemitus miseræ & rusticæ plebis, & Tyrannum ex regno suo deturbari voluit, etsi prius hæc ditio asperè fuit quassata. *Tyrannis mutat imperia.*

Statuebat Rex Mathias in hunc Ducatum collocare filium suum nothum, Iohannem Coruinum. Ideo non aliter pacem largitus fuerat Iohanni, quàm hac conditione, vt post mortem ipsius ducatus rediret in manus Regis, & ante sexennium omnes ordines in verba Regis iurauerant. Tulerat hoc ægerrimè Iohannes, tamen obsecutus tempori aliquamdiu quieuit.

Interea subinde circumspiciebat, quomodo hoc iugum posset excutere, & ducatum transferre ad filias suas. Quærebat igitur illis maritos potentes opibus & armis, qui possent sustinere iram Mathiæ, atq; conuertit se ad Henricum Monsterbergensem, Principem florentem non solum potentia, sed etiam autoritate apud Regem suum Vladislaum, quem totum solus possidebat, & iudicabatur nutu suo armare posse Bohemiam. Deinde sciebat Reges Poloniæ, Bohemiæ & vniuersam Germaniam vnà cum Cæsare agitare bellum contra Mathiam.

Sperabat igitur Regem, distractum tot curis bellicis, non respecturum ad exiguam hanc ditionem, nec Pannoniam spoliaturum exercitu. Deniq; animabant eum priores successus, quod inuito Rege Margaritam Ciliensem eieciſſet, & tamen pacem impetrasset.

Opicius Colo accendit bellum Glogouiense.

Horum consiliorum autem, quæ Principem & populum euerterunt, architectus fuit Cancellarius Opicius, sacerdos vafer & iniustus. Nam in ipso Principe potius erat rustica quædam ferocia, quàm magna callíditas, ita vt hoc exemplum etiam doceat iniustam πολυπραγμοσύνω, & ambitionem sacerdotum semper fuisse exitiosam Rebuspublicis & regnis. Exitus enim prorsus congruit ad has Regulas: Ἐιμαρμένον γὰρ τῶν κακῶν βουλευμάτων, κακὰς ἀποίσας ἐστὶν κατασκευὰς βροτοῖς.

Iohannes Glogouiensis parat nuptias filiabus suis.

Ineunte anno 1488. vocati sunt ad nuptias Glogouiam Principes, & simul conscripti eò ordines, quos armis terrere volebat, vt facerent imperata. Venerunt Glogouiam die Epiphaniorum, qui tunc erat Dominicus, Henricus Monsterbergensis, & tres filij eius, Albertus, Georgius & Carolus, præterea Dominus Rosenbergius, natus ex filia Henrici Freistadiensis, & plures alij Bohemi, traxerunt secum equites 150. Excepti sunt à Principe honorificè, data illis cœna hora tertia noctis: Præses senatus Collegij, quem nominant Præpositum, ex ritu sacro connubia sanxit.

Henricus Monsterbergensis uenit Glogoulam.

Alberto iuncta est Salome, Georgio Heduigis, Carolo Anna. Postridie fuit apparata in sacello arcis theatrica missa, ea peracta, cum omnes expectarent epulas, Iohannes tragœdiam exorsus est, quæ ditionem hanc cruore & cæde repleuit. Vocauit ordines nobilitatis & ciuitatum in atrium, locutus est de suo iure, conquestus est præteritas esse filias suas iniquè à Rege, qui patrimonium ipsis eriperet: postulauit igitur, vt moti his causis iuramentum præstarent Principibus Monsterbergensibus, illisq; post mortem suam parerent.

Nouum hoc erat omnibus, & quia ante sexennium obstricti erant iuramento Regi, re deliberata, nobilitas & ciuitates vno consensu responderunt: Futuros sese in potestate sui Domini, quocunque tempore, modo Princeps hac in re ipsis parceret. Non enim

posse

posse ipsos discedere à pactis initis cum Rege Mathia. Supplices etiam rogarunt Principem, vt consideratione tantorum malorum, quæ paulò pòst essent secutura, sententiam mutaret.

Disceptatum fuit ea die vsq; ad horam secundam noctis, & acerbæ epulæ conuiuis appositæ sunt. Sequenti die vocauit in curiam multitudinem vrbanam, concionatus est ibi de suo iure vsq; ad horam 22. sed frustra: Laborauit deinde per suos singulis diebus, donec ordines, metuentes vim, in consilium venerunt armati.

Tunc die Sabbati, qui erat 12. Ianuarij, Henricus cum omnibus suis discessit. Tandem Princeps conatus est per Senatores aliquos, sibi addictos, populum mouere, vt iurarent, & iactatum fuit, consulem vrbis, Iohannem Keppelium, cuius opera Princeps prius in magnis rebus vsus fuerat, fecisse ipsi aliquam spem populi flectendi. Sed omnia frustra sunt tentata, cum præ oculis versaretur ira Regia. Ciues tamen, ne viderentur reluctari ex contumacia, responderunt, iuraturos se, si prius hoc fecissent nobiles, quorum potior est conditio & locus. Sed Princeps dicebat, si modo obedientem haberet ciuitatem, facile se nobilitatem armis coacturum, vt pareret.

Cum igitur non obtineret, quod volebat, vim meditabatur, & 27. Ianuarij denunciauit Senatui collegij, vt res pretiosas Ecclesiæ collocaret in tutum, imminere enim nouos motus. 4. autem Februarij coniugem & filias vnà cum præcipua supellectile Suibusium misit: quia præ se ferebat, Senatum concitare sibi seditionem, ciuibus edictum proposuit, ne quis rerum suarum aliquid ex vrbe exportaret, quod magnos fletus in promiscua multitudine mulierum excitauit. *Iohannes Senatum Glogouiensem insimulat seditionis.*

Subinde Princeps interea à nobilitate conabatur extorquere iuramentum, & die Sexto Februarij in arce præcipuos ex nobilitate ita exagitauit, vt Iohannes Crecouicius à Vircheuicio, vir optimus & carus omnibus, ex animi anxietate phrenitide corriperetur, ex qua duodecimo die post mortuus est.

Postridie venit Bregam, in pagum Glogouiæ vicinum, Comes Crossicensis cum comitatu equitum centum, qui putabatur opem laturus esse Iohanni, sed tamen nulla re perfecta abijt. Magnum capiebant dolorem ex illa vesania Iohannis Silesij Principes. Ideo Fridericus Lignicensis, qui cum imperio Regio præerat Silesiæ, vt maturè turbis illis mederetur, ad diem 10. Februarij conuentum indixerat Lignicij.

Venerunt eò Episcopus Iohannes, Georgius Stenius & alij: Sed Iohannes pertinaciter omnem tractationem pacis reiecit. Quia iam resciuerat, generum suum Georgium Monsterbergensem, collecta manu militum Bohemorum Silesiam attigisse, & peruenerat *Georgius Monsterbergensis profligatur in ducatu Suidnicensi.*

nerat ille quidem his ipsis diebus vsq; ad oppidulum Schönau, prope Goltpergam.

Sed Fridericus Lignicensis subitò euocauit suam nobilitatem, armauit etiam suos homines Vlricus Gotschius, illi Bohemos numero 1500. adorti sunt, eosq; ita terruerunt, vt potestati Principis se permitterent, & sponsione facta, quod Silesia excedere, nec militare vellent Iohanni Glogouiensi, dimissi sunt. Ipsi autem Georgio permissum est, vt comitatu equitum 45. ad socerum proficisceretur. Fuit hoc Februarij die nono. Ex Bohemis multi frigore in agris extincti sunt.

Iohannes cum comitatu suo aulico progressus erat Sprottam, vt generum cum exercitu exciperet, sed ibi accepit nuncium de dissipatione suorum. Fremens igitur domum reuersus est. Georgius ad coniugem suam Suibusium profectus est.

Fridericus Lignicensis & Episcopus, cum putarent Iohannem spiritus suos post tantam cladem remissurum, miserunt legatos, qui eum diligenter ad pacem hortati sunt: proposuerunt, cogitaret conatum esse similem insaniæ, velle præliari cum Rege potentia & fortuna excellentissimo Mathia: parceret igitur sibi suisq;, & tandem resipisceret, sese Regem omni arte placaturos.

Opolienses Principes negant auxilia Iohanni Glogouiensi.

Non audijt Iohannes, sed cum de dolo & fraude Georgij Stenij esset prolixè conquestus, legatos re infecta domum remisit. Suum autem idolum Opicium misit ad Principes Opolienses, quos Mathias etiam recens mulctauerat, eosq; ad belli societatem pertrahere nitebatur: Sed illi rectius sapuerunt, neq; malum malo medicari voluerunt. Opicium vacuum dimiserunt, qui in itinere penè interceptus esset ab equitibus Pannonicis.

Mathias Rex mittit exercitum in Silesiam aduersus Iohannem Glogouiensem.

Interea nunciatur multorum sermonibus & scriptionibus, Mathiam Regem, irritatum audacia & perfidia Iohannis, mittere exercitum ex Pannonia, cuius ductor præcipuus esset Tetaurus, rei bellicæ imprimis peritus. Nam & Rex ægre ferebat, tam superbè à suo cliente, quem ipse ditauerat, sese contemni, & metuebat, ne suo exemplo Principes Germaniæ ad bellum concitaret.

Iohannes munit Glogouiam ad toleran dam obsidionem.

Iohannes nihil motus ea fama, cum semel fortunam suam & aleam belli periclitari decreuisset, vocauit suam nobilitatem in arcem, ab illis obtinuit, vt suo sumtu militem alerent præsidiarium, & annonam in arcem importarent. Instituta fuit talis ratio: Qui singulos equos Principi in vsus bellicos debebant, alebant binos pedites, pendebant medimnos olyræ senos, singulos medimnos piforum, salis medimnum medium, præterea carnes salitas & duratas fumo, caseos, butyrum & similia.

Vt

Vt autem aliqua simulatione retardaret impetum regiorum, ijsdem diebus edidit scriptum, quod publicè affixit Vratislauiæ, & alibi, in quo profitebatur, nunquam à suis ordinibus se iuramentum fidelitatis pro generis petiuisse, & minis adduxit aliquos ex ciuitatibus & nobilitate, vt sigilla sua imprimerent. Meliores tamen constanter hoc negauerunt.

Monasterium Bernhardinorum ad arcem destruitur.

Extruxerat Margarita Cilien sis Monachis instituti Bernhardini monasterium in suburbio prope arcem ad Viadri ripam, & erat adiunctus hortus consitus multis egregijs arboribus: quia verò illud ædificium tempore obsidionis poterat esse detrimentosum arci, totum monasterium Princeps funditus demolitus est: Monachis verò donauit nouum domicilium in horto suo suburbano ad orientem, vbi deinde habitarunt.

Bohemis, qui à Friderico Lignicense superiori mense fuerant dissipati, impetrauit transitum per Misniam ab Alberto Misnense, qui exercebat inimicitias cum Mathia, & Sprottam vsq; ipsis obuiam profectus est. Adduxit eos Glogouiam 8. Martij, qui tunc erat dies Sabbati, antecedens diem Dominicum, quem Ecclesia nominat, Oculi. Distributi erant in quatuor signa, erant numero 1000. instructi armis idoneis.

Iohannes munit Glogouiam præsidio Bohemico.

Transierunt per arcem in aream fori ad curiam circa meridiem: fuit ibi præsto Princeps, cui nunc erat oblata occasio sæuiendi in miseram vrbem: pro certò relatum est, statuisse illum ex suo furore ejcere ex vrbe omnes ciues, & in vacuas domos collocare Bohemos scelerum suorum ministros. Sed hæc consilia insana dissuasit ipse præfectus Bohemorum, vir non malus, Naslouius.

Iohãnes atrociter sæuit in Senatum & magistratum Glogouiense.

Vocauit in curiam omnem magistratum vrbis, Senatum, assessores iudiciorum & tribunos opificum, ibi in foro ad populum atroci oratione senatum accusauit, quod seditionem ipsi concitassent inter suos, quòd fidem datam fregissent, ipsum ad Regem essent criminati, & hostem in Silesiam attraxissent.

His dictis, cum ipsi parati essent ad reddendam rationem consiliorum suorũ, reiecti sunt, & captiui facti vniuersi, causa nunquam cognita. Claues ciuitatis senatui eripuit, curiam spoliauit, ademit ciuitati literas, continentes antiqua iura & immunitates, ærarium expilauit, pagos & bona ciuitatis fisco suo adiudicauit.

In turrim arcis tetram coniecti sunt Senatores fide erga suum Regem & virtute præstantes, quorum nomina sunt ista: Iohannes Keppelius, qui antea fuerat carissimus Principi, Mathias Kelnerus, Caspar Tonsor, Iohannes Pruferus, Antonius Knapius, Bernhardinus Dreissmarchius, & Nicolaus Kunzelius. Iudices vrbanos & tribunos in turres vrbis inclusit eosq; vinctos seruauit in tertium diem vsq;, tunc emissi sunt, cùm iurassent ipsi fidelitatem, & omnibus bonis, quæ Princeps, ciuitati abstulerat, renunciassent: seruati

tamen sunt in carcere duo, Christophorus Lursius, qui tandem e⸗ missus fuit, & Nicolaus Fisch, qui fuit necatus fame. De exitu alio⸗ rum suo ordine plura dicemus.

Iohannis scurrilitas cum legeret nouum senatum.

Postridie in curia ex plebe legit nouum senatum homines he⸗ betes & improbos, qui sub iuramento Principi cesserunt de omni⸗ bus bonis Reipublicæ, claues ciuitatis tradidit capitaneo Bohemo⸗ rum. Memoria proditum est, cum senatum recentem ex fece illa plebis legeret, vocatum fuisse cerdonem prodigiosæ staturæ, quem Princeps renunciauit consulem, is cum diceret, minimè se ad geren⸗ dum tale officium esse idoneum, subiecit Princeps: Equidem tales quæro: nam priores nebulones astutiores erant quam volebam.

Ita quidem tunc sæuijt & lusit Tyrannus. 15. Martij ex ciuita⸗ te relegauit Christophorum Lursium & coniugem Keppelij fœmi⸗ nam primariam. Freistadij proscripsit Iohannem Scultetum, & Nicolaum Bergmannum. Bohemi graues erant inquilini ciuitati, grassabantur pro suo arbitrio, & silebant omnes leges in vrbe. 24. Martij redijt Suibusio in vrbem coniunx Ducis cum Gynecæo ma⸗ gna cum lætitia, quæ tamen ipsis non fuit diuturna.

Septimo Aprilis, qui tunc erat dies secundus festiuitatis in Paschatæ, Princeps senatui sacerdotum mandauit, vt collegium præsidio suo sumtu munirent, & propugnacula idoneis in locis ex⸗ truerent. Die sequenti fuit ἐξέτασις militiæ in vrbe. Inspexit enim Princeps in campo omnes, qui poterant gestare arma. Ciues Glo⸗ gouienses numero Bohemos superarunt, sed armis similibus instru⸗ cti non erant.

Peruenerat Tetaurus in Silesiam, & castra ad Nouoforum locauerat, ducebat secum exercitum 3500. collectum ex legione ni⸗ gra Pannonica, ex Rascijs & Triballis, sed illud agmen subinde accessione nouorum militum, à Rege augebatur. Mandabat Te⸗ taurus toti Silesiæ, vt eucstigio in castra milites ex vsitata formula mitterent. Sed Fridericus Lignicensis & Episcopus diligenter la⸗ borabant de pace, & sperabant Iohannem Principem rediturum ad mentem meliorem. Placuit tamen, vt ex propinquo illi ostende⸗ retur periculum.

Accessit Tetaurus Stinauiam, miserunt eo militem Principes & ciuitates Silesiæ superioris: hæserunt ibi in tertiam septimanam vsque, quia expectabant auxilia ciuitatum Lusaticarum, & omnes abhorrebant à bello. 12. Aprilis Tyrannus vrbe eiecit coniuges & liberos illorum, qui erant captiui.

Glogouiæ suburbia exuruntur à Iohãne.

Calendis Maij, cum præuideret vicinam obsidionem, subur⸗ bium Prosthicense inflammauit, exussit domos, horrea, excidit ar⸗ bores in hortis: Postridie Bohemi, qui erant Hussitici, templum Cruciferorum euerterunt, sacras vestes induerunt, & imagines per ludibrium in foro vrbis gestarunt.

Quarto

Quarto Maij, qui tunc incidebat in eam dominicam, quam vetuſtas nominauit Cantate, exoratus eſt Iohannes precibus Sileſiorum, vt veniret ad conuentum in pagum ſuum Hohekirch. Excepit Principes & Legatos magnifico conuiuio. Erant ibi Tetaurus, Georgius Stenius, legati ciuitatum Vratislauiæ & aliarum.

Propoſuit Tetaurus, & prolixa oratione Iohannem ad pacem hortatus eſt, denuncians illi mala, quæ paſſurus eſſet, ſi pugnare pergeret cum tanto Rege. Tandem re diu diſceptata, Tetaurus dixit: Iohannes Princeps, vide quàm tibi tuiſq; velim bene, proficiſcere mecum ad Regem, ſpondeo tibi fidem publicam ſine dolo & fraude, promitto etiam, meos milites non venturos interea temporis in tuam ditionem. Apud Regem vero certo tibi veniam & gratiam impetrabo, taliaq; commoda, quæ tu nunquam potuiſti ſperare.

Iohannis ſcurrilitas in colloquio publico.

Iohannes, quem conſiliarij ex ſtulto inſanum faciebant, ſcurrili ſermone omnia reijciebat. Suſpexit in cœlum atque dixit: Agite, videtis me conſenuiſſe, & ad longa itinera ineptum eſſe, rupti mihi ſunt ramices, & longè propendet ſcrotum, non videbo ego Hungariam.

Iohanni indicitur bellum ab ordinibus Sileſiæ.

Offenſi tanta ſcurrilitate Regij, eueſtigio conſurrexerunt, & in caſtra reuerſi ſunt. 9. Maij Tetaurus & tota Sileſia furioſo Principi bellum ſcripto indixerunt. Eodem die deceſſit Lignicij Fridericus Princeps, anno ætatis 40. de quo ea fuit opinio, quod ſi vixiſſet, & collecto iam exercitu, præſens cum Iohanne colloqui potuiſſet, hoc bellum non fuiſſe futurum.

Fridericus Primus Lignicenſis moritur.

Sequenti die Dominico antecurſores Pannonij & Germani ciuitati ſe oſtenderunt. Emiſſi ſunt equites ex vrbe, qui fortunam experirentur, ſed nullus fuit ſucceſſus: duo ex vrbe vulnerati ſunt. Interea Iohannes bellum gerebat cum ſuis ſuburbijs, eoq; die exuſſit reliqua ædificia ſuburbana, templa, noſocomia, molas & omnes villas.

Glogouienſis obſidionis initium.

Poſtridie, qui erat 12. Maij, exercitus Regius ad vrbem acceſſit: caſtra poſita ſunt in plaga orientali, ad pagos, Naſteuicium, Schropium & Zarcouium. Gerebant autem bellum mite, quia ſperabant Principem, agnita ſua temeritate, adhuc inſaniam ſuam mutaturum.

Tantum igitur ciuitati intercludebant commeatum, & his primis diebus prope Zarcouium conſtruxerunt pontem ſuper Viadrum, vnde & annonam importabant in caſtra, & prohibebant ne ex Polonia comeatus in vrbem aduecheretur. Bohemi præſidiarij egreſſi ſpoliarunt omnes domos collegij, & proximam plateam lapideam: Princeps, vt præcaueret occaſionem motuum, die 13. Maij propoſuit edictum, ne amplius campanæ ſacræ, aut horologiorum ſonarent.

Calendis Iunij, qui fuit dies Sanctæ Trinitati, Iohannes Glogouia eduxit equites 130. transiuit Freistadium, infudit se in agrum Sorauiensem, abegit aliquot armenta pecorum, & cum diceretur adducturus esse octo millia equitum, reuersus est. 5. Iulij, qui fuit dies profanationis sanctæ Cœnæ, comitati eum sunt 260. pedites Austriaci, qui ad ipsum peruenerant ex Misnia.

Iohannes adducit Glogouiam milites Austriacos.

Die Iunij septimo venerunt in castra Regia milites 4000. missi à Rege ex legione nigra: quia Matthias audiuerat arma parari in Bohemia, fuerunt inter illos sclopetarij 400. His copijs auctus Tetaurus cœpit cogitare, quomodo Iohanni detraheret collegium. Nocte, quæ secuta fuit diem Iunij vndecimum, Regij magno labore excitarunt castellum ad ripam fluminis prope collegium, vt inde posset fieri oppugnatio. Explosa fuerunt quidem tormenta creberrimè ista nocte à præsidiarijs collegij, sed Regij non sunt deterriti.

Iohannes inprospere dimicat cum Tetauro.

Die sequenti Iohannes, cùm desperasset de collegij defensione, statuit aliquid audere. Circa meridiem emisit Bohemos, qui inflammarunt ædes & ædificia omnia collegij. Excitato iam incendio, ipse collectis copijs erupit ex vrbe, milites, qui erant in propugnaculo recenti, penè incautos oppressisset, accessit ad ipsum vallum & abduxit duo tormenta, quorum alterum fuit Vratislauienses, alterum Budissinense, in vrbem, quæ demum finito bello fuerunt reddita. Hoc vbi resciuit Tetaurus, subitò suis submisit auxilia.

Constiterant primo loco Glogouienses, deinde Bohemi, postremo agrestes, & quamuis fortiter præliati sunt, tamen multitudine & violentia tormentorum sunt superati ei repulsi. Capti sunt ciues 15. Bohemi 40. ceciderunt 17. qui postridie, cum essent induciæ, sunt sepulti. Redeuntibus oppidanis in vrbem, totum collegium vnà cum suis templis arsit, similiter platea lapidea & area piscatorum.

Glogouia obsessa aluit multa sacerdotes.

Irruerunt eadem hora in collegium hostes, milites Vratislauienſium, primo, postea Episcopi & alij, qui non modo domos, sed etiam templa spoliarunt, rapuerunt omnia ornamenta, libros & aliam supellectilem sacram. Sacerdotes dissipati sunt, & multi in vrbem fugerunt. Fuerunt in vrbe tempore obsidionis sacerdotes septuaginta, inter quos fuit Iohannes Dobergastius Freistadiensis. Nobiles verò viginti septem.

Georgius Monsterbergensis fuit Glogouiæ tempore obsidionis.

Decimoquarto Iunij Princeps vocauit in curiam ciues & milites, illisq; constituit capitaneos, summum imperium traditum est Georgio Principis genero, sed interea pro suo arbitrio omnia gubernauit, & promiscuè sæuijt Opicius Colo.

His ita constitutis, Princeps obsessos impleuit magnificis promissis, pollicitus est, nunquam se deserturum istam ciuitatem, prius cerebrum & sanguinem suum effusurum, nunc verò egredi se, & ad

ductu-

ducturum exercitum 22000. qui iam appropinquaret,& breui castra regia dissipaturum. Ita quidem vrbem reliquit Iohannes, in quam deinde nunquam redijt.

Decimo sexto Iunij de nocte regij castra propius vrbem mouerunt: sed tamen eo die tormentis reiecti sunt. Ex vrbe aliquot equites emissi sunt,qui non bene rem gesserunt. Vicesimo primo Iunij,nocte regij cœperunt vrbem circumdare excitatis castellis ex ordine sex, ad portam Polonicam, in monte qui nomen habet ab hirundinibus, ad portam nosocomij,ad templum Diui Iohannis, ad portam Prosthicensem, & ad arcem, illa,cum abundarent multitudine,cito munierunt,vt tormentis peti non possent. *Iohannes Glogouiam deserit.*

Princeps tumultuariam manum militum collegerat ad Sprottam, & exspectabat Bohemicum exercitum,qui iam dicebatur aduentare: hisce vero diebus excursionem fecerat ad Boleslauiam, & vrbi rapuerat armenta, hoc fuit nunciatum obsessis ideo,vt viderentur bene sperare. Opicius 27. Iunij excitauit læticiam sonitu campanarum & cantu in templis.

Aegre tulerunt hoc regij,& nocte sequenti faces & globos ignitos in vrbem coniecerunt, sed tamen incendium nullum excitatum est. Moti illo periculo postridie Georgius Dux & Opicius circumierunt,& mandarunt ciuibus, vt ædibus vicinis muro detraherent tecta,nõ omnes tamen paruerunt. Venit ijsdem diebus in ciuitatem nobilis prædo Sueuus, missus à Principe, ex cuius denunciatione Opicius obsessis proposuit,consociasse arma in Mathiam,& mittere auxilia Iohanni, Reges Poloniæ & Bohemiæ, Principes Saxonicos & Marchionem, atq; ita regios non diu victuros. Ipse Sueuus triduo post,cum metueret suo corio,ex vrbe euasit.

Hoc tempore canales aquæductum incisi sunt ab hoste, & aqua intercepta ciuitati. Vltimo Iunij venerunt in castra equites Rascij octingenti. Ideo hoc bellum à rustica plebe nominatum fuit Rascianum. Calendis Iulij accesserunt ad Francostenum Bohemi 4500. qui excurrebant in vicinas oras,ad ipsa vsq; castra Glogouiensia. Decimo nono Iulij Tetaurus misit ex castris Rascios 1000. qui ad Suidniciam profecti sunt,vt expectarent motus Bohemorum. *Rascij uenerunt ad Glogouiam.*

Sexto Iulij in castra Regis venit multus peditatus,conscriptus in Austria & vicinis locis: triduo post eruperunt oppidani,verum iterum cum clade in vrbem compulsi sunt.

Die Diuæ Margaritæ, Opicius magno cum fastu adijt præcum vrbis,ostẽdit ipsi literas Principis,quibus nunciabat post quatriduum se affuturum cum exercitu 20000. Rursus igitur theatrica missa cum lætitia est decantata. Senatui autem mandauit, vt tentoria in forum collocaret,tormenta ante curiam duceret,legit etiam ex omni numero equites centum,pedites 200. qui veniente Principe facerent eruptionem,regiosq; ab vrbe fugarent.

Misit

Misit eodem die Princeps in vrbem virum quendam Alsenium, quem constituebat imperatorem supremum totius militiæ, sed Bohemi eum sunt aspernati. Naslauius in pomeria ciuitatis collocauit præsidia ex ciuibus & stipendariis ad subita pericula.

Prostha pagus exuritur.

Decimosexto Iunij stipendiarij ciuitatis excurrerunt, & vicinum pagum Prostham inflammarunt, totumq; exusserunt. Postridie castra Regia rursus aucta sunt accessione multorum militum pedestrium, qui literis scriptis bellum ciuitati indixerunt.

Die Peccatricis castra mutata sunt: exercitus commigrauit ad pagum Prostham versus plagam occidentalem, & in vicino agro vbiq; castra locata sunt. Eo in metu præsidiarij rursus fortunam suam experiri voluerunt, egressi vrbe conflixerunt cum turma hostili, interfectus fuit ex ciuitate quidam ciuis Sprottensis, multiq; vulnerati.

Postridie contracta fuit acrior dimicatio, vbi, cum oppidani timidius refugerent ad vrbem, Regij eos longius insecuti pene portam Prosthensem occupassent, accurrentibus tamen pluribus repulsi sunt. Interea fratres duces Monsterbergenses seniores, contracto vndiq; exercitu validissimo, equestri & pedestri, in Silesiam profecti sunt opem laturi Iohanni. Interuenientibus certis pactis per ducatum Suidnicensem transierunt ad Hannouiam vsq;.

Accurrit propere ex Hungaria Iohannes Hauguicius Baro Morauus, qui ex mandato Regis ducebat copias ex legione nigra: coniunxit is sibi equites Rascios missos â Tetauro, cui etiam nunciauit, vt aliquot expeditas cohortes sibi submitteret. Ipso veniente, subito nobilitatem Lignicensem armauit præfectus Ducatus Henricus Zedelicius.

Regij, etsi longe superabantur multitudine ab hostibus, adeo, vt annotatum sit singulis Silesijs fuisse rem cum denis Bohemis, (quod tamen ego non certo affirmo) statuerunt prælio decertare. Instruxit Hauguicius acies quinque, vt altera alteram releuaret. Rascijs locus pugnandi extra ordinem datus est: prælium commissum est 28. Iulij, quo die fuit æstus intolerabilis, in campis Hannouiensibus.

Impetum primum in hostem fecit equitatus Silesius, cui deinde opem tulere Rascij. Submissæ sunt sero re iam inclinata acies secunda, tertia & quarta: Legio nigra, quæ putabatur esse robur exercitus, non fuit educta ad prælium. Nam Hauguicius non existimabat hostes ita facile cessuros, ideo triarios illos retinebat in ordinibus, vt in subitis casibus alij haberent ad hos receptus.

Silesij ad Hannouiam profligant auxilia Iohannis Glogouiensis.

Sed Silesij terribili boatu tormentorum ita terruerunt Bohemos, vt hoste vix viso in fugam sese conijcerent: potuissent deleri omnes eo die, si Tetaurus misisset equitatum ex castris, sicut promiserat,

ſerat, qui ipſis iter Sprottam præcideret. Interfecta fuit ingens multitudo Bohemorum tormentis & gladijs Sileſiorum, reliqui receperunt ſe Sprottam ad Iohannem, qui non putauerat pugnam in illo loco futuram, ibi poſuerunt caſtra, eaq; munierunt.

Hauguicius reuerſus eſt Hannouiam, collegit ſuos, vt bellum vrgeret, ſed non multo pòſt cognitum eſt Bohemos Principes domum eſſe dilapſos, Iohannem vero retinuiſſe paucos aliquos, quos diſtribuiſſet in præſidia vicinarum vrbium, Freiſtadij, Suibuſij. Prælij fama cito Gloglouiam perlata eſt, ſpargebant Capitanei vrbis, Bohemos fuiſſe victores, ſed facile intellecta fuit vanitas. *Iohannis copiæ auxiliares dilabuntur.*

Quarto Auguſti, Hauguicius cum ſuis venit Glogouiam & auxit caſtra Regia.

In vrbe creſcebat difficultas victus, & Principe profligato ciues atq; ſtipendiarij ſpectabant ad deditionem. Opicius & Dux Georgius militem placarunt rapinis: paſſim enim ſpoliabant domos ciuium & ſacerdotum, atq; annonam diſtribuebant inter milites.

Viceſimo ſeptimo Julij de nocte Regij cœperunt conſtruere ſepem cum duplici foſſa, quæ totum ambitum vrbis cingebat ab vna ripa Viadri ad alteram: idoneis in locis conſtituerunt ſportas expletas arena. Intra octiduum totum opus perfecerunt, vrbemq; ita clauſerunt, vt ne canis quidem poſſet egredi.

Eodem die oppidani obſepſerunt portam Proſthenſem. Nam noſocomij portam ſub initium belli ſtatim clauſerant.

Die Baptiſtæ necati, conuenerunt in curia vrbana nobiles & ciues, conqueſti ſunt de miſerabili ſtatu rerum ſuarum, elegerunt Legatos tres, quos miſerunt ad Principem, iuſſi ſunt illi exponere calamitatem vrbis, extremas ærumnas obſidionis, & denunciare, non ſe amplius toleraturos obſidionem.

Vltimo Julij hoſtes tormenta grandia in locum munitum prope portam Proſthenſem collocarunt, multis ictibus pluſquam tertiam partem turris decuſſerunt, fregerunt ipſam portam, pontem & magnam muri partem: Turre nutante Bohemi conati ſunt eam funibus demoliri, & attrahere, vt verſus vrbem caderet, & quaſi nouum propugnaculum efficeret, ſed Germani, qui videbant rudera expletura eſſe foſſam ciuitatis, hoc impedierunt.

Etſi vero tormenta multa exploſa ſunt à Regijs, tamen de induſtria factum eſt, ne læderentur homines, quia omnes dolebant vicem ciuium, quos ſciebant oppreſſos eſſe à Bohemis, neq; plures quàm tres homines toto tempore obſidionis tormentis interfecti ſunt, infans, Bohemus & Faber ferrarius. *Glogouia habuit mites hoſtes.*

Quarto Septembris redierunt legati miſſi ad Principem, illos comitabatur Buſco, qui nominabatur pater Principis, quod eum geſtaret

gestassetex incendio Kiselienſi. Attulit is aliquantum numorum, vt ſtipendiarij retinerentur in officio, ciuibus autem nunciauit, Principem breui affuturum cum exercitu vniuerſo. Expectarent igitur adhuc ſeptimanas ſex,& viriliter agerent,ſe finito bello ſingulis ſatisfacturum pro damnis acceptis.

Ciues aperte reclamarunt, & teſtati ſunt,non ſe amplius expectaturos vnum diem. Nobiles & Capitanei tacuerunt. Hoc vbi fuit renunciatum Principi, inuenit rationem, qua ciues compeſceret. Octauo Septembris de nocte per flumen immiſit in vrbem milites 400. quos collegerat ex præſidijs vicinarum vrbium. Poſtridie Opicius, cui creuerat animus ex iſtis nouis auxilijs, cum Duce Georgio vocauit multitudinem in curiam, & multos volebat plectere, qui ſuaſerant deditionem. Mitigatus tamen fuit precibus ſuorum, pepercit multitudini, aliquos autem incluſit in carceres ad multos dies.

Octauo Septembris in caſtra Regia venerunt recentes milites, inter alias adducta fuit, bombarda Suidnicenſis, quam trahebant equi 32. caſtra propius vrbem tranſtulerunt: Tetaurus ab vna parte, Hauguicius ab altera,qui aduexerat bombardam,quam trahebant equi 40. Reuertebatur tunc is ab expugnatione arcis Hencedorffij, quam Iohannes munierat præſidio, ſed præſidiarij deſperantes de defenſione,ipſi arcem inflammarunt & dilapſi ſunt.

Decimo Septembris decretum eſt ex communi conſilio in vrbe,vt emitterent equos, quibus iam deficiebat pabulum. Emiſſi ſunt equi 300. quibus ſinguli inſidebant miniſtri, & iuſſi ſunt euadere per munitiones hoſtiles. Regij ſub auroram eos ſunt inſecuti,quoſdam retraxerunt ex fuga, cæteri euaſerunt.

Hiſce diebus ſine intermiſſione murus tormentis quatiebatur, & is ad plagam Auſtralem late proſtratus fuit. Die Mauricij turma quædam regiorum adhibitis ſcalis murum armati adorti ſunt cum truci clamore. Bohemi territi audacia hoſtis relicta cuſtodia ex porta Proſthenſi ad Cœmiterium Dominicanorum fugerunt, ſed Auſtriaci fortiter ſeſe hoſti oppoſuerunt. Iudicio tamen omnium ciuitas eo die capta fuiſſet, niſi Tetaurus & Hauguitius proprios ſuos milites graui cum imperio inuitos à muro reuocaſſent. Volebant enim parcere ciuitati innoxiæ.

Mandauit etiam, ne tormentis peteretur turris templi vrbani, ne videretur bellum gerere cum religione. Tanta quidem tunc fuit virtus & clementia in his ductoribus. Ex oppidanis aliquot eo die ſunt interfecti.

Secundo Octobris Princeps ad ripam Viadri miſerat boues ferme trecentos, vt paſceret ſuos obſeſſos, ſed hoſtis tota armenta intercepit, & oppidanos deluſit.

INTE-

INTERITVS SENATORVM GLOGOVIENSIVM.

SVperiori loco recitabam de carcere Senatus Glogouiensis, & tyrannide Principis Iohannis. Quia vero optimi viri circa hoc tempus anni necati inedia decesserunt, referam capita rerum ex scripto quodam, quod ipsi in turri confecerunt, eius hæc ferme est sententia.

Anno, inquiunt, 1488. octauo Martij, die Sabbati, qui antecedebat dominicam Oculi, Iohannes Princeps, notus ob enormem tyrannidem, qui fratrem suum Balthasarem fame necauerat, sorores suas in triste eiecerat exilium, Ducissam etiam Margaritam Glogouia per vim expulerat, nos miseros, qui tunc in senatum lecti eramus, captiuos statuit. *Glogouiensium senatorum scriptum in carcere.*

Confinxit in nos crimina atrocia, quasi Regi ipsum prodere decreuissemus, vrbem arcemq; in potestatem Regis tradere promisissemus, & præterea alia multa. Sed supremum numen testabitur de nostra innocentia, nos nihil tale vnquam conatos esse.

Petebamus vt in legitimo iudicio causa cognosceretur: verum irritæ fuerunt omnes preces. Furens ex ira, duci nos iussit in rotundam turrim arcis, carcerem tetrum & horribilem. Alius etiam vir bonus Nicolaus Fisch coniectus fuit in turrim Polonicam vrbis. Sedimus in eo squalore vsq; ad ferias lætissimi Paschatis, tunc ex instituto Christiano petebamus sanctam Christi cœnam, ea tamen miseris fuit denegata.

Hactenus etiam pauerant nos nostri ex vrbe, sed deinceps & hoc fuit edicto prohibitum: paruo spatio temporis largiti sunt nobis cibum aulicum bis singulis diebus, demum semel.

Cogitent verò pij & boni homines, qualis fuerit vita, quales ærumnæ & animi anxietates nostrum septem hoc tempore, posse-mus multa narrare, sed commendamus ista propitio Deo. Vixi-mus igitur vna vsq; ad diem Augusti 14. tunc vnus ex nostris Antonius Knappius extinctus est sine ceremonijs sacris, etsi & ipse & nos vna diligenter hoc petebamus. Ita quidem expirauit iste, serio dolens de suis peccatis, & magna pietate intuens misericordiam Dei, cui benefaciat Deus.

Post mortem istius grauia rursus passi sumus, obiecerunt nobis varia & dissimilia scelera, cum tamen teste Deo simus innocentes. Tandem cum nullam inuenirent causam, relicti sumus in carcere, alias quidem nos pascebant, alias cibum detrahebant.

Die natali Virginis dabant aliquid, deinde totum quatriduum nihil accepimus nec cibi nec potus: quilibet vero facile potest æstimare, hoc modo nos diu non fore superstites, postulauimus vsum sacramentorum Ecclesiæ, sed nihil impetrauimus. Nunc quidem

dem intelligimus nobis paratam esse crudelem & tristem necem, nisi quidem ope diuina mirabiliter sustentabimur.

Testamur autem publicè coram omnibus, quicunq; hoc scriptum lecturi sunt, aut audituri, cum arceamur ab vsu Sacramentorum Ecclesiæ, nihilominus nos decessuros in vera & sancta fide in Christum, & nos innocentes tam diris affici supplicijs, neq; aliquid in nobis residere culpæ, de qua Princeps nos accusauit in area fori ad curiam, & quotiescunq; ea in nos congerit crimina, equidem affirmamus nobis fieri iniuriam, & prouocamus ad Deum, & quidem Iohanni Principi nostro inclementi respondebimus coram iusto & tremendo tribunali Dei.

Neq; enim difficile est intellectu, siquidem conuincere nos potuisset legitimo modo, non tam crudeliter nos in hoc tetrum antrum detrusos enecaret: verum si in lucem producti fuissemus, procul dubio vidit, crudelitatem & iniusticiam suam omnes fuisse cognituros.

Cum igitur omnipotens Deus iuste hoc modo propter peccata nostra nos plectat, tolerabimus patienter & pie. Rogamus vero, vt propter infinitam suam misericordiam tribuat nobis vitæ exitum beatum. Atq; ita oramus omnes bonos, ad quos fama ista perueniet, vt de innocentia nostra testes sint, in gratiam nostri, vxorum & liberorum nostrorum.

Verè enim affirmare possumus, quod honeste & fideliter egerimus. Supplices etiam preces fundant ad Deum pro nobis miserrimis viris, vt per infinitam misericordiam & mortem suam nos consoletur in tantis ærumnis, largiatur nobis patientiam, & verum fidei robur vsq; ad finem vitæ, & ducat nos in vitam æternam.

Scripta sunt hæc inter dolores & cruciatus inenarrabiles die sexta post ferias Exaltationis Christianæ crucis, fuit vero is decimus nonus Septembris. Paulò pòst subiecit hæc: Fermè quatuordecim dies nihil cibi aut potus nobis dederunt, parcat illis & omnibus, qui hæc consilia cudunt, propitius Deus.

Die Sabbati post ferias Crucis venerunt, & Nicolaum Kunzelium ex quadam gratia abduxerunt ex turri, nos autem in eadem reliquerunt. Rursus petebamus vsum sacramentorum, sed responsi nihil tulimus, rogabamus ne paterentur ita miserabiliter nos perire, sed darent aliquid cibi: attulerunt tunc triginta paruos panes aulicos, duos cantharos impletos cereuisia, & cantharum aquæ: produximus ita vitam vsque ad diem tertium septimanæ, eo die tantum petiuimus potum, dederunt nobis cantharum, qui capiebat mensuras cereuisiæ decem: rursus ad diem Iouis vsq; quieuimus, ibi in maxima siti propter Deum & beatam ipsius matrem petebamus vnum potum aquæ, nihil obtinuimus. Cruciati igitur sumus siti inenarrabili, & scitote boni homines, grauius nos torqueri siti quam inedia.

Super-

Superuenit deinde nobilis dictus pater Principis, is claues turris ad se recepit & abijt. Relicti igitur sumus in carcere, Deus adsit nobis. Inter hos dolores, anxietates & ærumnas tristissimas, ego Iohannes Keppelius ista scripsi, & atramentum miscui ex fuligine, quam præbuit candela, quæ sit deinde futura nostra conditio, positum est in manu Dei, & in misericordia ipsius. Nam si nobis cibum & potum detrahunt, non diu viuemus: iuuet & seruet nos Deus.

Hæc quidem est scriptura captiuorum sane miserabilis, præsertim si legatur sermone patrio, qui ex vetusta simplicitate est admodum querulus & lugubris. Miretur sane quis, quomodo in pectus humanum cadere possit tanta rabies immanitatis, & certe talia corda efferantur, vt duriora fiant omnibus in Caucaso scopulis. Terreant igitur nos talia exempla, & cogitemus de potentia diaboli in impijs, sicut scriptum est: Intrauit in eum satanas.

Rursus etiam subeat animum nostrum cogitatio de ira Dei punientis tragica scelera tragicis exemplis, vt testantur dicta: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Visitat Deus iniquitatem patrum in tertiam & quartam generationem. Et manifestum est, multos potentes homines accersere suis familijs & posteritati longam telam tragicorum malorum.

Fuerunt ad ministri tyrannidis Principis præcipuè duo detestanda capita, Opicius, vir vere sacer scelere & immanitate. Deinde Buscus, quem Princeps vocabat patrem, quibus tamen etiam improbitas non fuit impunita. Nam Opicium exulem tota Silesia est execrata tanquam κάθαρμα, & commune piaculum: Alter autem, quod claues turris Glogouia abstulisset, Freistadij finito bello capitali supplicio affectus est. *Glogouienses senatores in turri arcis extinguũtur.*

Sub initium Octobris mortui sunt quatuor, Iohannes Keppelius, Mathias Kellerus, Iohannes Pruferus, & Caspar Tonsor. Scriptum est, eos in agone, vt leones horribili voce vlulasse, & frustra misericordiam hominum imploraſſe. Gestati sunt nudi, spoliati omnibus vestibus, quas habuerant in turri satis elegantes, impositi scalis, ad sepulturam in templum Dominicanorum quinto Octobris, qui erat Dominicus, hora quarta noctis, & sepulti sunt in ambitu Monasterij.

Triduo pòst septimo Octobris extinctus est etiam Bernhardinus Dreissimargius, quem exportarunt ad sepulturam amictum induſio, quod vix vmbilicum attingebat, sed concionator Monasterij eum vestijt & sepelijt honorifice. Nicolaus Kuntzelius, quem ex turri extraxerant, mortuus est 17. Octobris. Extincta est mœrere animi etiam Caſparis Tonſoris coniunx.

Edictum fuit, ne qua illorum mentio publice aut priuatim fieret, vt quasi memoria eorum vniuersa deleretur, sed longe aliter res cecidit. Nam vbi iusto Dei iudicio facta est rerum commutatio, sunt illis peractæ publice exequiæ, & vt extaret monumentum ad posteritatem, erectum est illis in primario templo vrbis Cenotaphion cum pictura, illicq; rudior illa ætas inscripsit hos versus:

Glogouiensibus senatoribus erigitur Cenotaphion.

Lector aue, lachrymanda leges, memoranda notatu,
Quæ peperit quondam liuor & ambitio.
Accurrunt tacite Princeps cum Principe, tandem
In Sleſiam, vt fundant intoleranda mala.
Inclytus Hungariæ vt nouit Rex rite Mathias,
Vallauit populo mœnia Glogouiæ.
Illico & iniuſte clauſit Ducis ira Iohannis
Carcere, conſilij quos habuere viros.
Ille cibum negat, his exhauſtis viribus heu mox,
Dira fames vitam ſoluit, & aſtra petunt.
Rem cape, mille, quadringent: octogint: ſimul octo,
Horum, qui legis hæc, dic miſerere Deus.

Freiſtadium incenditur à militibus præſidiarijs.

Decimo tertio Octobris fuit monomachia in campo ex pacto inter Bohemum oppidanum & Polonum hostem magnæ staturæ virum, Bohemus fuit victor. Dies 14. fuit fatalis Freistadio. Desperabat iam tyrannus de sua salute, nec poterat ex inopia pecuniæ Bohemos amplius alere & retinere in præsidijs. Fremens igitur ira paulò ante vesperam, quæ iam erat festiua propter memoriam Heduigis Silesiæ, cui dies sequens est dicatus, mandat præsidiarijs, vt sequenti nocte oppidum diuersis in locis incendant, rapiant quæ possent & abeant.

His mandatis datis, ipse monstrum hominis oppido excessit. Bohemi auari & crudeles paruerunt, hora quarta noctis vrbem inflammarunt, quæ tota incendio periit præter arcem, domum parœci, & scholam. Supellectilem, quam ciues exportabant ex flamma, abripiebant Bohemi, quorum erant 400. Tetaurus illis fide publica cauit, & permisit vt domum redirent. Arx fuit munita præsidio aliquot militum.

Circa hoc tempus inualescebat fames Glogouiæ. Nam prius mediocris fuerat rerum necessariarum copia. Scribunt vnum ouum emtum fuisse sex numulis, gallinam sex grossulis Silesijs, ternos medimnos auenæ singulis aureis Rhenensibus, quindecim caseolos sex cruciatis: Cereuisiæ maximum precium fuit in vas vna marca, hoc est, viginti quatuor grossi Albi: & dicitur ea fuisse proba: sed ad exitum Septembris non potuit amplius haberi.

Hisce

Hiſce etiam diebus Bohemi cœperunt mactare equos pro cibo, & rapiebant paſſim panem & potum tanquam latrones. Vagati ſunt ex illo victu inſalubri contagioſi morbi in ciuitate, & multi ex præſidiarijs extincti, & cadauera eorum abiecta hinc inde. Scribunt aliquos ex Bohemis mortuos fuiſſe in cœmiterio Dominicanorum ſepultos, aſtabat autem inter reliquos ſpectatores quidam adoleſcens ſcriba Capitanei Naslouij, ille eo ipſo momento cecidit ex paroxiſmo Epilepſiæ in terram tanquam mortuus, eum Bohemi ſubito in ſepulchrum abiecerunt, cum autem ille oculos attolleret, & ingemiſceret, & aliqui inclamarent milites, viuere iſtum, Bohemi tamen terram iniecerunt, eumq; viuum ſepelierunt: Omnino enim deinceps ipſi moriendum fuiſſe dicebant.

Glogouia obſeſſa ſuſtinuit magnam famem.

Viceſimo quarto Octobris Regij infœliciter oppugnarunt templum S. Georgij in ſuburbio flumentano, quod Princeps munierat, vt eſſet propugnaculum. Concuſſerunt illud tormentis per triduum tanta cum violentia, vt bombarda Lignicenſis vaſtæ magnitudinis diſſiliret, tamen præſidiarij hoſtem reiecerunt. Propter rem bene geſtam publicam læticiam cantu celebrauit Opicius.

S. Georgij templum in ſuburbio fruſtra tentatur à Regijs.

Regij prope arcem extruxerunt ſemitam per flumen, vt tranſire poſſent ad loca collegij, vbi liberet. Viceſimo nono Octobris fuerunt in curia vnà magiſtratus omnes in vrbe, & palam ſignificarunt Opicio & Duci Georgio, non inuenire ſe vllam rationem, quomodo diutius poſſit tolerari obſidio. Cederent igitur tempori, & vltimæ neceſſitati: illi aliquandiu tergiuerſati promiſerunt, ſe reſponſuros die ſequenti: ſed ipſi poſtridie de nocte ducti ſunt clam per flumen, & euaſerunt per ſyluas: poſt triduum Opicius miſit literas in vrbem, ſed nuncius cum contumelia reiectus eſt. Vltimo Octobris magiſtratus pactus eſt inducias cum hoſtibus, cc ptum eſt agi de pace, & nulla amplius tormenta exploſa ſunt.

Georgius Monſterbergenſis & Opicius Colo profugiunt Glogouia.

Tertio Nouembris Tetaurus propoſuit conditiones tales: Expectarent omnes reſcriptum Regis, & illius ſe permitterent poteſtati ſine exceptione. Ciuibus, quod fideliter erga Regem ſuum egiſſent, promiſit ſecuritatem & beneuolentiam Regis. Nobilibus mandauit cogitarent, quomodo ſatisfacerent Regi, contra quem geſtaſſent arma. Militibus præſidiarijs hæc propoſuit. Exoluant omne æs alienum contractum apud ciues, reſarciant damna, ſint captiui Regis, neq; militent contra ipſum ſpatio vnius anni, nullas amplius domos in vrbe demoliantur, nec cauſam damni alicui præbeant, permiſit vt exirent & colligerent ligna: & cum non aſſentirentur conditionibus propoſitis, rurſus eos incluſit, vt deliberarent.

Interea deficiebat victus in ciuitate, & ingraueſcebat fames, ideo omnes ſupplices, orabant Tetaurum, vt aliquid ex conditionibus mitigaret, ipſe miſertus inopiæ obſeſſorum, decimotertio Nouembris conceſſit vt exirent, & emerent victum in caſtris: poſtridie vero tota res fuit tranſacta. Inuſitatum tunc fuit gelu, ita vt flumen glacie concreſceret, & pontem regiorum plane euerteret. Decimo ſexto demum die Nouembris reſtituta ſunt commercia, apertæ portæ ciuitatis, oppidani exiuerunt maximo numero, liberati ex diuturna captiuitate, læti emerunt neceſſaria ad victum. Regij ingreſſi conſpexerunt ciuitatem, & iuerunt ad balneum.

Glogouia deditur exercitui Mathiæ.

Poſtridie, qui fuit dies Dominicus, præſidiarij vrbe exceſſerunt, iuſſi ſunt exoluere debita ciuibus, verum cum ipſi properarent & eſſent armati, euaſerunt: ægroti, quorum fuit ingens numerus, eiecti ſunt ex ciuitate & miſere perierunt. Ipſe Tetaurus inermis cum paucis equitibus in ciuitatem venit, & cum mandata de aliquibus rebus dediſſet, in caſtra reuerſus eſt. Hungari ſplendide ſonantibus tubis & tympanis circa meridiem arcem occuparunt. Ex omni vicinia apportata eſt annona, potus & res neceſſariæ in vrbem.

Die decimo octauo Nouembris, Tetaurus cum præfectis præcipuis primarium templum ingreſſus eſt, & cantu Deo gratiæ actæ ſunt pro pace. Poſtridie ciuitas iurauit in verba Regis: nobilitas impetrauit dilationem ad initium vſque noui anni. Eodem die ciuitati ſunt redditæ claues portarum, & promiſit Tetaurus, ſe primo quoq; tempore poſt reſcriptum Regis etiam omnia bona ipſis reſtituturum.

Iohannes Princeps ſub exitum Octobris Suibuſio profugerat, & hoc tempore oberrabat in Polonia, venit ad Caſimirum Regem, ab eo petijt auxilia contra Mathiam, ſed quamuis ipſi prius fuerat oſtenſa aliqua ſpes: tamen, ſicut infœlicium rari ſunt amici, iuſſus eſt relinquere regnum: neq; enim Regem ipſius cauſa moturum eſſe bellum. Venit deinde Opoliam, vt illos Principes concitaret contra Regem, ſed nunquam in conſpectum ipſorum admiſſus eſt. Mœrens igitur & gemens profectus eſt Glocium, in itinere inſecuti ſunt eum equites Niſſenſes, ab illis pene fuiſſet comprehenſus, ex comitatu quidem plerique capti ſunt, ipſe autem prolapſus ex equo latuit in paludibus & ſyluis aliquot dies, tandem vir ruſticus vexit eum Glocium: ibi, cum ex frigore & dolore animi periculoſum contraxiſſet morbum, diu decubuit: venit ad eum vxor cum filiabus, habitarunt in oppido in vulgari domo, & fortunam, quam ſibi finxit, paſſus eſt.

Iohannes ingatur exul.

Die 22. Nouembris, Tetaurus exercitum ex caſtris duxit occupaturus reliquas vrbes, quæ adhuc tenebantur præſidio Iohannis.

Tetaurus

Tetaurus quidem profectus est ad oppugnandam Sprottam, Hauguicius Freistadium. Hungari incolas passim crudeliter afflixerunt, & ciuitates oppressæ à præsidiarijs non poterant petere pacem. Calendis Decembris Freistadium fecit deditionem, quia vrbs erat vasta & inops: arx vero à præsidiarijs defensa est adipsum vsq; tempus Quadragesimæ: & cum oppidani crebro peterentur tormentis, interfectus est quidam præfectus Regius magni nominis Sturmius: tandem, cum Iohannes vltro renunciaret omni suo iuri in ducatu, illi arce excesserunt, quibus tamen nunquam fuerat suprema vis adhibita à Regijs.

Freistadium deditur Mathiæ Regi.

Cogitent vero nostri ciues, qualis fuerit fortuna nostrorum maiorum, qui in illis fauillis & ruderibus exustæ ciuitatis casas & tuguria aliqua vilia excitauerant, in quibus ipsis, propter pericula globorum ex tormentis, securi non poterant cum suis paruis natis & puerperis consistere. Vetustas non male dixit, Amandam & colendam esse pacem. In ea enim liberos sepelire parentes, cum tempore belli parentes efferant liberos: & in eadem homines dormientes ad vsitatas operas excitari cantu galli & sonitu campanarum, in bello vero clangore buccinarum & crepitu tympanorum ciues ad necem euocari.

Glogouiensis ducatus calamitates.

Die Mariæ conceptæ constitutus est nomine Regis præfectus ducatus Vrbanus Nimcius, vir peritus rei militaris, sed auarus & rapax, illi denuo Glogouienses præstiterunt iuramentum fidelitatis, & iurarunt in verba Regis & Iohannis Coruini filij. Legit nouum senatum, in quo fuit Melchior Dreissimargius: ciuitati detraxit mediam partem vectigalis publici, & molas flumentanas, quas tamen deinde ex beneficio Regis recuperarunt.

Glogouiensis Ducatus despondetur Iohanni Coruino.

Statim post brumam Vilhelmus Tetaurus bellator egregius reuocatus est à Rege in Pannoniam. Milites ciuitatum dimissi sunt domum. Ex Regio exercitu copiæ aliquot missæ sunt, quæ occuparunt Francostenum & Monsterbergam. Tertio Calendas Ianuarij vrbs & arx Sprottensis Regijs fecit deditionem. Venit in potestatem Regis eodem tempore etiam Grunberga.

Sprotta deditur Mathiæ Regi.

Post diem Epiphaniorum omnes copiæ Regis profectæ sunt ad oppugnandum Suibusium. Erat in vrbe coniunx Iohannis cum filiabus. Oppidum deditum est 15. Februarij, arx 17. Magnis precibus orabat ducissa, vt hæc vnica vrbs sibi relinqueretur pro habitatione, sed nihil impetrauit: permissum tamen est, vt inde auehe ret suam supellectilem. Inter magnos igitur dolores filias collocauit in currus, profecta est Stinauiam ad matrem, & inde Glocium ad maritum ægrotum. Suibusium attributum est Baroni Hungarico.

Suibusium deditur Regi Mathiæ.

Glogouia menſe Ianuario miſit Legatum ad Regem, vt recuperaret iura ciuitatis, quæ ipſis interuertebat Capitaneus,& peteret libertatem ab oneribus publicis in aliquot annos, vt poſſent reſpirare poſt tantas ærumnas. Rex clementer eos affatus eſt, promiſit ſe illis liberaliter benefacturum, daturum etiam immunitatem in triennium, modo expectarent, donec ipſe veniret in Sileſiam, quod futurum eſſet breui. Nam decreuerat ex Sileſia bellum inferre Caſimiro Polonico & tandem eum retundere, ne ipſi deinceps faceſſeret negotium. Ideo non modo priores copias in Sileſia retinuit, ſed etiam ſubmiſit noua agmina Pannoniorum, vt ea haberet ad manus, vbi opus eſſet.

Occupato ducatu Glogouienſi copiæ Regiæ bifariam diſtributæ ſunt. Hauguicius cum ſuis tranſijt in Luſatiam inferiorem ad limites Marchionis Iohannis. Copiæ autem,quæ occupauerant Francoſtenum,profectæ ſunt in Luſatiam ſuperiorem ad fines Ducum Saxoniæ. Mathias enim iudicabat Principes illos alieno eſſe à ſe animo,illos fauiſſe Principi Iohanni, & nunc auxilia miſſuros eſſe Cæſari: ideo vt retinerentur domi, terruit eos domeſtico bello. Hæſerunt ibi in tertium vſq; menſem, longiq; tractus vaſtati ſunt.

Principes Saxoniæ & Marchio collectis copijs ſeſe muniebant, multos ex illis prædonibus occiderunt,& videbatur res ſpectare ad graue bellum. Venit autem in Sileſiam, miſſus à Rege, Iohannes Varadienſis, vir præditus egregia animi dexteritate: is primum negocia quædam Vratislauiæ expediuit. Nam ineunte anno Rex dederat ſigna offenſionis erga vrbem, & mandauerat,ne pro more ſuo mutarent magiſtratum, donec ipſe veniret. Iſtos motus ſopiuit Epiſcopus.

Venit deinde Glogouiam 23. Aprilis, qui fuit eo anno quartus dies in feſtiuitate Paſchatis,fuerunt præſto Legati Ducis Iohannis, Opicius Colo, Erneſtus Tſchamerus & alij, qui nomine Iohannis renunciarunt toti Ducatui, eumq; Regi reſignarunt. Graui contumelia affectus fuit Opicius, & tanquam peſtis huius ditionis iuſſus eſt vrbe excedere. Epiſcopus fuit æquior ſacerdotibus, & quamuis Rex ciuitati promiſiſſet immunitatem, ne quid exoluerent ex vſitatis cenſibus ad triennium, tamen mandauit, vt aliquid darent ſacerdotibus præſentibus ad vrbem.

Iohannes Ducatum Glogouienſem reſignat in manus Regis Mathiæ.

Sub medium menſis Maij fuit in oppido Luca, ibi ſedauit bellum inter Regem & principes vicinos,quo nomine non dubium eſt, illum optime meritum eſſe de Sileſia. Poſt eam reconciliationem quaſſatus eſt Conradus Albus Olſnicenſis. Milites ex Luſatia ſuperiori regreſſi ſunt in Ducatum Suidnicenſem, ibiq; graues fuerunt hoſpites ciuitatibus & agreſtibus. Omnes enim mulctarunt & duriter afflixerunt.

Iohannes Varadienſis Epiſcopus Principes Saxonicos & Marchicos reconciliat Regi Mathiæ.

Hauguis

Hauguicius vero adortus est Conradum propter hanc causam. Ante annum decimumquartum fuerat reconciliatus Regi, & receperat suas vrbes, ita vt eas regeret tanquam gubernator: hoc anno vero mense Februario, cum mortua esset Salome vidua Ducis Venceslai Stinauiensis, socrus Iohannis Saganensis, ipse tanquam verus hæres Stinauiam ad se inconsulto Regi traduxerat. Hoc facto offensus Rex, mandauit suis Capitaneis, vt eum prorsus eiicerent.

Salome Stinauiensis moritur.

Diu rem distulit Hauguicius, & quamuis milites in vrbes distribuerat, tamen à vi abstinebat. Venerat autem in Silesiam Despotus Rasciæ, missus à Rege cum equitibus ter mille, belli Polonici causa: fuit is Glogouiæ mense Maio, postea profectus est in oppida Conradi Albi. Mense Septembri circa diem natalem Mariæ, cum Mathias sententiam non mutaret, & Despotus vrgeret, Hauguicius militem ex oppidis in campum eduxit, postulauit à Conrado, vt omni suo Ducatu cederet, eumq; in manus Regis traderet.

Conradus Albus Olsnicensis eiscitur ex suo ducatu.

Conradus Princeps prudens & bonus, cum nollet inutili pertinacia sibi & Silesiæ creare periculum, obtemperauit. Reliquerunt ipsi solum arcem Aurienſem, & promisit ipsi Rex in victum singulis annis aureos 1600. Paulò pòst Stinauiensis & Rudensis ditio iurauit in verba Regis, & Georgij Stenij, qui promisit, se duas sorores mortuæ Ducissæ placaturum data pecunia. Erant illæ, Abbatissa Trebnicensis & Catharina vxor Iohannis Saganensis.

Georgius Stenius adipiscitur Stinauiam & Rudnam.

Hauguicius deinde excussit aliquot nobiles, qui fouebant prædones in suis arcibus. Baronibus etiam Donauiensibus ex mandato Regis ademit agrum Hernstadiensem. Deinde afflixit Principes Opolienses, eosq; grandi pecunia mulctauit. Tandem pertæsus tam crudelium vastationum, paulò ante brumam militem in Morauiam abduxit.

Donauiensibus Baronibus adimitur Hernstadiensis ditio.

Talem exitum sortitum fuit bellum excitatum à furioso & crudeli Principe Iohanne, & tota Silesia insania ipsius pene fuit pessundata. Imprimis vero misera Glogouia fuit oppressa malis & ærumnis intolerabilibus. Nam finito bello incendium vrbis, si quid mansit reliquum, absumsit. Grassatum fuit illud nocte, quæ præcessit diem 28. Maij, anni 1489. quo eo anno celebrata fuit memoria triumphi Filij Dei ascendentis in cœlum.

Glogouia incendio perijt.

In platea nosocomij ignis excitatus fuit hora quarta noctis negligentia mulieris, quæ cum ad lucernam florem siliginis excuteret, facem ardentem in conclaui reliquerat. Exustæ sunt tres partes vrbis, inter alia domus paræcialis & monasterium virginum, in quo vna ex virginibus fuit suffocata: Perierunt in flamma homines 18. pars ciuitatis ad plagam occidentalem mansit.

Capita-

Capitaneus ducatus sæuijt in scribam Reipublicæ Danielem Timonem Freistadiensem, coniecit eum in turrim, vbi alterum crus & dentes ex lapsu perfregit, iussit eum amoueri ex officio. Erat vir doctus & celebris in Silesia, sed venerat in odium apud Capitaneum, quod putaretur intelligere artes ipsius non bonas, easq; significasse Regi, cum notus esset aulæ.

Glogouia accipit beneficium à Rege Mathia.

Ciuitas à Rege impetrauit immunitatem in decennium, & mandatum est Capitaneo, vt omnia in priorem locum restitueret, & bona ademta ciuitati redderet. Receptus est in gratiam à Rege, cum culpam deprecatus esset, Ernestus Tschamerus, qui fuit intimus Iohanni, & ciuitatibus non carus. Hyeme eiusdem anni misit Rex Glogouiam Legatum, cui mandata dederat, vt cognosceret, ecquid abuteretur sua potestate capitaneus ducatus.

Timo Freistadiensis publice eum de iniusta violentia accusauit, res tamen, cum Capitaneus argenteis lanceis pugnaret, fuit suppressa. Etiam in hoc Ducatu propositum est mandatum Regium, quod iubebat ostendere literas de censibus Ecclesiasticis: quia Rex iudicabat vsuris exhauriri suas regiones, & ipse pecuniam ad futurum bellum colligebat.

Matthias ornauit Glogouiam.

Ineunte anno 1490. nobilitas & ciuitates concordes miserunt legationem ad Regem, quæ peteret remissionem censuum sacrorum in aliquot annos, donec Ducatus posset se colligere, impetrarunt immunitatem in triennium. Inprimis autem Rex benigne complexus est ciuitatem Glogouiensem propter fidem, eamq; singulari munere ornauit, vt vteretur insigni ipsius Regis, coruo gestante annulum, & cera rubea. Multum quidem commodasset vrbi huic, quæ egregie erga ipsum in fide fuit constans, Mathias, si diutius vixisset: Extinctus vero fuit Apoplexia quinto Aprilis. Nono Maij, qui fuit dies Dominicus, quem Ecclesia nominat Cantate, solennes exequiæ ipsi Glogouiæ peractæ sunt in templo vrbis primario. Regnauit post eum Vladislaus.

Mathiæ Regi Glogouiæ peraguntur exequiæ.

Graues fuerunt lites ordinibus in ducatu cum sacerdotibus, qui spreto edicto Regio postulabant suos census. Vrbanus Nimcius Capitaneus, qui fuit receptator prædonum, & collocauerat Sprottam ministros, qui exercebant latrocinia, remotus est ab officio mense Septembri. Iohannes enim Coruinus profligatus à copijs Vladislai, & illi tandem reconciliatus, cessit Regi de possessione Ducatus.

Iohãnes Coruinus amittit ducatum Glouiensem.

Pridie Calendas Octobris ordines absoluti sunt à iuramento præstito Coruino: eodem die iuratum est Glogouiæ in verba Vladislai, qui instituit Capitaneum Ducatus Christophorum Talcebergium.

Mense

Mense Nouembri nobilitas & ciuitates missa legatione impetrarunt à Vladislao confirmationem immunitatis triennalis contra sacerdotes. Conradus Olsnicensis & Henricus Monsterbergensis amissas suas vrbes recuperarunt. Elapsus etiam est fuga ex Silesia Georgius Stenius, & ditio Stinauiensis reddita est duabus sororibus, Abbatissæ Trebnicensi & Catharinæ Saganensi. Talcebergio mense Decembri, ita mandante Casimiro Teschinensi, præside prouinciæ nomine Regis, successit Glogouiæ nouus capitaneus.

Georgius Stenius eijcitur ex Silesia.

Sub initium statim regni Vladislai omnis Silesia fuit infesta latrocinijs, prædabantur tunc latrones magni nominis, Sueuus, Maxius, Cotbusius, quos valde segniter reprimebant præfecti Regij. Anno proximo pòst Ducatus Glogouiensis rursus mutauit Dominum. Facta fuerat pax inter Vladislaum Regem & Iohannem Albertum Principem, fratrem Regis, huic Rex donauit in Silesia Ducatus, Glogouiensem & Tropauiensem, cum Casimirus pater adhuc esset superstes.

Venit Glogouiam Casimirus Teschinensis Silesiæ præses Dominica proxima post Christianum Pascha, ordines Ducatus exemit ab obedientia Vladislai, & iussit eos iurare Alberto Polono. Deliberatum fuit aliquandiu ab ordinibus, vtrum hoc expediret.

Iohannes Albertus efficitur dominus ducatus Glogouiensis.

Verum cum Regij exposuissent, non propterea Ducatum auelli à regno Bohemiæ, sed manere eos ciues eiusdem Regni, sicut prius, omnes sunt assensi. Capitaneus renunciatus est Iohannes Polacus Ceruicouius vir militaris, sed sæuus & iniustus.

TYRANNIS EDITA IN CIVITATEM Glogouiensem & reliquas à Polaco capitaneo ducatus.

APud Iohannem Principem fuerat flabellum & administer ad varia scelera quidam relatus inter nobilitatem, vt arbitror, Buscus, quem nominabant patrem Principis, is post profligatum suum Principem fuerat aliquandiu hinc inde vagatus: Hoc vero anno comprehenderunt eum Freistadienses: venerunt Freistadium, vocati eò, legati Glogouiensium die Dominicæ Ascensionis, tota nocte sequenti Buscum in equuleo suspensum excruciarunt, qui non solum historiam vitæ & scelerum suorum recitabat, sed etiam nominabat, quos habuisset socios & adiutores, quod deinde multos offendit.

Buscus minister Iohannis Glogouiensis afficitur supplicio.

Necaue-

Necauerat Balthasarem Principis fratrem, vxorem eius Sagano eiecerat, Theophilum Bergmannum Sprottæ interfecerat, claues Glogouia abstulerat, & Senatores in turri fame sustulerat: ob hæc scelera postridie ipsi in foro ceruices absciſſæ sunt. Nobilitas accensa à quibusdam, quorum famam attigerat Buscus, ob hanc causam fuit irata ciuitatibus, & secutæ sunt inde inimicitiæ non leues, ita vt vix deinceps, vera potuerit coalescere beneuolentia inter ipsos, cum magno malo publico.

Glogouiensis ducatus ordines distrahuntur.

Nam, vt leniſſime dicam, in diſſidijs ordinum coniunctorum sub eodem imperio, omnino illud Thucydideum verum est:

Ἐν τῇ ὁμονοίᾳ τῆς γνώμης, καὶ αἱ διαφοραὶ τῶν ἔργων καθίστανται:

Vbi sententiæ sociorum discordes sunt, etiam contrariæ suscipiuntur actiones.

Accendebat vero vltro odia ista Polacus, qui propter memoriam Mathiæ Regis & bellorum Polonicorum, ciuitates, quæ Regi fuerant fideles, oderat, conabatur ipsorum libertatem abolere, rapere bona publica, & ipsas ciuitates redigere in seruitutem Scythicam. Auellebat igitur nobilitatem à ciuitatibus, & augebat dissensiones vbi poterat. In ipso Senatu spargebat semina dissidiorum, & cum tribuni opificum cœpissent dissentire à consule vrbis Melchiore Dreisſimargio, ipse odia illa amplificauit, ciuitatem ad Regem criminatus est, & tandem in eam crudeliter sæuijt.

Iohannes Varadiensis Monachus uenit Glogouiam.

Anno 1492. venit Glogouiam Iohannes quondam Episcopus Varadiensis & Olomucensis, quem euexerant studia Poëtices & Philosophiæ ad tantum fastigium, vt Mathiam Regem totum possideret, Eo vero mortuo noua ipsum inceſſit religio, & ingressus est ordinem monachorum Bernhardinorum. Templum igitur recens sui sodalitij in horto Principis in suburbio orientali hoc anno Glogouiæ ex ritu Pontificio consecrauit.

Iohannes Polacus euertit Glogouiam.

Poloniæ Rex renunciatus est Iohannes Albertus Glogouiensis: fuit apud suum Principem Polacus, redijt sub exitum anni, & à miseris ciuitatibus nouum vectigal cereuisiæ extorsit, in singulos enim medimnos tritici imposuit singulos grossos Vratislauienses. Sub initium quadragesimæ anni 1493. vbi solent creari noui magistratus vrbani, Polacus contra leges ciuitatis totum senatum Glogouiæ mutauit, & priores omnes loco mouit, iubente illo idem factum est in magistratu inferiori. Legit autem illos, quos sciebat non aduersaturos esse suis consilijs.

Martinus Arnoldus Glogouiæ capitur.

Gesserat consulatum superioribus annis Martinus Arnoldus, is acriter iura ciuitatis contra præfectum defenderat: cum igitur vt plecteret ex insidijs comprehendit in suburbio 9. Martij, qui erat dies Sabbati antecedens Dominicam Lætare, & cum eo Nicolaum Lincium, vtrumq; coniecit in turrim arcis: postridie, vbi violentia ista multitudini vrbanæ innotuit, sonitu campanarum populus ad arma vocatus est.

Glogouiæ excitatur motus populi contra capitaneum.

Consti-

Constiterunt armati ante curiam, & reposcebant captiuos, responsum est à senatu, ductos esse illos in arcem, missi etiam, qui nomine populi illos expeterent. Respondit præfectus, ex mandato Regis se ista feciſſe, expectarent igitur eius rescriptum: promisit tamen, se illos non necaturum. Motus populi irati non potuerunt sedari ante vesperam. Ablegati sunt ad Regem Albertum, qui tunc erat Posnaniæ, nomine senatus & ciuitatis Legati sedecim, sed nihil impetrarunt: quia animum Regis nimis creduli plane exulcerauerat Polacus: denuo vrgente plebe profecti sunt in aulam post Pascha nullo etiam cum successu.

Sacerdotes ægre ferebant immunitatibus ordinum diminutos esse suos census, ideo apud Regem continuo vrgebant, vt res restitueretur in integrum, & videbatur Rex morem esse gesturus Episcopo Vratislauiensi, qui 20. Aprilis, ita petente Rege, venit Glogouiam, sed Rex ad diem constitutum suos non misit: Polaco tamen, qui adueniente Episcopo vrbe excesserat, profecturus Posnaniam, nunciauit, vt ex itinere domum rediret, & obseruaret Episcopum.

Sub ferias Dominicæ Ascensionis senatus obtemperans præfecto, qui omnia poterat in aula, captiuos statuit ciues decem, qui putabantur fuisse autores motus vrbani. Accidit hoc præter multorum expectationem, quia sperabant senatum potius laboraturum, vt cæteri dimitterentur.

Glogouiensium ciuitatum actiones coram Legatis Regijs.

Die Apostolorum Petri & Pauli accesserunt Glogouiam Legati Regij & Episcopi Vratislauiensis. Regij fuerunt Ambrosius Pampouius, qui multos magistratus in Polonia gerebat, Raphaël Liscinius magister aulæ Regiæ, Iohannes Lubrantius D. & Iohannes Sapientius.

Primis diebus disputatum est de censibus sacris, & tandem assentientibus Legatis Episcopi & Sacerdotibus facta talis transactio, vt per quinquennium aliquid remitterent sacerdotes, deinde rursus vterentur suo iure. Quinto Iulij cœperunt disputationes inter nobilitatem & ciuitates: Polacus adiunxit sibi nobilitatem, conquestus est de ciuitatibus, quod non essent audientes dicto, & varia comminiscebatur, sicut solent homines vafri & sanguinarij. Producti sunt captiui in conspectum legatorum, qui deserti fuerunt à popularibus, quos deterruerat Polacus, & cum non multa essent locuti, in carcerem reducti sunt.

Octauo Iulij vocatus est solus Arnoldus, quem accusabat præfectus & nobilitas, exorata ad iniquam causam. Omnis multitudo eum prius impleuerat bona spe, ageret viriliter, tueretur causam communem ciuitatis contra iniquum Polacum, sese ipsi futuros præsidio, sed tunc, cum senatus metu resiliret, ab omnibus fuit desertus. Ipse tamen constanter proposuit, non sibi conscium esse

vllius seditionis: sed cum videret malitiosè interuerti iura & libertatem vrbis, se de ea vi iniusta coram præfecto esse locutum, & disceptationem tamen magistratui superiori reliquisse. Interea autem causa non cognita se esse detrusum in tetrum carcerem: quod vero populus armatus ipsum reposceret, hoc se non debere præstare: & cum iure naturæ æquum esset, Vim vi repellere, nullam esse tamen vim factam Polaco.

Legati, qui erant æquiores Polaco, mandarunt vt reduceretur in turrim, donec Rex renunciaret quid fieri vellet. Decimo Iulij Polacus cum nobilitate accusauit Freistadienses, quod cuderent monetam sine concessione præfecti, & quod interfecissent nobilem Buscum ministrum Principis Iohannis, virum omnium pene, quos tunc sol videbat, sceleratissimum. Ciuitas proposuit ius suum tam de moneta, quam de plectendis reis, & prouocauit ad cognitionem Regis, neq; aliud tunc fuit decretum. Postridie à Legatis absolutus est Melchior Dreissimargius, & conscripta monumenta de innocentia ipsius: atq; his rebus perfectis Legati ad Regem reuersi sunt.

Melchior Dreißimarchius absoluitur.

Post abitum illorum Polacus Lincium & præterea alium ex carcere ciuitatis emisit. Instituta fuit alia legatio à Senatu ita volente populo ad Regem: sed aures eius surdæ fuerunt, quas calumnijs iniustis occupauerat Polacus. Is tandem mense Octobri cœpit exequi, quod diu fuerat meditatus, protulit mandatum Regium, quod iubebat parere immani Polaco, neq; repugnare audebat senatus. Nono Octobris in foro capite truncatus est Nicolaus Agricola ciuis, pronunciata fuit causa, quod ipse signo dato ex campana plebem ad arma concitasset.

Die Galli Abbatis Polacus accersiuit senatum prima cum luce, illisq; terribili mandato præcepit nomine sui regis, vt eo die omnes captiuos publice interficerent: edito hoc fulmine, ipse se proripuit ex vrbe Polceuicium, ne posset res impediri. Sparsa hac fama tota ciuitas luctu fuit impleta: erat planctus & fremitus passim miserabilis: Senatus obtemperaturus tyranno, iussit vt captiui vescerentur sacra cœna, & se ad necem pararent.

Polacus Capitaneus sæuit in ciues Glogouienses.

Erat tunc in vrbe Ernestus Tschamerus consiliarius olim primarius Principis Iohannis, & ideo infestus ciuitati, tunc verò conscius omnium consiliorum præfecti: ad eum tanquam ad cuspidem Herculis confugiunt cognati aliqui captiuorum, & orant per misericordiam Dei, flecti se patiatur, & iuuet miseros viros. Ille primum tergiuersatus est, tamen quod haberet causas sui consilij, & magis ab extrema sæuicia abhorreret quam Polacus, passus est se exorari, iuit in curiam, rogauit senatum ne istos necarent. Responsum est, senatum non posse negligere mandatum Capitanei, alioqui ipsis parata esse grauissima pericula. Ernestus vero inquit,

Quiescite,

Quiescite, ego placabo præfectum, & rem omnem in me recipio: Sic illis seruata est vita.

Redijt Capitaneus sub vesperam, & euestigio scisscitatus est, an fusus esset sanguis, & cum audisset viuere adhuc captiuos, furere cœpit, & exitium toti senatui minabatur. Interea accedit Ernestus, Age inquit Domine, colligas te, neq; tam immanem in modum sæuias: prolocutus est præterea alia quædam, quibus bilem Polaci mitigabat, & vitam insontibus seruauit excepto Arnoldo.

Postridie senatus Duce Ernesto Capitaneum adijt, interposuit preces pro captiuis. Assensus fuit capitaneus, sed hac conditione, vt suum prius expleret animum, & ciuitas ipsi supplex fieret. Post meridiem vocatus est in curiam omnis magistratus vrbanus, & omnes ciues, ibiq; propositum est, publice agendam esse pœnitentiam & capitaneo supplicandum.

Accersiti sunt in curiam captiui, iussi sunt exuere calceos, nudare capita, tegere corpus solo panno laneo, imitati sunt hoc omnes ciues, & ordine processerunt ad arcem. Stabat in ponte arcis Polacus cum ministris & Ernesto Tschamero, tunc etiam senatores capita & pedes nudarunt, atque supplices ad pontem accesserunt. Captiui sex prostrauerunt se expansis brachijs in terram ad pedes Capitanei.

Polacus, vt videretur humanus, iussit senatores tegere capita, quòd ipsi non deliquissent: deinde Ernestus omnium istorum consiliorum architectus concionem Scythicam habuit ad populum: commemorauit iustam iram Regis in ciues propter contumaciam erga capitaneum. Deinde pronunciauit abolendam esse memoriam omnium euentuum præteritorum, sanciendam vero ἀμνησίαν, donari captiuis vitam, restitui omnibus priorem tranquillitatem, modo deinceps essent in officio: captiuos tandem iussit exurgere: Vnum vero ciuem Petrum Glogouiensem mandauit Polacus, vt arctè vincirent, illum enim esse venia indignum.

Hoc spectaculo Turcico cum satis oblectatus esset Polacus, discessum est. Ciuitas comitata est captiuos in templum vrbis primarium, & ad Diuum Iohannem in cœmiterium, ibiq; Deo sunt actæ gratiæ, & Diuo Nicolao liberatori: tandem in curia vrbana captiui constituerunt fideiussores, quod futuri essent in potestate magistratus, & acturi secundum leges. Vltimo Octobris, cum exoratus esset Polacus barbaricum caput, etiam Petrus Glogouiensis publice egit pœnitentiam, sed acerbiorem.

Magistratus & vniuersa ciuitas eum est comitata ad arcem, ipse autem genibus insidens ex carcere in curiam, ex curia ad arcem per cænum repere coactus fuit, in ponte nudauit corpus, & supplicem se prostrauit ad Capitaneum, qui tandem illi donauit vitam. Primis diebus huius mensis Polacus Arnoldum, cuius cruorem

omnino ſtatuerat haurire, coniecerat in fundum turris, ſeptimo Nouembris collocatus eſt in domunculam turris ſuperiorem: interea nemo ad ipſum admittebatur: Ipſe paratus erat in omnem euentum, condiderat teſtamentum, & expectabat exitum.

Martinus Arnoldus Glogouienſis necatur.

Poſtridie Polacus vetuit aperire portas vrbis: circa auroram venit in carcerem miniſter capitalium ſuppliciorum, dormiebat vero Arnoldus in ſuo ſtrato, iuſſus eſt ſurgere: Ipſe cum non ſuſpicaretur ſine legitimo iudicio clandeſtina & tyrannica nece ſe interfectum iri, dixit, quis tu es? Agnoſces, inquit ille, & manus capitui vinxit, eumq; per poſticum arcis eduxit in aream, vbi ante aliquot annos ſteterat cœnobium Bernhardinorum, & iuſſit ipſum flectere genua. Quid facies inquit, Arnoldus: confuſus iam metu vltimi & iniuſti ſupplicij? Experieris dixit alter, & ſimul vno ictu bouo viro ceruices abſcidit, veſtimenta detraxit & cadauere relicto abijt, quod poſt aliquot horas miniſtri ciuitatis pheretro impoſitum ad turam in cœmiterium ſuburbanum geſtarunt: tunc apertæ ſepulſunt portæ ciuitatis, ſonitu campanarum conuocatus eſt populus, & vſitatæ decantatæ ſunt næniæ.

Tanta verò fuit ciuitatis conſternatio, & tam mœſtum ſilentium in vrbe, vt nemo tam violentam rabiem Polaci deteſtari videretur, & cum diſtracti eſſent animi factionibus, atq; plærique eſſent mali, nullus alteri poterat fidere, neq; ſatis tuto ingemiſcere de perturbatione publici ſtatus & calamitate bonorum. Nos vero, vbi legendo in hæc tam horribilia ſpectacula, quæ maiores noſtri ſuſtinuerunt, deducimur, cogitemus de communibus miſerijs generis humani, & flectamur ad pietatem & modeſtiam in omni vita.

Non commeruerant tantam ſuppliciorum atrocitatem, eamq; noui exempli, delicta ciuitatis in capitaneum, etſi liberius quædam contra tyrannidem ipſius erant dicta, ſed oderat tota aula Polonica acerbe has ciuitates ob fidem & conſtantiam erga Mathiam, cui Polonia fuit infeſtiſſima, & cupiebat graſſari hic Scythico more, ſicut alibi inter mancipia ſua aſſueuerat Polacus: deinde accedebant faces, aliqui ex nobilitate, qui coniuncti fuerant cum Iohanne, & à Mathia, annitentibus ciuitatibus, ob perfidiam erga Regem ſuum, electi fuerant in exilium.

Inde igitur hoc incendium excitatum eſt, & ſtructæ inſidiæ vitæ & ſaluti omnium ciuium: benignitate tamen Dei fuerunt mitigatæ ærumnæ innocentibus hominibus, & imperium tyrannicum non fuit diuturnum. Nam & ipſi Regi, qui ſibi & ſuis nimium indulgebat, in flore ætatis Deus vitam præcidit, & Polacus cito ex ſuo faſtigio deturbatus & eiectus eſt.

Interea tamen, cum omnino verum ſit illud Prophetæ: Vtinam auſcultaſſes mandatis meis, quod ſi feciſſes, pax velut flumen rigaſſet terram veſtram, proculdubio aliqua enormia peccata populi

puli ista tam tragica mala bellorum, incendiorum & tyrannidis attraxerunt. Et cum apud maiores nostros fuerit alioqui disciplina honestior & seuerior: omnino credibile est, præcipue propter idolatriam eos tam graues pœnas luisse.

Oppressa erat lux veræ doctrinæ idolomania intolerabili, vera vox ministerij pene tota conticuerat, proponebantur publice ea idolorum & mendaciorum portenta, vt nunc etiam saniores ex aduersarijs Ecclesiæ eorum suppudeat, populus cœcus inuoluebatur superstitionum horribilium caligine, prouoluebant se homines ad statuas, easq; adorabant, sicut negari nō potest, more plane ethnico. *Idolatria attrahit pœnas publicas.*

Ita creuerat & quotidie amplificabatur cultus Dei Maozim, vt illæ theatricæ circumgestationes nihil differrent ab Ethnicis & Persicis pompis: paulatim in singulos annos etiam magna cura, magnisq; sumtibus excogitabantur noua Numina, noui cultus diuæ Annæ, Heduigis Silesiæ & alia. Vt non commemorem, quam vere inuerecundæ factæ fuerint salutationes aut potius deformationes beatæ Virginis in his & similibus compellationibus: Fuga mortem, Confer sortem in cœli patria. Solue vincla reis: Monstra te esse matrem: Cogitent modo piæ mentes has similesq; cantilenas, quæ passim in templis cum magno applausu & studio repetebantur, Heduigis sancta, inclyta, nos serues à ruina, nosq; frui facias gratia diuina: Item de S. Catharina: Ab æstu mundi transfer nos ad amœna Paradysi: Item, Sancta Dorothea cor mundum in nobis crea: cum tamen, vt nihil dicam de idolatrica adoratione, ferme constet narrationem hanc vtramq; de Catharina & Dorothea esse Apologos, scriptos ad imitationem Græcorum Poëtarum ab Apollinari. Hæc cum nunc etiam sonent Pontificij, saltem cogitare debebant, quam incaute iactitent, se defendere consensum Ecclesiæ Catholicæ, cui profecto ista fuerunt ignotissima.

Quia vero ærumnosi nostri parentes tam grauibus calamitatibus propter idolorum cultum oppressi fuerunt, nos maiori cura puritatem doctrinæ amemus, tueamur, & seriam vitæ emendationem instituamus. Non enim dubium est, nunc etiam tyrannidem Turcicam vindicem esse idolomaniæ & aliorum peccatorum orbis Christiani. Polacus etiam postea non cessauit incommodare vrbibus, subinde aluit & auxit odia inter nobilitatem & ciuitates, quas vltimo iugo seruitutis premi cupiebat. Vulnera quidem illa ne nunc quidem coaluerunt, neq; postea firma fuit coniunctio ordinum in hoc ducatu, quod ipsum coniunctum semper fuit cum magna pernicie.

Litigatum est sequenti anno, cum senatui præsideret Melchior Dreissmargius, cum sacerdotibus, qui in illa calamitate vrbis etiam aliquid emungere conabantur, & graues sunt facti sumtus, nec tamen superbæ & segnes illæ aulæ finiebant lites: paulò

pòst castigata est insolentia Polonorum, cum Rex anno 1496. maximum exercitum in Valachia amisisset. Cœpit eo anno grassari in Silesia pestis sæuissima, eaq; biennio post in hoc Ducatu, præsertim Freistadij inualuit & magnam turbam hominum interemit.

Vladislaus Rex iam dudum ex pacto reposcebat à fratre ducatum Glogouiensem: fuit ipsi is redditus anno 1498. & ita scelleratus Polacus amotus fuit à gubernatione. Ducatus traditus est Sigismundo fratri Regis, qui tamen primum post mortem Alberti fratris Glogouiam commigrauit. Viuebat quidem adhuc Iohannes Saganensis exul, sed nullam apud fratres Polonos potuit impetrare gratiam, etsi putabatur ab ipsis fuisse incitatus contra Mathiam. Posteaquam re perdita Glocium euaserat, diu ibi æger decubuit, & per Legatos se suaq; Mathiæ Regi permisit.

Iohannis Saganensis exitus.

Eo mortuo plenus bonæ spei volauit ad Vladislaum, nec dubitabat, se breui futurum diuitem: sed Regem opinione sua inuenit duriorem, & animaduertit, non restinctam esse apud eum memoriam veteris odij. Fuit etiam Vratislauiæ eodem anno in conuentu ordinum Silesiæ, & proponebat noua consilia, sed iussus fuit egredi ex vrbe. Iratus Vladislao, contulit se ad fratrem Iohannem Albertum, fuit illi socius in bello Hungarico contra fratrem Regem, sed quia illius belli fuit exitus infœlix, Iohannes hunc nullo beneficio sibi deuinxit. Regem vero grauissime offendit. Mansit Cracouiæ, donec Iohannes Albertus est renunciatus Poloniæ Rex, deinde venit eodem anno sub hyemem in ducatum Glogouiensem, vagatus est præcipue in territorio Crosnensi, & nobiles passim eum pascebant.

Anno sequenti iuit Dresdam ad Principes Saxoniæ, vt pararet sibi intercessores ad Regem, illi dato munere eum dimiserunt. Fuit deinde Cotbusij per aliquot dies, & rursus properauit ad Regem Petricouiam. Eundem paulò pòst adijt Posnaniæ, multa postulauit, & nihil impetrauit, cum non desineret instare apud Regem, donati sunt ipsi aurei sexaginta, & iussus est abire, nec amplius ingredi in prouincias Regis: edicto etiam Regis prohibitum est, ne quis in ducatu Glogouiensi eum hospitio exciperet. Venit etiam Posnaniam coniunx ipsius, sed Rex noluit eam videre.

Inops igitur consilij diuertit ad Marchionem, à quo impetrauit hospitium Francofurti. Ciuitas eum inuita suscepit ob memoriam cladium superiorum annorum, tamen mandato Principis obtemperarunt. Habitauit ibi in domo conducta humilis & egens, vt esset exemplum illius vetustæ imprecationis:

Ἀφρήτωρ, ἀθέμις⊙ ἀνέσι⊙ ἔσιν ἐκεῖνο⊙,
ὃς πολέμιε ἔργατον ἅπαδημίε ὀκρυόεντ⊙.

Exulet hic longe vrbe sua Laribusq; domoq;,
Qui cupit in sese ciues dira arma parare.

Recu-

Recuperauit quidem ditionem Stinauiensem coniunx, sed cautum erat, ne marito ibi vllum esse ius. Serò igitur in illa sua egestate & solitudine cœpit deplorare scelera sua, & anno Iubilæo iuit Romam, vt à Pontifice expiaretur. Dicitur tamen & ibi more suo scurriliter lusisse. Cum ipsi sacerdos ἐπιτίμια indixisset, nunciauit illi postridie, excidisse sibi in confessione, quod Senatum Glogouiensem fame necasset, annumeraret tamen hoc cæteris peccatis, nec pœnam augeret.

Relatum est etiam ipsi, Pontificem, qui audiuisset in vrbe esse Principem germanum, ipsum admissurum ad oscula sanctorum pedum, Princeps Pontifici renunciauit, se properare domum, nec appetere linctus istos. Reuersus in Silesiam à generis Monsterbergensibus Principibus impetrauit ad tempora vitæ suæ possessionem ditionis Volauiensis, quam vna cum Ducatu Olsnicensi pater Henricus permutatione à Rege fuerat consecutus. In illam igitur vrbem suum collocauit domicilium, ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans, vt olim dictum est.

Instituit vero, ne nihil ageret, alchymicen, & loco ciuitatum, quas decoxerat, nouum aurum coquebat numero non magno. Ibi igitur vitã suam clausit in miseria, cuius ipse sibi fuerat faber. Adeo dicitur indoluisse de suis peccatis, vt post mortem sparsus sit rumor, dignum eum esse, qui pro exemplo peccatoribus statueretur, & in numerum sanctorum referretur. Fuit in eo animus magnus & plane impauidus: sed ingenium agreste & nimis crudele: in sermone fuit facetus vsq; ad scurrilitatem.

Narrabant maiores nostri, sacerdotes, nescio ex qua causa, emisisse fulmen suum Ecclesiasticum in totam vrbem, ita vt ceremoniæ & cantus in omnibus templis conticerent: Princeps, qui putabat eos non habere causam, cur hoc facerent, rogauit sacerdotes collegij, quoniam aulam suam, tanquam hominis damnati, fugerent, saltem in pontem fluminis venirent ad colloquium. Cupere enim se reconciliationem: paruerunt senatores collegij, venerunt in locum dictum, vbi etiam præsto erat Princeps cum aulico suo comitatu frequenti: interea vero dum in medio ponte consistunt sacerdotes, piscatores ex mandato Principis trabes & asseres pontis à tergo demoliuntur: re perfecta inclamat eos Princeps: Agite, inquit, patres circumspicite vtrum velitis cantare, an vero saltare: Illi, cum vndiq; vndas, vim irati Principis, & præsentem mortem cernerent, territi clamarunt: Domine cantabimus. Redite igitur, inquit, domum, & vestro officio fungamini, aut omnes mala morte peribitis.

Non recitabo plura, sed potius communibus votis precemur Deum, vt nostræ patriæ præficiat magistratus, qui sint organa salutaria Ecclesiæ & Reipublicæ, non verò vasa iræ & pestes patriæ.

Vtilis Princeps huic Ducatui fuit Sigismundus, qui migrauit Glogouiam anno 1502. Ipse etiam in illa mediocritate suauiter vixit, & postea, cum in regno experiretur ærumnas & fortunam aduersam, sæpe dicitur huc respexisse, & Glogouiam, quam suam vrbem appellabat, desideresse.

Sigismundus Poloniæ Rex dilexit Glogouiam.

Sustulit latrocinia in Silesia, quæ superioribus annis, connisuentibus & interdum iuuantibus præfectis, præter omnem modum creuerant, adeo vt honesti homines vix tuto vrbe egredi possent. Hominibus enim profligatis coniungebant se multi ex nobilitate, quæ in illa annonæ vilitate, rei agrariæ & œconomiæ negligentia, facile decoquebat, & ad inopiam redigebatur: illi spoliabant mercatores, & ex rapto viuebant. Sigismundus vero vigilantia sua & pœnarum atrocitate itinera repurgauit, cum multos hinc inde, nulla habita generis ratione, meritis supplicijs afficeret.

Francisci Fabri carmen de Sigismundi Regis uigilantia.

Celebrauit hoc Sigismundi beneficium versibus amœnis & vere heroicis vir & Poëta optimus Franciscus Faber, quos propter memoriam ascribo:

Quodq; omnis posthac pacatior ora quieuit,
Tutus & in quauis mercator valle diurnum
Carpsit iter, tibi præstantissime Iagellonum
Iure tuo, meritisq; tuis Sismunde fatemur
Deberi, te magna sequi non Herculis acta
Inuicto puduit nostris grassantia terris
Monstra domare animo, sontum nec sanguinis ortus,
Aut equitum splendor mouit, nec honestior ensis
Diuisit pœnam, sed equiso pependit eadem
Cannabe cum domino, cupidam & crocantibus escam
Effractæq; olim afflictis solatta cistæ
Præbuit, hic primum nostri videre trementes
Et quauis magnos furca pallescere fures.

In hoc Ducatu etiam Sigismundus constituit iudicium publicum ex nobilitate, & in illo tanquam supremo ditionis tribunali lites dirimi, & pacem custodiri voluit. Laborabat vt vrbem, superiorum Principum culpa deformatam, exornaret legibus & structura: & valde fuit munificus erga omnes ordines, ita vt aula ipsius bonam partem ciuitatis pasceret: sed nimis cito hinc auocatus est, postquam frater Rex Alexander decessit anno 1506.

Ducatus rediit in potestatem Regis, quem deinceps gubernauit per præfectos: Sed statim is discerptus est: Bartholemæo enim Monsterbergensi attributum est pro pecuniæ summa non magna Freistadium, sedes veterum Principum, quibus ipse fuit dissimilimus:

mus: pollebat quidem aliqua aulica dexteritate, sed erat iniustus, & rapina medebatur suæ inopiæ. Trahebat in suo comitatu nobiles prædones, Christophorum Nigrum & alios. Indixit deinde bellum Vratislauiensibus, & multos passim excitauit tumultus, donec tandem Danubij vndis absorptus est.

Anno 1511. cœperunt lites de emporio Vratislauiensi, ibi multi ex Polonis Glogouiam merces aduexerunt, & nisi dissensio illa mature fuisset sopita, magna esset facta mercaturæ mutatio.

Annus 1517. quo factum est initium repurgationis doctrinæ sacræ, fuit fatalis Glogouiæ. Nam 26. Septembris, qui erat dies Sabbati, sub horam noctis quartam, cum minister ebrius incaute tractasset lumen, in area fori occidentali incendium excitatum est, quod subito inualescentibus ventis, & hominibus improuiso malo consternatis, celerrime in omnes partes peruagatum est, & conflagrauit vrbs pene vniuersa. *Glogouia tota conflagrat.*

Extincti sunt etiam flamma & fumo homines ferme 80. inter quos fuerunt familiæ in vrbe celebres, quæ pernicioso consilio abdiderant se in cellas subterraneas, vbi fumo & halituum multitudine sunt suffocati. Mansit incolume templum vrbis primarium. Schola & vicinæ ædiculæ paucæ, & monasterium sodalium Dominici. Audiuimus vero scholasticum quendam ea nocte ebrium in sua camera scholæ obdormijsse, itaq; sopitum fuisse ex crapula, vt tumultum concidentis & pereuntis vrbis non exaudiuerit, sed in multam lucem vix euigilauerit. Fuit ista nox, quæ antecedebat diem, qui consecratus est à Pontificijs apotheosi Stanislai Episcopi Polonici, vbi nostra gens solita est in templis sonare talia vota valde contumelioſa in Deum: Plebem tuam Stanislae pastor bone foue benedictione, guberna protectione, sana, salua intercessione.

Docent vero historiæ, articulos fatalium pœnarum sæpe congruere ad circumstantias peccatorum. Sacerdotes medicantes, vt est in prouerbio, malum malo, frustra panem consecratum, flammam sedaturi, circumgestarunt. Annus notatus est illo hymni sacri versu: Tibi Cherubin & Seraphin incessabili voce proclamant: Characteres enim Arithmetici numerum annorum implent. Congruit vere hoc vaticinium ad vocem Lutheri, quæ illo anno, Deo sic volente, cœpit tonare, & æternum suum hymnum ordiri.

Extincto Bartholemæo Monsterbergense arcem Freistadiensem cũ suis agris adeptus est vir nobilis & magnæ autoritatis apud Reges fratres Iohannes Rechenbergus, qui magna cum laude virtutis & industriæ ordines in Hungaria, Moscouia & Prussia duxerat: Fuit æquus ciuitati eamq; dilexit, ipse etiam carus omnibus ibi consenuit, & anno vigesimo primo, postquam eo migrauerat, Pragæ decessit, & Freistadij cum luctu publico in monumentum, quod viuens sibi extruxerat, conditus est anno 1537. Ducatum nomine Regis gubernauit Iacobus à Salza legum Doctor, qui interfuit *Iohannes Rechenbergius adipiscitur Freistadium.*

terfuit electioni Caroli Quinti nomine sui Regis Ludouici: Vbi ita enituit eloquentia & sapientia viri, vt deinde electus sit in Episcopum Vratislauiensem.

Fama de emendatione religionis populariter increbuit in his vrbibus sub annum 1519. postquam Lutherus ex conuentu Augustano superioris anni reuersus, Eccium publice Lipsiæ retudisset, & cum paulò ante integra periodus annorum ab accepta religione Christi in Silesia esset expleta. Obuijs vlnis vero multi pij homines, implicati laqueis inextricabilibus Pontificiorum, lucem veritatis amplexi sunt, & auidissime excipiebantur libelli refutantes impiam doctrinam de pœnitentia & indulgentijs.

Freistadiensis Ecclesiæ initium.

Publice primum puriorem doctrinam doceri curarunt Freistadienses in hoc ducatu, nacti viros non indoctos: & omnium tunc erat feruens studium pietatis, quod nunc certe in multorum animis illanguit & refrixit. Turbati sunt multorum animi clamoribus Enthusiastarum, qui passim vagari cœperunt sub annum Christi 1524. & proxime sequentibus.

Extenuabant illi à Principio dignitatem & vsum Sacramentorum maledicebant literis & artibus, paulatim deinde assuerunt plures errores arreptos ex libris multorum fanaticorum hominum Serueti & aliorum. Prima tuba illorum motuum fuit Andreas Carolostadius, qui odio & ambitione ardens à Luthero discessit. Captabat auram popularem & plausus indoctæ plebis, volebat deleri studia & artes, & quidem Vitebergæ scholam puerorum euertit absente Luthero.

Anabaptistarum & Enthusiastarum origo.

Academia vero vix magna cura & vigilantia Philippi Melanthonis & D. Hieronymi Schurffij, qui acerrime fanaticis hominibus aduersabantur, fuit conseruata. Ipse demum Carolostadius, deserta sua vocatione, cum esset Theologiæ Doctor, migrauit ad rusticos, & opera seruilia cum simulatione singularis humilitatis fecit, donec desperans de successu sui consilij in alia loco commigrauit. Irrepserunt etiam Anabaptistæ, quorum primus autor fuit quidam fullo Nicolaus Storch, is fuit magister Monetarij, iactabat afflatus, colloquia cum Deo & Angelo Gabriele, passim vagabatur & spargebat suum virus, tandem mortuus est Monaci in nosocomio in magna miseria.

Latissime contagia illa in Silesia grassata sunt. Populus enim auide quærebat veritatem, magistratus vero, accensus à Sacerdotibus, doctores puriores ejiciebat, interea clam se insinuabant isti errones, qui specie mirabilis sanctimoniæ & commertij cum Deo animos hominum terrebant & plane capiebant. Tantum effecit hac arte diabolus, vt ex tota Silesia, & ex hoc præcipuè ducatu, magna agmina plebis, præsertim rusticæ, venditis omnibus bonis currerent in Morauiam, vbi Anabaptistæ constituebant suas Respublicas turpes & impias.

Legi

Anabaptiſtarum hiſtoria ex Morauia.

Legi annales ſcriptos ab ipſis Anabaptiſtis in Morauia, recitantes adeo tetrum multorum furorum Catalogum, vt piam mentem expaueſcere oporteat, & deplorare, tantam & tam infinitam potentiam eſſe diaboli, vt animos hominum plane poſſit excœcare, in ijs etiam vſum naturalis, & quæ ferme beſtijs communis eſt, intellectionis delere, eoſq; ad tam enormia flagitia & ſcelera abripere.

Initia fuerunt ſimilia exordijs Tragœdiæ Monaſterienſis. Confluebat multitudo imperitorum hominum ex multis Germaniæ partibus, cui Morauia propter quæſtum dabat hoſpitium. Illos ſimulatione arcanorum colloquiorum cum Deo, repræſentatione mirabilium, & ſæpe ſtultorum geſtuum, & prodigioſis verborum præſtigijs plane mente mouebant illi fanatici impoſtores. Miſeri illi & dementati cœtus, ſcurriliter ſæpe ludentibus ſuis doctoribus, iacebant proſtrati in terra, & cum magno eiulatu preces ſuas ad Deum fundebant.

Anabaptiſtarum magiſtri.

Creſcente turba Anabaptiſtica, tandem venerunt duo Magiſtri homines Bauarici, Iacobus Hutterus, & quidam Gabriel Scherdingenſis pellio, qui maiores cœtus collegerunt, eoſq; gubernarunt paulò maiori cum calliditate, ne propter impoſturas nimis euidentes fierent diſſipationes. Sed cito, vt malum ſeipſum deſtruit, orta ſunt inter ipſos ambitioſos doctores diſſidia. Ideo factæ fuerunt ſeparationes, & ipſi Magiſtri diuerſas ſectas condiderunt.

Hutterus vir toruior, audax & ſeditioſus palam docebat, ſuam toruitatem, Stoicam ἀπάθειαν, & rigidam vitam eſſe iuſticiam Euangelicam: abolebat ordinem politicum, magiſtratus, iudicia, ſanciebat communionem rerum, quæ quidem miſeræ plebeculæ ſatis fuit grauis, ipſi autem & ſocijs eius quæſtuoſa & vtilis. Iſte Hutterus, cum diu inſanijſſet: tandem propter ſeditioſum ſcriptum ex fuga retractus eſt, & Oeniponte vltimo affectus ſupplicio.

Gabriel fuit vir paulò aſtutior & ciuilior: inflectebat ſua dogmata ad temporum conditionem: quando poterat imitabatur ritus Anabaptiſticos, vbi imminebat periculum, vt labrax piſcis poſt deuoratum hamum maxillas ſibi lacerat, quærebat πλάνας, addebat molliores interpretationes, iubebat ſuos diſſimulare genus ſuæ profeſſionis, & obſequi magiſtratui prohibenti propagationem impiorum dogmatum. Iſti duo, præſertim vero Gabriel, habebant ſuos emiſſarios, qui in Sileſia magnas cateruas hominum ex bonis ſuis & ſedibus eliciebant, & in Morauiam, tanquam in terram promiſſionis trāducebant.

Fuerunt in vno cœtu ſupra mille homines magna ex parte Sileſij, qui collegerant ſupra ſeptem millia aureorum ex facultatibus vili pretio venditis. Eam pecuniæ ſummam credebant Gabrieli & ſocijs

sociis eius: ipsi inclusi in easdem habitationes, interdum angustas & incommodas, misere victitabant: fatigabant corpora duro labore in agris & vineis dominorum Morauiæ, mercedem colligebant magistri, & de ea statuebant pro suo arbitrio: ex quibus multi scelerate viuebant, & subinde alter alterum ex communione excludebat: tamen populus fascinatus suis persuasionibus, non modo grauissimam seruitutem patienter ferebat, sed etiam flagitia suorum doctorum dissimulabat.

Extructæ illis fuerunt ædes in agro in loco solo, vbi sæpe latrunculis fuerunt prædæ impune. Nam cum docerentur, Euangelium damnare omnem vindictam, quando nuntiabatur venire alicquod agmen vagabundorum militum, qui insidiabantur pecuniæ aut armentis ipsorum, ipsi patefactis ianuis conueniebant in vno conclaui ad precationem, & expectabant percussores.

Gabriel demum ille iussus à magistratu Morauia excessit, & in limite Poloniæ vitam suam finijt, autorq; fuit suis auditoribus, vt manerent in suis possessionibus deinceps, & suas opiniones de religione clam fouerent. Grandis vero illa pecunia, quæ ex collatione & labore multorum tenuium hominum conflata fuit, fraudulenter dissipata, & populus egens & inops in patriam remissus est.

Glogouiæ quatuor ex istis erronibus Doctoribus fuerunt affecti supplicio, ex quibus vnus fuit Clemens, qui plurimos decepserat, & qui tamen paulò ante à Gabriele cum suo cœtu peculiari fuerat exclusus. Reliquiæ agminum Hutteri adhuc hodie sunt in Morauia superstites, quæ suam seruant Rempublicam, & Gabrielitico tanquam transfugas & apostatas damnant.

Sunt tamen ibidem & alij cœtus fanaticorum hominum separati ab istis, ex quibus aliqui se nominant Sabbatarios, quod more Iudaico septimum diem volunt esse festum, isti probant vsum armorum & legum forensium, & quasdam singulares opiniones defendunt. Immiscent vero se illis cateruis quidam errones admodum blasphemi, qui circumferunt & spargunt furores contumelioso in diuinitatem Christi & Spiritus sancti, hausios ex fontibus Arrij, Mahometi & Serueti.

Arrianum uirus renouatur.

Tales nunc veniunt applausores in Polonia, & præcipuè in Lithuania: arcent infantes à Baptismo: sanciunt communionem rerum: maledicunt Christo, & Spiritui sancto: & omnes festiuitates, vt Paschatos, Pentecostes, Natalis saluatoris, in quibus solent fieri congressus ad commemorationem beneficiorum Christi, abolent.

Inter istas confusiones opinionum & dogmatum etiam in Ducatu Glogouiensi multa bona ingenia abstracta sunt à studijs, cum

cum existimaretur professionem illam esse vitæ genus otiosum & inutile. Eximia tamen, gliscentibus illis motibus, fuit prudentia senatus Freistadiensis, qui intuebatur exemplum vrbis Vratislauiæ: nunquam præbuit locum publicum docendi Enthusiastis, sed diligenter se ad sententiam & doctrinam Academiæ Vitebergensis coniunxit, eam consulebat, audiebat, & inde Doctores petebat. *Freistadiensis Ecclesiæ fœlicitas.*

Et quamuis sæuicia magistratuum in hoc Ducatu, qui pios doctores passim eijciebant, atq; etiam necabant, impediebantur, tamen ipsi, imitati exemplum pij Abdiæ, Prophetas suffurabantur, eosq; alebant sicut poterant. Deinde subleuabat eos æquitas & clementia Episcopi Iacobi, qui non patiebatur se accendi ad tyrannidem erga nascentes Ecclesias.

Fuit ad Episcopum illum ablegatus à senatu Georgius Pezelius senator egregiæ sapientiæ & virtutis, vt supplex peteret ab Episcopo, permitteret ciuitati Freistadiensi concionatores suos, qui modeste dicturi essent vera & necessaria populo, & acriter refutaturi Anabaptistas. Episcopus audita oratione commoda viri diserti: Ergo, dixit, ex templo vestro altaria & statuas eieciſtis Freistadienses. Respondit Legatus: Equidem Princeps, consistunt illa suo in loco. Maneant, inquit Episcopus, in suis sedibus, & si quis erit, qui ambiget, an lapides & ligna sint, admoneatur denuo. Sacra vero cœna integra vtimini? Omnino, dixit Georgius, secundum Christi institutum. Poteram, inquit Episcopus, hoc existimare. Video igitur ex tuo sermone, vos esse semiLutheranos. *Georgius Bezelius Freistadiensis placat Episcopum Vratislauiensem.*

Tum Georgius, qui erat mire facetus, profecto, inquit, Domine, qui nunc noster concionator futurus est, tantum dimidium laboris sustinebit. Episcopus vero ridens subduxit se, & legatus, qui erat admonitus, vt modo ciuitas moderate abusus emendari curaret, lætus domum redijt.

Profuit ea circumspectio & pietas oppido inprimis. Nam & Ecclesiæ & Scholæ fuerunt bene constitutæ, & ciuibus assuefactis ad officia pietatis & virtutis melior ibi fuit forma status politici, & honestior disciplina in omni vita. Et propria laus est huius oppidi, quod amat studia & literatos, & quod vix alia vrbs in Silesia reperitur, quæ in illa tenuitate sua plures vires excellentes doctrina educauit & aluit, quam ista. *Freistadiensis Reipublicæ laus.*

Seueritate etiam & vigilantia magistratus honesta ibi custoditur disciplina, & populus, qui plærumq; viuit ex opificijs, modestior & frugalior est in vestitu & victu, quam alibi: fœminæ etiam vsq; ad dispendium valetudinis sunt laboriosæ.

Docet nunc ibi Euangelium Christi in 22. annum vir pietate & eruditione excellens D. Iohannes Gigas Northusanus, qui assiduus *Iohannes Gigas pastor Ecclesiæ Freistadiensis.*

duus hortator est suis ciuibus ad veram agnitionem Dei, & ad virtutem in omni vita: tuetur concordiam publicam maximo studio, & vicissim colitur & diligitur â magistratu, & omnibus suis auditoribus reuerenter: ita vt vere exemplum antiqui dicti ibi conspiciatur: Εὐδαίμων πολίτευμα ἑνὸς κήρυκος ἀκούων.

Erasmus Benedictus instauratur scholæ Freistadiensis.

Puericiam subinde etiam ibi erudierunt viri doctrina & industria præstantes: & cum ante annos 18. amore patriæ motus, vir clarissimus Erasmus Benedictus, piæ memoriæ, studiorum gubernationem in oppido illo susciperet, simul cum eo in scholam illam fœlicitas docendi Philippica, sicut in Lesbum Lyra Orphei, immigrauit: adeo vt etiam post beatam decessionem Erasmi possessio vtilis doctrinæ, & mediocris discentium frequentia à viris eruditione, & fide excellentibus ibi conseruata sit.

Die Innocentium inchoante annum 1523. in oppido illo vndecim ædes incendio perierunt, & tota ciuitas fuit in periculo, sed benignitate Dei flammæ sunt sedatæ. Paulatim in alijs oppidis etiam vicinis veritas illuxit, & Ecclesiæ, etsi inter magnas difficultates, sunt emendatæ. Reuerendus D. Abrahamus Buchholtzerus bonitate naturæ formata à Spiritu sancto & præceptore Philippo, præstantissimus, Ecclesiam Sprottensem 22. annum exulantem in suburbio, traduxit in templum oppidi, assentientibus virginibus cœnobij anno 1564.

Glogouiæ post longum interuallum ministerium veræ doctrinæ instauratæ ad vocem scripturæ Propheticæ & Apostolicæ, & normam confessionis, quæ fuit exhibita Carolo Cæsari Augustæ, ex clementissima concessione, non dissimili edicto Cyri de restitutione veri templi, inuictissimi Cæsaris Maximiliani inchoauit in pago vicino vrbi vir reuerendus D. Ioachim Picus Glogouiensis, auditor Lutheri & Philippi, inter magnas gratulationes populosissimæ ciuitatis, agentis Deo & benignissimo Cæsari gratias pro luce veræ doctrinæ, anno 1564. Dominico die, quo celebratur gloria trium personarum diuinitatis.

Sed iam ad metam præfiniti temporis nostra annotatio peruenit. Tribuat nostræ patriæ & toti huic territorio lucem veræ & sanæ doctrinæ, atq; salutarem pacem & tranquillitatem propitius Deus, & nobis omnibus clementer mitiget ærumnas, quas in hac mundi senecta peccata horribiliter cumulata totis gentibus attrahunt.

CATA-

CATALOGVS EPISCOPORVM SILESIAE.

ETiam vetustas sapientior & melior iudicauit, præcipua bona in ciuili hominum societate esse ordinem disciplinæ, honestarum legum, iudiciorum & bonorum morum. Ideo Gorgias hos ciuitatum neruos nominauit ψυχὴ πόλεως, opes vero, multitudinem, apparatum armorum sine politico ordine vocabat corpus sine anima.

Nos verò, qui veræ Ecclesiæ sumus ciues, scimus præcipuum & vltimum finem consociationis politicæ esse communicationem & propagationem sinceræ religionis, doctrinæ de vera agnitione & inuocatione Dei, artium necessariarum ad conseruationem vitæ & aliarum bonarum rerum, generi humano à Deo traditarum. Hoc vere debebat esse ἡγεμονικὸν & caput omnium honestorum cœtuum, illiq; τὸ δορυφορικὸν, vt Plato loquitur, seruire debebat. *Religio uera est anima Reipub:*

Non est enim alia anima præstantior in humanis cœtibus quam Ecclesia. Ideo merito nostra gens Silesia etiam gratam retinet memoriam illorum, qui in plantatione veræ doctrinæ de Deo, & propagatione studiorum & literarum nostris ciuibus vera animæ ornamenta instillarunt, ijsq; iter ad cœlestem patriam monstrarunt.

Etsi igitur in historia sparsim Episcoporum, qui Ecclesias & studia in hac prouincia gubernarunt, facta est mentio, tamen perspicuitatis gratia in vna tabella ordinem & successionem illorum describere volui, vt posteritati noti essent illi boni & pij viri, qui ab initio, cum nondum opes nimiæ & fastus doctores impedirent, religionis & artium fuerunt apud nos propagatores. Sequor autem annotationes Dugloſſi, cum aliæ meliores narrationes non extent.

GODEFRIDVS PRIMVS EPISCOPUS Smogrensis.

MIeslaus Princeps Polonicus, cum amplexus esset doctrinam Christi, condidit in suo regno nouem Ecclesias, illisq; reditus amplos attribuit, inter quas vna fuit Smogrensis. Doctores accersiti sunt ex Italia, & misit Pontifex Iohannes 13. anno 966. in Poloniam Egidium Cardinalem Tusculanum, qui Ecclesias in Polonia constituit. Is in Ecclesiam Smogrensem collocauit hunc Godefridum. Literæ fundationis, vt quidem in quodam scripto Canonicorum Vratislauiensium refertur, non extant.

Godefridus Episcopus est instaurator pietatis in Silesia.

Fuit is Godefridus ciuis Romanus, natus ex familia nobili, quæ fortassis, cum nomen sit Germanicum, ex Germania orta fuit. Et fuit Godefridus Catecheta Silesiæ. Vnicum longo tempore, vt scriptum illud Canonicorum recitat, in tota hac Prouincia fuit templum, dicatum memoriæ diui Baptistæ, quem semper nostra gens est venerata, & quidem veteres Principes in suis titulis, vt vetustæ literæ Henrici Barbati ostendunt, nomen sancti Iohannis præscribebant.

Ad illud ligneum & vile templum nostra gens ad certas festiuitates conuenit, in illo sedit Episcopus humilis: sed vera morum pietate ornatus, & infirmæ atque imperitæ plebeculæ verba Symboli, Decalogi & Dominicæ precationis est præfatus. Abducebat paulatim animos ab opinionibus & cultibus Ethnicis, & monstrabat elementa doctrinæ de essentia & voluntate veri Dei. Sæpe etiam iter faciebat per prouinciam in loca, vbi aliqua erat frequentia hominum, & ciues suos erudiebat, & impios ritus sacrificiorum & rituum abolebat.

Godefridi pij labores & ærumnæ.

In hoc laudabili vitæ cursu & digno vero Episcopo consumsit annos septendecim inter ærumnas grauissimas. Nam multi ex populo idolomaniam ethnicam pertinaciter defendebant: nobilitas etiam vocem pij Pastoris aspernabatur, & ipsi aduersabatur, atq; omnia plena erant, vt initia mutationum solent essent turbulenta, confusionum. Ipse tamen in statione sua fideliter mansit, & anno 983. piè decessit.

Delector vero omine ex nomine, cum nomina sint fatalia. Primus Episcopus Silesiæ est Godefridus: Ergo Deo agamus gratias, qui nos ex tenebris idolatricis retraxit ad lumen agnitionis veri Dei, & eum precemur, vt perpetuo inter nos seruet incorruptam lucem suæ doctrinæ, & faciat vt nostri Episcopi & doctores semper sint Godefridi, sonantes Deo gloriam, hominibus pacem & lætitiam.

VRBANVS PRIMVS.

NOn erant in hoc regno viri eruditi, ideo post mortem pij Pastoris alius gubernator Ecclesiæ ex autoritate Regis Boleslai fuit accersitus Roma Vrbanus, qui fuit Canonicus in Vrbe Roma, natus ex nobili stirpe: habuit laudem iusticiæ & prudentiæ: Vidit nec propagari nec conseruari religionem posse sine eruditione, ideo

ideo, ſicut ab initio Eccleſiæ ſemper fuerunt coniunctæ ſcholæ: ita ipſe ex Italia adduxit ſecum cœtum piorum & doctorum hominum, & ſupellectilem vtilium librorum: Inſtituit igitur ſcholam ad templum Smogrenſe, in qua viri docti adoleſcentiæ inſtillarunt ſemina pietatis, linguam latinam & initia artium, eamq; ad exercitia pietatis, & vtiles ceremonias aſſuefecerunt.

Vrbanus inſtituit ſcholam Smogrenſem.

Hoc igitur tunc fuit Collegium Smogrenſe, in quo Epiſcopus, tanquam ſupremus inſpector, & totius miniſterij gubernator, doctoribus & auditoribus victum ex ſua menſa dedit: Et hoc conſilio vbiq; olim erecta ſunt Collegia, vt eſſent ſcholæ: ſicut ipſa nomina dignitatum Decani, Scholaſtici, Cuſtodis, quæ olim fuerunt officiorum ſcholaſticorum appellationes, teſtantur.

Ab hoc igitur Vrbano Sileſia vere vrbana & ciuilia ornamenta ſtudiorum accepit: in quibus etſi tunc multum fuit caligi-nis & barbariei, ex vitio barbari ſeculi: tamen recta voluntas meretur approbationem, neq; illa initia fuerunt ſine fructu. Nam & religio fœlicius fuit propagata, & mores gentis ſunt facti mollio-res & humaniores. Rexit Vrbanus Eccleſiam ſuam annos 22. mortuus eſt anno 1005.

CLEMENS PRIMVS.

ISte fuit vnus ex ſocijs Collegij Smogrenſis, homo Romanus, qui cum Vrbano ex Italia venerat: Et conſiderandus eſt mos electionis vſitatus illo tempore, congruens ad conſuetudinem primæ & purioris Eccleſiæ. Manifeſte dicit hiſtoria, fuiſſe eum electum à Collegio & populo Eccleſiæ Smogrenſis, aſſentiente rege.

Clemens extirpauit idolomaniam.

Olim fiebat exploratio doctrinæ & morum ab vniuerſa Eccleſia, & commendabatur miniſterium docendi idoneis, & qui videbantur futuri in ſuo munere fideles. Scribitur fuiſſe aſſiduus in extirpandis cultibus ethnicis, quod ea occaſione accidiſſe puto. Vixit tempore belli Saxonici, quod Boleslaus acer geſſit cum Germanis, in quo fuit tanta rabies populi Sclauonici, vt odio nominis Germanici etiam religionem Chriſti abhorrerent, & doctores Eccleſiarum trucidarent. Ideo iſte bonus Clemens prælia-tus eſt ardenter, ne idem accideret in hac regione, & motus inſani populi procul dubio non ſine graui labore frenauit. Deceſſit ex fe-bri anno 1027.

Electionis mos in Eccleſia.

LVCILIVS PRIMVS.

Lucilius instruxit Bibliothecam in schola Silesia.

ET iste fuit natus in Italia, instructus magna eruditione. Amauit studia & doctos: comparauit sibi Bibliothecam amplissimam, & omne tempus, quod à labore docendi habebat vacuum, consumsit in studijs. Mores eius fuerunt casti & honesti.

Iam tunc autem crescentibus opibus, nimium sibi indulgebant sacerdotes, & multi sibi sumebant licentiam non bonam. Ideo seuere flagitia illa puniuit Episcopus, & asperas pœnas in delinquentes sanciuit. Moriens reliquit Bibliothecam suam Collegio Smogrensi, decessit anno 1036.

LEONARDVS PRIMVS.

Leonardus Episcopus migrat Bicinam.

FVit Decanus & gubernator studiorum in Collegio, homo Italus. Cumulauit opes: sed cum illo tempore graues fierent vastationes in Silesia à Bohemis, & ipse fuit afflictus. Post bellum anno 1041. cum redijsset in regnum Casimirus, migrauit in vicinum oppidulum Bicinam. Mortuus anno 1045.

TIMOTHEVS PRIMVS.

Electionis mos mutatur in Ecclesia.

CRescentibus opibus creuit ambitio: plures igitur tunc locum illum, qui antea fuerat spretus, appetebant, & mutabatur tota forma electionis. Electus fuit à Collegio & iste ortus ex Italia, peritus legum Pontificiarum, & vitæ laudatæ. Mortuus anno 1051.

HIERONYMVS PRIMVS.

Hieronymus Episcopus migrat Vratislauiam.

VT homo Romanus quæsiuit incrementa opum & dignitatis. Migrauit cum suo Collegio ad ripam Viadri in vrbem Vratislauiam. Casimirus Rex, qui viderat splendorem Italicum & Gallicum, multa huic Episcopo donauit. Templum tamen fuit frabricatum ex ligno, & lineum etiam pedum gestabat pastor. Mortuus ex dissenteria 1062.

IOHAN.

IOHANNES PRIMVS.

COmmendatum fuit huic munus Episcopi iubente Rege Boleslao. Fuit nobilis Polonus: & tantum hoc annotatum est, egisse eum magno studio, vt in Collegium solum reciperentur homines Poloni, non exteri. Ita ambitione & luxu paulatim studia sunt languefacta & oppressa. Mortuus anno 1072.

PETRVS PRIMVS.

FVerat Ecclesiæ Vratislauiensis Scholasticus, natus est familia nobili in Polonia, creatus est Episcopus ex autoritate Boleslai Secundi Poloniæ Regis: fuit familiariter notus Stanislao Episcopo Cracouiensi, quem Boleslaus interfecit: Ob cuius necem, cum totum regnum fulmine anathematis ferirent Episcopi, regem eijcerent, & titulum etiam regium Poloniæ detraherent, secutæ sunt confusiones miserabiles, vt quidem in historia relatum est.

Petrus Primus fuit familiaris Stanislao Cracouiensi.

Petrus scribitur imprimis valde rigide censuram illam obseruasse: etsi miser populus, cui tam graues laquei injciebantur, nihil deliquerat. Sed opprimebatur tunc orbis Christianus horribili caligine, & artificijs Hildebrandi Pontificis glisscebant sub Henricis in Germania bella plusquam ciuilia, per quæ maiestas & potentia istius imperij fuit quassata & euersa. Ipse Episcopus locupletauit Ecclesiam suam opibus, emtis multis prædijs. Auxit etiam numerum personarum sacrarum in Collegio, & tenuioribus dedit victum ex suis reditibus. Moritur anno 1091.

ZYROSLAVS.

NAtus fuit in nobili familia in illa Poloniæ parte, quam patria lingua nominant Cuiauiam. Erat Ecclesiæ præpositus: amauit ceremonias, & sacros ritus: instituit in templis ordinem lectionum & cantus vsitatum in Ecclesia Cracouiensi, in quo tamen tunc etiam adhuc plus fuit sinceritatis, cum nondum exorti essent cultus multorum sanctorum, quos ætas recentior peperit.

Zyroslaus instituit Ceremonias Ecclesiæ Cracouiensis.

Nec dubium est hanc curam pertinere ad Episcopos, vt instituantur ritus vtiles ad disciplinam, & qui rudiores assuefaciant ad amorem doctrinæ & pietatis. Omnes etiam homines non efferi

delectantur honestis ritibus & ceremonijs, presertim quibus à teneris annis assueuerunt: vt prudenter apud Herodotum dictum est: Ἔχοιμι εἰκὸς ἐστὶ ἄλλον γε ἢ μαινόμενον ἄνδρα γέλωτα τοῦτο νόμων ποιεῦσθαι: Non est consentaneum alium nisi insanum hominem aspernari vsitatos ritus vitæ. Sed in Ecclesia oportet esse delectum & modum ceremoniarum, & necesse est remouere opiniones & abusus superstitiosos. Decessit anno 1120.

IMISLAVS VEL HEIMO.

Imislaus fundauit collegium Glogouiense.

SVnt flexus Sclauonici in appellationibus. Non fuit diu superstes. Ex consilio ipsius à Boleslao distorto erectum est Collegium Canonicorum in vrbe Glogouia, quam Princeps diligebat. Fuerunt tunc sacerdotes in Silesia mariti, & pauciores ordines monachorum tunc erant noti. Erat etiam integer vsus sacræ Cœnæ vsitatus, neque dum instituta erat circumgestatio. Moritur anno 1126.

RVPERTVS PRIMVS.

RExit Ecclesiam Vratislauiensem annos decem & septem, & cum laudaretur ipsius dexteritas & industria, collocatus est ex voluntate Principis Boleslai in Ecclesiam Cracouiensem.

MAGNVS PRIMVS.

NAtus fuit ex stirpe nobili Zarambiorum, collocatus in Ecclesiam ex aula. Fuit enim Principis Cancellarius. Vt vir politicus quæsiuit dignitates, locupletauit suos cognatos. Commendabat eum eruditio. Moritur anno 1146.

IOHANNES SECVNDVS.

Iohannes Secundus Episcopus accersiuit Cistercienses in Silesiam.

CElebrata fuit huius pietas. Adiutus à fratre constituit cœnobium in territorio Cracouiensi, & in illud collocauit monachos ordinis Cistercienſium accersitos ex Burgundia ex loco, qui nominatur Morimundus. In Collegijs sacerdotum crescentibus opibus studia refrixerant, ideo passim erigebantur monasteria, vt essent scholæ: & inclaruerant propter exercitia doctrinæ & pietatis sodales Cistercienses propter gubernatorem ordinis Bernardum,

hardum, qui tunc adhuc erat superstes, in quo scriptore certe aliquid fuit lucis, cum recitet sententias de iusticia fidei præclaras. Iohannes accersitus fuit Gnesnam, vt esset Archiepiscopus regni.

VALTHERVS PRIMVS.

ETiam iste fuit Cancellarius Principis Boleslai proceri. Induit aliam formam Ecclesiæ suæ. Voluit imitari splendorem Gallicum. Nam in illud regnum tunc nostri homines proficiscebantur ad studia. Vsurpauit insignia Gallica liliorum & Lugduno accersiuit ordinem ceremoniarum cantus & vestitus in sua Collegia.

Valtherus instituit noua ædificia & uarios cultus in Ecclesia Vratislauiensi.

Totos annos 22. quam diu fuit in gubernatione, consumsit in constructione noui templi Cathedralis. Forma ædificationis nunc etiam conspicitur. Fecit graues sumtus. Nam vt homo aulicus amabat pompam, & Silesia, iam propemodum alienata à Polonia voluit etiam distinctionem in ritibus seruari. Mortuus anno 1176.

ZYROSLAVS SECVNDVS.

REstituebat huius ætate Boleslaus procerus cœnobium Leubense, & impetrauit ab Episcopo, vt monachis, qui erant recentes hospites in hac prouincia, donaret decimas ex ditione Lignicensi. Quia Princeps iudicabat sustentanda esse studia monachorum opibus Episcopi: sed ea liberalitas offendit Collegium. Moritur 1181.

FRANCISCVS PRIMVS.

ISte fuit Silesius natus, vt videtur, ex familia nobili Germanica, cum plures Germani tunc in Silesiam commigrarent. Fuerat etiam Principis Cancellarius, ex cuius autoritate gubernatio Ecclesiæ ipsi fuit commendata. Sed fuit valetudine admodum tenui & afflicta.

Paulò ante huius decessionem Ecclesijs Polonicis & Silesijs graue vulnus inflictum est. Pontifex enim Romanus Cælestinus Tertius legem cœlibatus sacerdotibus imposuit, & multa coniugia diremit. Moritur 1198.

IAROS-

IAROSLAVS PRIMVS
Princeps Silesius.

Iaroslaus Episcopus fuit impius in patriam.

FVit filius Boleslai proceri natus in priori coniugio. Ex autoritate patris euectus fuit ad hanc dignitatem: sed fuit impius in patrem, cui intulit scelerata arma. Nouercam Adelheidem fœminam nobilissimam etiam grauidam ex Prouincia eiecit.

Cœnobio Leubensi ademit reditus donatos ab antecessore. Nissense territorium totum attribuit suæ Ecclesiæ, ne perueniret in manus fratris. Ἀσωρία, & crudelitas in parentes præcidit ipsi vitam. Extinguitur 1201.

CYPRIANVS PRIMVS.

IRascebatur Canonicis Princeps, quod iuuissent impia consilia & conatus Episcopi. Ideo nullum ex Collegio suo elegerunt, sed accersiuerunt istum, qui erat Episcopus Libusiensis, olim Abbas monasterij S. Vincentij. Post sextum annum interijt apoplexia, anno 1217.

LAVRENTIVS PRIMVS.

Henrichouiensis & Camencensis monasteriorum fundatio.

AVxit opes Episcopatus. In prædio suo Preichau agri Stinauiensis, cum nimium se oblectaret odoriferis rosis, conciliauit sibi catharrum, qui desijt in tabem. Mortuus anno 1232. Aetate huius extructa sunt cœnobia, Heinrichouiense à Cancellario Principis Henrici Barbati, & Camencense in monte editiori, vbi olim Vratislaus Bohemiæ Dux, & tunc Dominus Silesiæ, qui Vratislauiam exornauit, sacellum in memoriam beati Procopij erexerat. Locus postea attributus fuerat monachis Vratislauiensibus in arena, qui sunt Canonici regulares, qui eum reliquerunt Cisterciensibus.

THOMAS PRIMVS.

NAtus fuit ex genere nobili in Polonia. Amauit eum Henricus Barbatus initio: sed postea auaricia eius Principem patrem, filios & nepotes offendit, & graues ipsi creauit calamitates. Retraxit ad se reditus, quos Cœnobijs Leubensi & Trebnicensi

vrgente

vrgente Principe donauerant anteceſſores. Boleslaus ſæuus Lignicenſis eum cum duobus Canonicis Vratislauienſibus expaciatum in pagum ad conſecrationem noui templi, captiuum abduxit, & quamuis Archiepiſcopus Gneſnenſis & Pontifex Romanus ſua fulmina in Principem emittebant, tamen nihil eſt motus: coëgit Epiſcopum facere pacta de commutatione decimarum in certam ſummam pecuniæ. Rexit Eccleſiam annos 35. inter calamitates publicas & priuatas magnas. Nam in eius ætatem incidit vaſtatio Scythica in Sileſia. Moritur 1267.

THOMAS SECVNDVS.

ERat nepos prioris Thomæ, vir ærumnoſus & infœlix: reditibus ſacris, qui ad magnas iam opes excreuerant, inſidiabantur Principes. Vladislaus Archiepiſcopus Salzburgenſis, filius Henrici pij interfecti à Tartaris, qui tunc erat tutor nepotum, impetrauit in ſuum ſumtum reditus Epiſcopatus: poſt triennium tamen mortuo Vladislao ius ſuum Romæ obtinuit Thomas.

Poſtea duriter quaſſauit eum Henricus probus Vratislauienſis, cui negauerat pecuniam, eumq; ex tota ditione eiecit. Archiepiſcopus Probum terrebat ſacro fulmine: ſed Franciſcani, qui erant recentes coloni in vrbe, peragebant ſua ſacra palam, nihil morati edictum Epiſcopi. Exulauit Thomas Ratiboriæ, & ibi poſt longas lites & bella ſupplex eſt factus Principi, illiq; reconciliatus. Vt eſſet gratus hoſpiti ſuo Caſimiro Opolienſi, erexit Ratisboriæ Collegium Canonicorum, illiq; donauit reditus. Moritur 1292.

Ratiborienſis collegij fundatio.

IOHANNES TERTIVS.

FVit prælatus Conrado Gibboſo Glogouienſi Principi: ideo non fuit gratus aulis, ipſe tamen, cum eſſet nobilis Polonus, vicit apud Archiepiſcopum. Aetate huius extructum eſt Cœnobium Griſſenſe. Mortuus anno 1301.

Griſſenſis cœnobij fundatio.

HENRICVS PRIMVS.

ORtus fuit ex celebri ſtirpe dominorum de Virbna. Quæſiuit pompam & aulicum faſtum. Fuit tutor Principum Vratislauienſium, iiſq; ex patrimonio grandem pecuniam diſſipauit: à quibus deinde fuit afflictus: adeo fuit exhauſtus, vt ſumtus funebres dati ſint ipſi à Collegio. Mortuus 1319.

VITVS

VITVS PRIMVS.

FVit dissensio inter Canonicos in electione, & gliscentibus tunc dissidijs inter Polonos & Silesios, vbicq; creuerunt odia. Litigauit iste, qui erat Germanus, cum Lutoldo Polono, post septennium vicit Romæ in iudicio, & superuixit post victoriam octiduum. Mortuus anno 1326.

NANCERVS PRIMVS.

Nancerus fuit Episcopus nimis asper.

MIgrauit ex Episcopatu Cracouiensi Vratislauiam, quod in odio esset apud Regem Locticum, à quo, cum loqueretur liberius, acceperat colaphos. Valde commendatur propter zelum erga Regem Iohannem. Narratio nota est, quam non repeto. Magis digna est admiratione Regis patientia, quam Episcopi audacia, quam armabat fiducia autoritatis Pontificiæ. Fons dissidij fuit inuidia & superbia. Multi ægreferebant diuelli Silesiam à Polonia, eaq; potiri Lucelburgenses, qui erant Germani. Ideo Regi parabantur multi aduersarij. Moritur anno 1341.

PRETISLAVS PRIMVS.

FVit nobilis Silesius, electus dum viueret in Academia Bononiensi. Casimirus Rex Polonicus pugnabat, vt Episcopatus possessio maneret apud solos Polonos, sed iste vicit Romæ. Fuit diligens paterfamilias, emit à Boleslao Bregense oppidum & ditionem Grotcouiensem, & ita Ecclesiam suam locupletauit, vt deinde iste Episcopatus sit appellatus aureus. Et ab eo tempore Episcopi pleriq; præcipuam partem gubernationis publicæ sustinuerunt.

Grotcouiensis ditio emitur ab Episcopo Vratislauiensi.

Eximie veneratus est Gothardum, tanquam datorem tantæ fœlicitatis, illiq; nouos instituit cultus. Sed officia Ecclesiastica & scholastica infœliciter onerantur gubernatione: & sicut à principio in mundum peruasit idolatria ex exemplis non recte accommodatis: ita κακοζηλία subinde eam cumulauit & stabiliuit. Rexit Ecclesiam annos 35. mortuus 1376.

THEODORICVS PRIMVS.

NOn numeratur ab omnibus in Catalogo Episcoporum: quia, etsi fuit electus, tamen confirmationem à Pontifice non potuit impetrare. Aula Romana audiuerat de aureo Episcopatu: ideo Pontifex reditus ad se traxit, & intra paucos annos emunxit vltra 50000. aureorum. Hæc nimirum sunt fœlicia aucupia.

VEN-

VENCESLAVS PRIMVS.

ERat Princeps Lignicensis, collocatus fuit Vratislauiam, cum esset Episcopus Libusianus, à Pontifice. Ingratus fuit Regi Venceslao: Ideo multis modis Episcopum & Regem mulctauit: placatus est tandem data pecunia. Erexit Collegium Canonicorum in oppido Otmachouio. Resignauit Episcopatum in manus Martini Pontificis, quem creauerat Concilium Constantiense. Moritur 1417.

CONRADVS PRIMVS
Senior.

FVit Princeps Olsnicensis ex stirpe Glogouiensi, commendatus fuit ipsi Episcopatus â Pontifice opera Sigismundi Cæsaris. Fuit ingenium Musicum, pronum ad hilaritatem & voluptates. Erat comis & liberalis vsq; ad prodigalitatem. Amabat dulces harmonias in sacris, & multas cantilenas ipse scripsit. Cumulauit superstitiosos cultus Heduigis Silesiæ, S. Annæ, D. Baptistæ. Accusatur ipsius gubernationis infœlicitas, sed incidit in misera tempora, cum Hussitici Silesiam, & præcipue ditiones sacras crudeliter vastarent.

Conradus Episcopus Vratislauiensis amauit ceremonias.

Ex Synodo Basiliensi impetrauit constitutionem, quæ vetat tribuere dignitates sacras alijs nisi illis, qui aut sunt nati in hac diœcesi, aut ornati gradu doctoris in professionibus superioribus. Moriens 1447. reliquit Ecclesiam implicatam grandi ære alieno.

PETRVS SECVNDVS
dictus Nouack.

PRopter magnitudinem æris alieni non facile inueniebat Ecclesia gubernatorem, etsi multis apud exteros, qui erant pecunioſi, honor ille fuit oblatus: tandem fuit electus iste Petrus, natus in humili pago ex parentibus rusticis. Erat doctor legum Pontificiarum, & collegij præpositus. Fuit vir industrius, præditus magna doctrina & vsu rerum. Frugalitate sua corrasit opes, & bona oppignorata ab antecessore redemit. Auxit & iste ceremonias multis modis.

Vtili consilio instituit preces publicas, fundendas pro pace, cum tunc in Pannonia inualescerent arma Turcica. Sanciuit nouam formam theatricæ circumgestationis die dicato memoriæ corporis Christi, & amplificauit cultum in ferijs Omnium sanctorum. Ita paulatim inuecti & confirmati sunt abusus, qui non solum Ecclesiæ vetustiori, sed etiam antiquitati in hac gente fuerunt ignoti.

Ecclesiæ in Silesia paulatim sunt inquinatæ superstitionibus.

Fouit & promouit Capistranum, qui in Silesiam deduxit colonias sodalium Bernhardini, & sua mirabili vafricie Italica nostros homines in reuerentia Pontificiæ maiestatis continuit. Conuocauit Episcopus vniuersum cœtum religiosorum, ad quem in templo ianuis clausis, vt arceretur populus, orationem habuit Capistranus, & cum vitia acriter esset insectatus, disputauit de emendatione morum & vitæ. Dugloss annotauit Petrum esse mortuum anno 1456.

IODOCVS PRIMVS.

EX commendatione Ladislai Regis creatus est Episcopus Iodocus ex clara familia dominorum de Rosenberg Bohemus, etsi adhuc esset adolescens. Fuit in eo egregia doctrina, facundia & prudentia. Multa erant flabella tunc in Silesia ad bellum Bohemicum, sed Episcopus constanter suadebat, vt acciperetur pax, quæ sub honestis conditionibus posset impetrari. Ideo apud multos fuit in odio.

Iodocus Episcopus fuit autor pacis.

Ipse iuit Romam ad Pium Senensem Pontificem pacificationis causa. Archiepiscopum Cretensem, qui eum propter studium pacis graui conuicio sauciauerat, acri recriminatione refutauit. Sed cum Episcopus ad bellum videretur segnior, subinde Vratislauiam veniebant legati Pontificij, qui canebant classicum, & populum accendebant.

Cardinalis Papiensis Romæ descripsit historiam illorum motuum. Episcopus Iodocus Vratislauiæ, cum idiomatis Germanici minus esset peritus, latinas conciones in suo templo habuit, quas deinde alius est interpretatus. Moritur anno 1467. ex nephritide, vt apparet.

RODOLPHVS PRIMVS.

NAtus fuit in oppido non celebri ad Moguntiam. Euexerunt eum literæ. Sedit Romæ in iudicio Rotæ, & fuit deinde familiaris duobus Pontificibus, Pio Senensi, & Paulo secundo. Renunciatus est Episcopus Lauantinus, & missus à Paulo secundo in Poloniam, vbi sedauit bellum Prutenicum conditionibus iniquissimis Ordini.

In Silesia assiduo erat tuba belli aduersus Georgium. Ideo propter talia consilia valde annitente Casimiro Poloniæ rege creatus est Episcopus Silesiæ. Fuit vir politicus, & in illis negocijs vitam suam consumsit. Mathiæ Regi sponsam suam ex Apulia adduxit. Obijt apoplexia 1482. elatus est humeris Canonicorum, quibus fuit gratus.

IOHAN-

IOHANNES QVARTVS dictus Rotus.

OMnes suos anteceſſores ſuperauit eruditione. Natus fuit Vendingæ in oppido Sueuæ. Legibus operam dedit Patauij. Romæ fuit auditor Vallenſis, ex cuius aſſuefactione, & imitatione formauit orationem bene latinam, elegantem & ſplendidam, vt quidem oſtendunt aliqua eius ſcripta, quæ hodie leguntur. Notus fuit pleriſq; viris doctis ſuæ ætatis, Philelpho, Guarino, Pogio: ſcripſit ad eum etiam familiariter Pius Senenſis. *Iohānis Quarti Epiſcopi egregia doctrina.*

Fuit Conſiliarius Regis Ladislai, deinde Friderici Cæſaris, apud quem præcipua negotia Imperij Germanici gubernabat: poſtea fuit familiaris Mathiæ Regi, quo nemo Regum ſuæ ætatis liberalius homines literatos fouebat, & huic ſtatim ſpem fecit certam ex autoritate Pontificis de Epiſcopatu Vratislauienſi, cum prius Rodolpho ſucceſſiſſet in Eccleſia Lauantena.

Sæpe dixit, apud præſtantiſſimos homines ſuæ ætatis fuiſſe ſeſe in pretio, ſed ſingulari fato eſſe in odio apud ſua Collegia. Cum in ſolenni pompa progrederetur poſt electionem ad templum, terribilis fuit orta tempeſtas, & ex colliſione ingentis turbæ hominum fores maximi templi ex cardine euulſæ pene procidiſſent. Quod omen ſignificabat fatalem ruinam.

Fuit Iohannes vir vitæ admodum honeſtæ & continentis, qui omne tempus vacuum à laboribus publicis conſumebat in ſtudijs, & ſuis ſcriptionibus. Ideo, cum reuireſcentibus iam tunc bonis literis, multos abuſus craſſiores non probaret, & eſſet amans diſciplinæ, cogitauit quomodo ritus aliquos profanos emendaret, & reſtituere poſſet diſciplinam collapſam.

In Collegio vero erant tunc multi valde factioſi, ambitioſi & ſuperbi homines, cum ingentes opes & otium in multis confirmarent faſtum & mala conſilia. Ideo cœperunt Epiſcopo, tanquam cenſori nimis ſeuero, aduerſari: primo tamen anno Iohannes abolenuit pompam circumgeſtationis pomeridianæ die Corporis Chriſti, & emendauit alios abuſus multos, qui ex ſuperſtitione & incuria inoleuerant.

In Eccleſias voluit reuocari veterem Cantum Gregorianum, qui eſt ſincerior, & ſuſtulit modos Muſicæ, quæ nominatur figuratæ, illoſq; nominabat cantum criſpum. Coniecit in carcerem quoſdam ex Collegio, qui ipſi contumatius repugnabant, eaq; ſeueritate maiora ſunt accenſa diſſidia. *Iohannes Quartus quædam correxit in abuſibus Eccleſiæ.*

Cum itaq; finem odiorum nullum proſpiceret, & ipſius etiam cordis robur frangerent calumniæ, ſtatuit ſibi cooptare viuens ſucceſſorem, quem nominant coadiutorem, non ſolum vt ſeſe muniret contra aduerſarios, ſed etiam, vt onere gubernationis commu-

nicato cum altero, ipse frui posset suo otio in literis. Sed consilij huius exitus fuit valde infaustus.

Principes & ordines petebant, vt assumeret Fridericum Casimiri Teschinensis Ducis filium, qui operam dabat literis Bononiæ. Antequam vero res confici potuit, interuenit Iohannes Turso, vir magna dignitate & multis opibus clarus, qui cum Episcopo Patauij in adolescentia contraxerat familiaritatem: is magno conatu & largitionibus in aulis pugnabat pro suo filio.

Iohannes negotium inuidiosum magna parte reiecit ad Collegium, in quo fiebant distractiones & factiones admodum tetræ. Opicius Colo, qui fuit fax belli & calamitatis Glogouiensis, oppugnabat Principes Silesiæ magno furore. Illi aduersabatur in Collegio pars altera, etiam munita suis præsidijs. Trahebat secum Opicius gregem latronum & nobilium scortorum, & insidiabatur vitæ & saluti æmulorum.

Collegij Vratislauiensis intestina dissidia.

Spargebantur libelli pleni turpissimorum conuitiorum, & recitantes spurcissima exempla: Ita vt de istis contentionibus annales scripti in Collegio talia verba recitent: Ea de se mutuo iactabant, quæ non de scurra Mimus, non de latrone homicida, non de scorto meretrix diceret, & tamen impollutis manibus Missas se celebrare credunt.

Nec vero commemorabo plura, sed certum est, tunc multorum animos in hac Prouincia valde tam tetris exemplis fuisse sauciatos, & ab ordine Ecclesiastico alienatos, donec deinde lux veritatis cœlestis effulsit: quam cupidæ, perterritæ & ambigentes mentes sunt complexæ.

Turso pater placauit competitores muneribus, & filio dignitatem obtinuit. Iohannes aliquandiu etiam politicum munus sustinuit: fuit enim Prouinciæ supremus præses, & in ipsius ciuitate sumtum fuit supplicium nouo exemplo de Nicolao Principe Opolienſe. Verum ipse defatigatus temporum & hominum iniquitate, abduxit se à negotijs, & vltimam ætatem tribuebat suis studijs, latens in sua Bibliotheca, quam habebat amplissimam. Obijt die S. Agnetis 1506.

IOHANNES QVINTVS.

FVit ex familia Tursonum Cracouiensium, acceptus ad successionem, non sine magno labore. Placati sunt Principes & ordines Silesiæ concessione quarundam rerum, de quibus prius fuerant magnæ dissensiones. Ipse Iohannes Turso non fuit etiam carus suis Collegijs, quæ eum, vt segnem & parum efficacem in rebus gerendis, spernebant: sed fuit ingenio miti, cupidus pacis, humanus, & qui neminem lædebat.

Non

Non erat rudis literarum, & delectabatur consuetudine doctorum, fuit etiam liberalis in discentes. Moritur 1520. mense Augusto ex tabe catharrali. Contraxit grande æs alienum, quia superbia quorundam in Collegio toti ordini conflauerat plurimos & potentes inimicos, qui sæpe dabant grauia damna.

Iohanni Tursoni successit nobilis D. Iacobus à Salza, præses ducatus Glogouiensis, cuius prudentia & virtus præcipuè in electione Caroli Cæsaris Francofurti innotuerat, eaq; deinde in tota gubernatione ipsius fœliciter est conspecta. Ingruente enim fatali mutatione, orta ex religionis dissidijs, ipse magna sapientia & æquitate certamina illa mitigauit, nec ad sæuitiam iniustam erga Ecclesias nascentes se accendi passus est.

Eam prudentiam imitatus est etiam successor Iacobi Balthasar Promicius, eques Freistadiensis, & sua moderatione dulcem pacem in hac regione, & concordiam inter ordines conseruauit. Intelligebant enim illi sapientes viri, gubernatores oportere consulere saluti totius gentis, & sæpe vt in senili corpore quædam lenire. Et vbi, vt olim dictum est, non contingit ὁ ἐξ ἀρχῆς πᾶσι, non decere prudentes, vt iracundia, odijs & pertinacia publicas difficultates augeant: sed rectius esse tentare διὰ περὶ πᾶσιν, sua æquitate lenire incommoda, & sanare rempublicam.

Religionis dissidia non non desernenda armis.

Fatebantur Ecclesiæ opus esse emendatione, sparsa igitur aliqua Euangelij luce nolebant cogi populum ad obseruationem veterum abusuum contra conscientiam. Nam in tali perturbatione animorum & inuocatio multis excutitur, & vbi desunt boni concionatores, qui publice doceant, sæpe à dubitantibus concipiuntur prauæ opiniones, quæ animabus & paci publicæ nocent: Vt quidem exempla satis tristia alicubi in hac ipsa nostra regione ostendunt.

Placebat igitur prudentibus illis Episcopis hæc mutua & maxime ciuilis moderatio, vt neutra pars alteram impediret, sed communis tranquillitas politica retineretur. Sciebant enim semper in ciuium dissensionibus magis salutaria fuisse mitia consilia, quam violentia, & non æquum esse labefactari conscientias illorum, qui abusus in Ecclesia intelligunt & vitare cupiunt, inutili pertinacia, quæ aditum deinde posset patefacere impijs opinionibus, paciq; publicæ pernitiosis.

Hanc prudentem moderationem si etiam posteritas intuebitur, non solum timorem Dei & veram inuocationem in populo conseruabit, sed etiam pacem patriæ muniet, & ciuilem crudelitatem prohibebit.

Iacobus Episcopus decessit anno 1539. 25. Augusti, Balthasar 1561. 20. Ianuarij, de quibus ideo plura non dicimus, quia nostræ narrationes desinunt in nece Ludouici Regis, & quia multa horum optimorum Episcoporum mentio in historia est facta.

Nunc vt breui epilogo totum hoc opus concludam, breuem subijcio commemorationem de facie quarundam rerum in publico statu, qualis nunc conspicitur.

Dei beneficio intra annos octoginta in hac prouincia non sunt factæ vastationes bellicæ: & quamuis regimina, præsertim in hac languida mundi senecta, non sunt sine miserijs: tamen grato animo omnes nostros ciues fateri oportet, illam fuisse hactenus sub propitio magistratu nostro formam gubernationis, vt in ea potuerimus viuere vitam tranquillam & placidam ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, vt Apostoli verbis vtamur.

Cum Monarchiam Romanam discerperent Arctoæ & barbaræ gentes, narrat historia, graues tunc fuisse querelas de Christo, quasi propter mutatos veteres ritus, & abolita priora numina imperium prædæ esset immanibus populis: tales propemodum multorum nunc sunt sermones, qui declamitant, propter emendationem quorundam abusuum in Ecclesia crescere ærumnas & difficultates publicas.

Sed, vt quidem omnibus temporibus, sicut in nocte primi Paschatos, filius Dei per mundum transiens potentissima regna propter blasphemiam & scelera delet, præstantissimos etiam homines veritati suæ aduersantes horribiliter euertit: ita non dubium est nunc quoq; Europam propter idola multis seculis cumulata, & crudeliter etiam defensa, & simul propter alia peccata multa à Christo plecti, non vero propter veritatis professionem. Et tamen Dei beneficium esse agnoscamus, quod ærumnas hactenus clementer nobis mitigauit, & aliquam Ecclesiam & Rempub: in nostra patria conseruauit.

Silesia floruit sub imperio diui Ferdinandi.

Finis pacis in qualibet honesta societate debet esse propagatio veræ doctrinæ de Deo & alijs rebus bonis, & mutua multorum officiorum communicatio, educatio & institutio sobolis, officia iusticiæ, beneficentiæ, veracitatis & similia. Ista bona cumulate sub imperio diui Ferdinandi nostra patria est adepta.

In multis locis Ecclesiæ piè constitutæ sunt, & populus de Deo, de obedientia debita magistratui, & alijs operibus mandatis à Deo fideliter & recte eruditur. In scholis etiam nostris exculta sunt literis & disciplina multa præclara ingenia, quorum in Ecclesia, & ciuili vita vsus est.

Silesiæ ciues aliquot clari propter doctrinam.

Superioribus annis celebres fuerunt, Vrsinus Velius Poëta diui Ferdinandi, Trocedorffius, D. Iohannes Mezlerus, D. Hessus, D. Moibanus, Erasmus Benedictus: in aula Friderici Secundi Lignicensis floruit vir nobilis Volffgangus Bock, doctrina & quasi Periclea eloquentia præstans: poëma D. Fabri nominat eum eleganti compositione Lycotragum. Enituit ipsius amor & pietas in patriam, cum alias sæpe, tum anno 1546. Vratislauiæ, quando

quando coram Rege Ferdinando Silesiæ ardua fuit disceptatio cum Bohemis, qui libertatem huius prouinciæ in præcipuis capitibus oppugnabant.

Bohemorum accusationem pronunciauit D. Philippus Gundelius vir eruditus & eloquens, oratione, vt dicitur à multis annis præmeditata: patriam oratione graui, diserta & neruosa fœliciter ille D. Bock defendit eáque subito cogitata. Respub: Vratislauiensis suppeditauit ipsi argumenta & priuilegia.

Amisit recens Silesia, & præcipuè vrbs Vratislauiensis, viros doctrina, pietate & politica etiam prudentia celebres, primo Franciscum Fabrum virum & Poëtam optimum, Reipub: scribam, cuius fidem, prudentiam & industriam in difficillimis negotijs inclyta illa vrbs conspexit & probauit: fuit excultus multiplici doctrina, & ex vena quadam ingenij graui & seuera fudit carmen vere heroicum & numerosum, eamq; scribendi facultatem ad ornandam patriam contulit: etsi propter occupationum varietatem poëmati suo culturam, quam volebat, addere non potuit.

In eadem etiam vrbe decessit hoc anno D. Vilhelmus Kurtzbachius præses consilij Cæsarei, cuius doctrina, sapientia & moderatio toti huic prouinciæ maxime fuit vsui & emolumento.

Die deinde Scholasticæ extinctus est D. Iohannes Moreberg ius, qui vere, vt olim Augustus de Cicerone mortuo dixit, fuit αὐτὴς λόγου καὶ φιλόπατρις. Et cum longo tempore ipsi ab inclyto senatu mandata esset Ecclesiarum & Scholarum inspectio, in eo amplissimo munere ita fuit in docentes & discentes munificus, vt totus noster ordo iure huius viri memoriam grato pectore debeat conseruare.

Nam vt Paulus dulcissimis verbis suo Philemoni agit gratias propter beneficia erga Ecclesiam, & inquit: Viscera sanctorum per te reficiuntur: ita iste suis officijs studia necessaria Ecclesiæ & Reipub: iuuit, fouit & ornauit: & doctoribus Ecclesiæ hospitium, victum & alia beneficia tribuit.

Quarto etiam Calend: Nouemb: anno 1566. in eadem vrbe immatura morte ex maligna febri superatus emigrauit ad æternam Dei & beatorum consuetudinem M. Adamus Cureus, vnicus & dulcis: frater Ioachimi Curei, qui hos annales edidit, cum amplius quatuordecim annis Euangelium Christi fideliter docuisset. Epitaphium, quod ad ornandam memoriam ipsius scriptum est, subijcio. *Adamus Cureus.*

Memoriam M. Adami Curei Freistadiensis, qui fuit Ecclesiarum instauratarum in Silesia sua ætate oculus, cum doceret & gubernaret Ecclesiam in inclyta vrbe Vratislauia fide, industria, *Epitaphium Adami Curei.*

circumspectione, tolerantia laborum & ærumnarum eximia, cum studio tuendi consensum in eadem voce doctrinæ repurgatæ inter docentes nunquam satis laudato, viri ingenij bonitate, doctrina vberrima, facundia blanda & composita morum suauitate præstantissimi, donis vero fidei & regenerationis viuificæ beati, sui cum pijs lachrymis & læta in spe ornarunt. Vixit annos 39. Menses quatuor, dies 15. horam nullam. Emisit spiritum in manus æterni patris anno 1566. Mense Octobri, die 29. Elatus funere honorificentissimo ad dulce suum cubile inter luctus, gemitus & lachrymas vniuersæ inclytæ ciuitatis, pridie Calend. Nouemb. Natus fuit in honesta familia Freistadij, quæ etiam prius viros doctrina præstantes peperit, Dobergastios tres, ex quibus Martinus clarus propter doctrinam & eloquentiam, accersitus fuit ad munus docendi in Ecclesia Cracouiensi à Rege Sigismundo, qui eum admodum dilexit.

Caspar etiam Iungius, auunculus Adami Curæi, fuit Cancellarius Friderici Secundi Lignicensis, & Principi & omnibus ordinibus propter fidem & industriam carissimus. Superstites sunt adhuc ex eadem Silesia gente multi donis naturæ & Spiritus sancti excellentes, quorum sapientia & virtus Ecclesiæ & Reipub: Deo iuuante fœliciter seruit.

In aula inuictissimi Cæsaris, dignitate, autoritate & sapientia, regente consilia supremæ gubernationis, florent cum alij, tum viri magnifici, nobilitate, doctrina & omni virtutum genere amplissimi, D. Ioachim à Berg, D. Georgius Mehlius, regni Bohemiæ procancellarius, D. Iohannes Crato Archiatros Imperialis, & valetudinis Cæsareæ custos.

In aula vero illustrissimi Electoris Saxoniæ, D. Abraham à Bock, D. Hieronymus Kisuetterus Cancellarius, viri doctrina vberrima, eloquentia & magna virtute ornati. In Prussia consilia politica diu apud Principem iuuit & rexit cum magna laude iustitiæ & moderationis vir Clariss: D. Franciscus Tegius Iurisconsultus Freistadiensis. Nec minus in militia honesta, egregia nostrorum hominum virtus enituit.

Mathiæ regis iudicium de gente Silesia.

In quodam vetusto scripto reperio, magistratum Silesiæ, cum accerseret Regem Mathiam ad defensionem huius Prouinciæ contra Georgium Bohemum, significasse Regi, in Silesia supra septuaginta esse oppida mediocriter munita, & hanc etiam terram gignere homines non imbelles. Ipse deinde Mathias, cum naturam gentis cognouisset, dixisse scribitur, hominem Silesium domi suæ enutritum non multum esse ad arma idoneum, sed eundem, si militari disciplina imbuatur, esse plus quam virum. Quæ oratio Regis prudentis & magnanimi nostræ genti & ingenium capax bonarum rerum atq; docile, & simul robur animi tribuit.

Mani-

Manifestum est etiam, aliquos ex nobilitate Silesia cum magna commendatione fidei & fortitudinis recentibus his annis in multis locis exercitus duxisse. Cum hæc scriberem, in annum septimum Episcopus Vratislauiensis erat, & simul prouinciæ nomine Cæsaris præses, Reuerendissimus D. Caspar Logus, natus in familia equestri Suidnicensi, egregia doctrina & virtute præstans. Ducatum Glogouiensem gubernabat D. Caspar Baro à Kitliz, magna doctrina præditus, ornatus iusticia & quadam dexteritate leniente & dirimente controuersias ex æquitate, & propter pietatem in Ecclesias sinceras non dissimilis præsidi Nazianzeno Olympio, quem prolixe laudat Episcopus ipsius Gregorius.

Senatus Vratislauiensis ad gubernationem Ecclesiæ instauratæ vocauerat D. Iohannem Aurifabrum Vratislauiensem, generum D. Hessi, virum vniuersæ doctrinæ cœlestis rectissime intelligentem, & ornatum cognitione multarum artium, vera pietate & integritate vitæ, & insigni moderationis & concordiæ communis studio, qui & in Academia Vitebergensi publice docuit, & multas Ecclesias in littore Balthico fœliciter constituit & rexit. Sed ego viuentium timide mentionem facio, cum virtus post funera viuat.

Hoc igitur opus, quod amor patriæ mihi expressit, finio cum ὑφημίᾳ, quæ vere, vt olim dictum est, ἐπ' ὠκεανὸν πόνων: & oro æternum Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, vt ipse sit ἀκοδεσπότης, Princeps & gubernator nostræ dulcissimæ patriæ, ipse faciat, vt hæc Prouincia vere sit campus Elysius, sedes beatorum, domicilium veræ religionis, disciplinæ, honestæ societatis politicæ, & omnium virtutum, ipse procul ab his campis, agris & tugurio-lis depellat barbarum acinacem latronum Turcicorum, Scythicorum aut Moschorum, vastatorem Ecclesiarum & Rerumb: ipse tribuat, vt pax velut flumen terram nostram riget, & in ea animos nostros præparemus ad amorem veræ patriæ, quæ est in cœlo.

AMEN.



WITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO,

ANNO M. D. LXXI.